LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGI

HERAUSGEGEBEN

VON

G. CURTIUS L. LANGE O. RIBBECK H. LIPSIUS

SECHSTER BAND

Erstes Heft

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1883.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

G. CURTIUS L. LANGE O. RIBBECK H. LIPSIUS

SECHSTER BAND

Erstes Heft.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1883.

DE APOLLONII DYSCOLI

EPIRRHEMATICI ET SYNDESMICI FORMA GENUINA

SCRIPSIT

THEODORUS MATTHIAS.

I. Bekkerus qui primus omnia quae supersunt Apollonii Dyscoli opera annis huius saeculi VII, XIII, XVI, XVII edidit, praeter Porti Sylburgiique annotationes et praeter ea, quae unus et alter ad eos, quos Apollonius attulerat, locos scriptorum disseruerat, in usum suum conuertere potuit fere nihil. Quo ex tempore opera multo maior nobilissimo Alexandrino navata est et a Lobeckio Ahrente Lehrsio, qui de grammaticis graecis ueteribus optime meriti sunt, et in dissertationibus uariorum commentariorum annaliumque philologorum ab O. Schneidero [1]), rursus a Lehrsio [2]), a L. Langio [3]), ab A. de Velsen [4]), ab Eggero [5]), a Skrzeczka [6]), a Dronkio [7]), a Schoemanno [8]),

1) 'Apollonii de synthesi et parath. placita': Comment. antiqu. 1843. 81 sq. — Diarium Marburg. 1843. — 'Ueber die Schlusspartie der Schrift des Apollonius Dysc. περὶ ἐπιῤῥ.' Mus. Rhen. n. s. III, 446 sqq.

2) Libelli qui quaestiones epicae inscribitur, uariis locis. — Mus. Rhen. n. s. II, 340 sqq.

3) Das System des A. D. 1852. — Praeterea Philol. VII, 564.

4) Tryphonis gramm. Alexandrini fragm. colleg. et disp. A. de V. 1853.

5) Apoll. Dyscole, essai sur l'histoire des théories gramm. dans l'antiquité. Paris 1854.

6) In egregiis sex gymnasii Regemontani urbici programm. annorum h. s. XLVII, LIII, LV, LVIII, LXI, LXIX, quae laudabo ita: 'Skz. I, II, III, IV, V, VI'; et in Annal. philol. uol. CIII, 630 sqq.

7) Mus. Rhen. IX, 107 sqq. 'Beiträge zur Lehre vom griech. Pronom. aus A. D.' — ibid. 582 sqq. de emendatione Apollonii D. — ibid. XI, 549 de Apollonii D. τέχνῃ γραμμ. ad I. Vahlenum epist. critica I. — ibid. XII, 321 sqq. de Apollonii D. libro περὶ ἐπιῤῥ. ad I. V. epist. crit. II. — Alias eiusdem emendationes ab ipso non editas e margine exemplaris eius in apparatu editionis suae publici iuris fecit R. Schneider.

8) Emendationes aliquot locorum in Apoll. libro de adu. ind. lect. Gryphisw. 1860 (= op. acad. IV, 243 sqq.; laudabo Schoemann. op. a. IV). — Ann. philol. 99, 13 sqq. 130 sqq. — Ann. philol. supplem. V, 1 sqq.

a Schmiedero[1], a Wachsmuthio[2], ab Hillero[3], a Guttentagio[4], a Buttmanno[5], ab Egenolffio[6], a duumuiris denique Apollonianis, G. Uhligio[7] et R. Schneidero.[8] Nihilo secius ipse Schneiderus, qui ante hos quattuor annos nouam minorum Apollonii scriptorum editionem eamque nostris temporibus dignam confecit, in eius praefatione professus est etiam post saluberrima illorum uirorum doctorum studia sibi quoque tot maculas relinquendas fuisse, ut saepe contentus fuerit 'scripturis unici codicis Parisini 2548 (A) accurate enotatis fundamentum iecisse, quo niti possent post se operam Apollonio nauaturi'. Quod quam uere iudicatum sit, ex multis illis emendationibus apparet, quas Hoerschelmannus in Mus. Rhen. XXXV, p. 373 sqq. et Egenolffius in Ann. philol. CXVII, p. 833 sqq. proposuerunt.

Cum tamen intellexissem, ne nunc quidem Apollonii libros prae se ferre speciem genuinam, mihi in praesens quidem proposui epirrhematici et syndesmici eam restituere aut describere imaginem, quam, cum ex auctoris manibus exirent, praebuisse mihi uidentur.

1) 'Zur Schrift des A. de pronom.': progr. gymn. Barmensis 1865.

2) Mus. Rhen. XX, 375 sqq.

3) Quaestiones Herodianae, dissert. Bonn. 1865. p. 46 sqq. — Ann. philol. CIII, 618 sqq.

4) Cuius emendationes cum separatim editae non sint, e solo apparatu Schneideri, quocum per epistulas communicauerat, nouimus.

5) 'Des A. D. vier Bücher üb. d. Syntax, übers. u. erläutert 1877'; laudabo: Buttmann. p. x.

6) In recensione libri Buttmanni, Ann. philol. uol. CXVII, 567 sqq. inserta.

7) Emendationum Apollon. specimen, dissert. Berol. 1862. — 'Zu A. D.': Mus. Rhen. XIX, 33 sqq. — 'Die τέχνη γραμμ. des Apollonius u. Herodian': Mus. Rhen. XXV, 66 sqq. — Comment. litter. Ienens. 1878 mens. Iul.

8) 'Obseruatt. critt. in A. D.': Symb. philol. Bonnens. fasc. II, 467 sqq. — 'Obseruatt. critt. in A. D. specimen II': progr. gymn. Colon. 1867. — 'Zu Apollonius D.': Mus. Rhen. XXIV, 585 sqq. — 'Commentarii critici et exegetici in Ap. D. specimen': progr. gymn. Nordensis 1878.

Caput I.

De epirrhematico.

Ac prima quidem erit quaestio de totius *περὶ ἐπιῤῥημάτων* libelli ordine atque consilio et num quae promittuntur omnia soluantur.

Declarat Apollonius libri initio totam de aduerbio disputationem in duas partes se diuisurum esse, quarum in altera, id quod doctrinam stoicorum redolet, agatur *περὶ τῆς ἐννοίας*, in altera *περὶ τοῦ σχήματος τῆς φωνῆς*. Ipsa graeca uerba apposui, quia magni interest, quomodo ea interpretemur. Quare conferri iubeo similem diuisionem, quam Apollonius indicat aliis quidem uerbis libri de coni. initio '*πάλιν ὑποδιασταλήσεται*[1]) *ὁ περὶ αὐτῶν λόγος ἐν φωνῇ καὶ δηλουμένῳ*'. Iuuabit etiam conferre, quomodo Apollonius, priusquam singularum classis cuiusque coniunctionum formam explicet, omnium uocum ad eam pertinentium significationem in uniuersum explanet: ita de disiunctiuis p. 216, 11 — 220, 23, de causalibus 234, 13 — 235, 4, de expletiuis 247, 22 — 253, 29, quae omnes expositiones his fere uerbis concluduntur: '*καὶ τοσαῦτα μὲν περὶ τῆς ἐννοίας τῶν προκειμένων συνδέσμων* uel *τῶν αἰτιολογικῶν* uel *τῶν πληρωματικῶν*'. Et ex aduerbio *πάλιν* aliis quoque libris eadem diuisione usum esse Apollonium intellegimus. Quare mecum putabis in epirrhematico quoque eum uerbis illis similibus se de singularum aduerbii classium notione disserturum esse polliceri. Neque enim propterea, quod numerum singularem *τοῦ ἐπιῤῥήματος* (p. 126, 24) usurpat, totius formulae alius est sensus. Nam in illis e syndesmico locis supra appositis pluralis postulatur ideo, quod ratio habetur omnium singularum coniunctionum, quae in subsequentibus explicari solent. Contra hoc de quo agitur loco magis in uniuersum mentio fit de ui et notione eius partis orationis, cui nomen aduerbii est. Et reuera uerba *περὶ τῆς ἐννοίας τοῦ ἐπιῤῥήματος* ita intellegenda esse elucet etiam e

1) Sic recte Eggerus pro tradito *ὑποσταλήσεται*.

subsequentibus 'ἐπεὶ δὲ καί τινα ἐν ἀμφιβόλῳ καθέστηκε κτλ.' Vix enim Apollonius sic perrexisset, nisi antea in uniuersum de notionum aduerbiorum generibus exposuisset eamque expositionem illa formula conclusisset. Idem numerus singularis eadem notione usurpatur de adu. 122, 33 sq. καὶ τοσαῦτα μὲν περὶ τοῦ ὅτι κατηγορεῖ τῶν ῥημάτων τὸ ἐπίῤῥημα; unde apparet, singulari numero 'τοῦ ἐπιῤῥήματος' rationem nostram non infringi.

Porro nonnullis locis, ubi reuera de notione singularum classium sermo fit [1]), totam illam de notione aduerbii partem contineri putare non licet propter has causas. Primum de minoris tantummodo aduerbiorum partis notione disseritur, neque is sum, qui scriptori neglegentiam eiusmodi et minorem iusta exspectatione perfectionem tribuere quam de manuscriptorum integritate dubitare malim. Deinde exceptis iis, quae 154, 2 sqq. de aduerbii ἔνθα notione accentus explicandi gratia exponuntur, et simili de causa excepta longiore de aduerbiis in δε exeuntibus disputatione (177, 13 — 183, 4) omnes hi loci sub finem totius tractatus leguntur, atque ita, ut alteri de forma parti inculcatae uideantur. Nihilo secius iam 126, 24 eadem illa redit formula 'καὶ τοσαῦτα μὲν περὶ τῆς ἐννοίας τοῦ ἐπιῤῥήματος', qua in libro περὶ συνδέσμων singulas de notione partes conclusas esse uidimus.

Antecedit autem illam formulam inde a p. 119 nihil nisi post quattuor praefationis uersus (119, 1—4) aduerbii definitio (119, 5 sq.) eiusque explicatio (119, 6 — 125, 5), tum paruula expositio de nomine ἐπίῤῥημα et de collocatione aduerbii (125, 6—16; 125, 16 — 126, 23). Contra sequitur illam formulam longior de iis uocabulis dissertatio, qua sintne aduerbia necne dubitatur (125, 27 — 145, 25). Deinde 146, 1 uerbis 'ἐχομένως σκεπτέον καὶ περὶ τῶν ἐν ταῖς φωναῖς σχημάτων' altera de forma pars indicatur; in qua, postquam 146, 15 — 151, 29 de aliquot singularibus aduerbiis, de quorum scriptura dubitatur, sermo factus est, usque ad finem libelli exceptis illis de notione

1) 154, 2 sqq.; 161, 13 sqq.; 184, 12 sqq.; 192, 15 sqq.; 194, 10 sqq.; 194, 26; 195, 5. 23; 196, 7 sqq.

locis, quos supra commemoraui, ea aduerbia, quae iisdem terminationibus utuntur, generatim percensentur: 151, 30 — 200, 32; nam quae secuntur, usque ad 210, 5 O. Schneiderus l. l. quarto de constr. libro uindicanda esse probauit.

Hanc totius libelli descriptionem perpendenti uidebitur consentaneum paucas illas de definitione nomine collocatione aduerbii paginas non esse eas, quae iure formula '*καὶ τοσαῦτα μὲν περὶ τῆς ἐννοίας τοῦ ἐπιῤῥήματος*' concludantur. Atqui neque Apollonius neque — ut praeoccupetur, si quis hanc clausulam ab interpolatore uenisse statuentem quaestionem se soluere putet — interpolator haec uerba scribere potuit, nisi ea, quae iis concluduntur, re uera exstiterunt idque in antecedentibus. Itaque non possumus non statuere illam de notione partem, quam etiam Eggerus l. l. p. 196 et 198 desiderari obiter monuit, initio formulae illi antecessisse, postea periisse.

Nec desunt alia argumenta, quibus ea coniectura commendetur. In codice uerbis illis 146, 1 '*ἐχομένως σκεπτέον καὶ περὶ τῶν ἐν ταῖς φωναῖς σχημάτων*' praecedit maiusculis exarata haec inscriptio '*δευτέρα διάλυσις διερμηνεύουσα καὶ διαλύουσα τὰ τῶν φωνῶν σχήματα τῶν ἐπιῤῥημάτων· ἡ γὰρ πρώτη περὶ τῆς ἐννοίας αὐτῶν διελέχθη*', ubi urgendus uidetur genetiuus pluralis *αὐτῶν*, i. e. *ἐπιῤῥημάτων*, ut non e 126, 24 haec repetita esse eluceat. Hac igitur ex inscriptione, quam ab Apollonio profectam non esse concedo, luculenter apparet, huic parti longiorem de aduerbiorum significationibus disputationem, cum illa inscriptio insereretur, antecessisse.

Postremo Priscianus [1]) in libro decimo quinto institutionum grammaticarum, qui est de aduerbio, talem aduerbiorum a significationibus depromptam diuisionem exhibet, qualem de se ipso haurire uix uideatur potuisse. Dicit enim aduerbio praeter speciem figuramque etiam accidere significationem (gr. lat. III, 63, 6 H.) enumeratque inde a p. 80, 30 aduerbia temporalia, dehor-

1) Hunc omnino ita Apollonio usum esse, ut singulis suis libris non totam doctrinam et semper ultimam emendatioremque Apollonii sententiam, sed singula scripta proprie respondentia adhiberet, in posterum mihi proposui probare.

tatiua, confirmatiua, iuratiua, optatiua, hortatiua, congregatiua, discretiua, similitudinis, ordinatiua, intentiua. Et in uniuersum se Graecorum aduerbiorum diuisionem respicere ipse profitetur 88, 21 ad diminutiua adnotans 'quae apud Graecos non sunt'. Praeterea autem uestigium Apollonianae originis deprehendo primum in eo, quod, si suam ipsius opinionem protulisset, non eiusmodi uoces inter aduerbia enumerasset, quales sunt 'heia', 'age' imprimisque uocula 'o'. Hanc enim uocem aduerbium esse aut uocandi aut admirandi aut indignandi exponit 89, 3. Contra suam sententiam de hac uocula exhibet in paruulo de interiectionibus, quae grammaticis latinis peculiaris orationis pars est, tractatu (XV, 7, 40); ubi, si dolorem aut rursus indignationem aut admirationem significet, eam pro interiectione se accipere confitetur. Deinde et in omni de aduerbio doctrina et in nonnullis ipsius notionum enumerationis locis congruit cum illo Dionysii Thracis interprete, cui in codice Neapolitano nomen Heliodorus inditum est.[1]) Atque uarios commentarios, quos scholia Dionysii Thracis continent, qui perspexerit, is statuat necesse est Heliodorum aut semper eos Choerobosci commentariorum locos indagasse, ubi ille genuina Apollonii uerba apposuerat, aut ipsius Apollonii scripta inspexisse. Is igitur solus e scholiastis cum omnino saepius Dionysium uituperat, tum ideo, quod de aduerbiis *μεσότητος*, non qualitatis dicat (Bekk. anecd. gr. II, 941, 4—11); itemque Priscianus 86, 23 solum aduerbiorum qualitatis nomen admisit. — Nec minus congruit et cum Apollonio et cum Prisciano scholion adespoton Bekk. anecd. gr. II, 949, 31 — 950, 2, quod propter uituperationis, quae in eo inest, similitudinem eidem Heliodoro tribuerim. Quo scholio *μά* et *νή* uocabula *ὀμοτικά* rectius nominari iudicatur quam *μά* uoculam *ἀπωμοτικόν* et *νή* *κατωμοτικόν*.[2]) Itemque Priscianus 86, 21—30 solorum iuratiuorum

1) Cf. Hoerschelmann., de Dionysii Thr. interpretibus ueteribus commentationis part. I. Lips. 1874.

2) Nam quamquam sola '*μά*' uocula nominatur, tamen grammaticum id nomen, quod nominatim huic uindicatur, alteri quoque '*νή*' tribuisse elucet ex his: primum quidem nomen '*ὀμοτικόν*' latius patens eiusque

mentionem facit, et Apollonius de constr. 52, 7 haec exhibet 'τὰ ὀμοτικά, λέγω τὸ νή, μά', cum uoces ἀπωμοτικόν et κατωμοτικόν ab eius doctrina omnino alienae sint. — Porro, ut Heliodorus 934, 1—7 ad definitionem explanandam obiter monuit altera aduerbia omnibus, altera, ut temporalia, singulis temporibus apponi, deinde in notionum enumeratione fusius de eadem re disputat 936, 23 — 937, 22, ita Priscianus breuiter 60, 9—12, fusius 80, 30 — 83, 8. — Nec minus congruenter localium denique aduerbiorum distinguit et Priscianus 83, 9 — 84, 25 altera, quae discretas, altera, quae communes locorum significationes habeant, et solus rursus e Dionysii interpretibus Heliodorus 944, 5 sqq.[1]) τοπικὰ κοινῶς τόπον σημαίνοντα et τοπικὰ συντάξεις καὶ σημασίας διαφόρους ἔχοντα.

Ex hac uero consensione quae inter duos scriptores, quos ex Apollonio hausisse constat, intercedit, de eis quidem rebus, quae in eo quo hodie utimur epirrhematico non exstant, ab illis autem ex Apolloniana doctrina tractatae sunt, sequitur, utrumque exemplari Apolloniano usum esse, cui epirrhematici pars illa desiderata nondum abrepta erat.

Neque est prorsus noua haec coniectura. Etenim eius tractatus, qui sub inscriptione περὶ ἐπιῤῥημάτων in codice fertur, integritatem in uniuersum quoque corruptam esse iam alii probauerunt. Non repetenda sunt argumenta, quibus O. Schneiderus paginas 200, 1 — 210, 5 ab epirrhematico secernendas esse ostendit. Contra accuratius, quae Dronkius in Mus. Rhen. XII, 321 sqq. de lib. περὶ ἐπιῤῥ. disseruit, respici oportet. Cum enim sex[2]) locis ab Apollonio ad rei alicuius tractatum relegemur,

species 'κατωμοτικόν' eiusdem distinctionis membra efficere nequeunt; deinde pluralis 'αὐτά', qui exstat in scholii clausula hac 'ὥστε δεῖ ὀμοτικὰ μόνον αὐτὰ καλεῖν' docet grammaticum in longiore disputatione, cuius frustula tantummodo seruata habemus, de utraque uocula, et μά et μή, disseruisse.

1) Ibi legendum est sic fere: τὰ τοπικὰ ⟨ἃ μὲν⟩ κοινῶς τόπον σημαίνει, εἰσὶ δὲ ⟨καὶ διάφοροι⟩ αὐτῶν συντάξεις καὶ σημασίαι, ⟨καθὸ⟩ . . .

2) 139, 15; 158, 22; 160, 22; 163, 5; 169, 24; 196, 15, non, ut ipse noluit, septem: nam totam, ex qua septimum (166, 31) deprompsit particulam, ab Apollonio abiudicandam esse infra demonstrabo.

qui in eius scriptis non exstat, disputationes longissimas deesse recte concludit. Idem non audet Apollonii neglegentiae tribuere, quod nisi breuissime uno uel altero loco nulla fit mentio classium aduerbiorum eorum, quae desinunt in *ει, η, ῃ, εν, ες, ις, ξ* et quae in *ε* non praecedentibus *δ, ζ, σ, τ* consonantibus, praesertim cum de *ὀψέ* forma ad ultimae classis expositionem disertis uerbis relegemur his '*ὡς δεδείξεται ἐν τῷ περὶ τῶν εἰς ε̄ ληγόντων ἐπιῤῥημάτων*' (163, 5). Praeterea sicut quod 151, 5 sqq. de aduerbiis in *ε̄ς, ο̄ν, ῡ, ᾱ* exeuntibus et cum nominum formis congruentibus probatum iri indicatur, nempe eadem qua nomina orthographia ea uti, reuera de adu. in *ᾱ* 152, 27; 153, 10, de adu. in *ω̄ς* 169, 29 sqq.; 175, 4 sqq., de adu. in *ῡ* 200, 17. 26 demonstratur, ita idem de adu. in *ε̄ς* et *ο̄ν* demonstratum fuerit necesse est. Adicio equidem hoc: 139, 15 sqq. praeter multas aduerbii *ὑποδράξ* deriuationes etiam ea promittitur, ex qua a uerbo *δέρκειν* id deriuatum esse statuitur; potuit autem haec deriuatio quae nusquam legitur, uix alio loco poni, nisi ubi in tota aduerbiorum in *ξ* desinentium classe rursus aduerbii *ὑποδράξ* mentio fiebat.

Contra falsus est idem uir doctus, quod his locis:

151, 4: *ἡ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων μετάπτωσις εἰς τὰ ἐπιῤῥήματα καθ' οὓς λόγους ἐδείξαμεν ἐν ταῖς ἀρχαῖς κτλ.*

181, 17 sqq.: *κἂν τοῖς κατ' ἀρχὴν ἐδείξαμεν τὰς ὀνοματικὰς πτώσεις εἰς σύνταξιν ἐπιῤῥηματικὴν τιθεμένας κτλ.*

164, 23: . . . *φωναὶ μένουσαι ἐν συντάξει ἐπιῤῥήματα γίνονται, ὡς τὰ ὀνοματικὰ ἅπαντα οὐδεμιᾶς παραφθορᾶς γινομένης ἐν ταῖς φωναῖς. τὰ δὲ ὑποδείγματα πρόκειται, ἄπειρα ὄντα*

ad 119, 8 — 120, 15 respici posse negauit itaque expositionem huius rei ante 146, 15 intercidisse ratus est. — At neque, id quod Dronkius postulat, quaecunque nominum formae possint aduerbii indolem induere, enumerari opus est; neque, quod desiderat multitudinem exemplorum, ad quam respiciens grammaticus iure dixerit '*τὰ δὲ ὑποδείγματα πρόκειται ἄπειρα ὄντα*', hoc quidquam offensionis habet, si nostra de perdita parte priore coniectura stat. Etenim inter formas, quae notio-

num illustrandarum causa afferendae erant, multas nominum formas aduerbiorum loco allatas fuisse uerisimile est.

Ita etiam de loco, quo intercidisse expositionem putat, i. e. de lacuna, quam in p. 146 ante uersum 15 statuit, coniectura cadit. Nam si praeter uiginti sex paginas, quae etiam ut nunc libri status est, antecedunt, tota prior de notionibus pars quae intercidit ante illum locum fuisset, Apollonius dicere nequiuit 'ἐν ταῖς ἀρχαῖς' se de illo loco egisse. Quod autem ex Prisciano et e scholio Dionysii Thracis deprompsit testimonium nihil ualet. Nam schol. 932, 6—12 et 936, 30—32 luce clarius est fluxisse ex Apollonio 120, 1—4. 17 sq. Nec aliunde uenerunt ea, quae Priscianus exemplis suis latinis praemisit 63, 21 sq., eaque, quibus conclusit 65, 10—13, Apollonii uerbis 120, 9—15 respondent.[1])

Contra aliud quid, quod rectius desiderat, eidem fere loco, quo illam de nominum formarum aduerbiorumque synemptosi expositionem inserere uoluit, tribuere potuit. Nam de coni. 232, 8 sq. in epirrhematico demonstratum esse dicit aduerbia ᾱ priuatiuo praedita non rursus ab ipso aduerbio affirmatiuo, sed a nomine iam composito deriuata esse itaque decomposita nominari. Recte igitur collegit Dronkius deesse particulam, qua in uniuersum decompositorum ratio explanetur. Alteri deinde argumento e Prisciano (80, 22 sqq.) et Heliodoro (Bekk. anecd. gr. II, 935, 26 — 936, 5) deprompto potuit adicere tertium non minus graue. Dicit enim Apollonius de constr. 330, 3 sq. 'εἴπομεν ἐν τῷ περὶ μετοχῶν ὡς ἀληθές ἐστι μᾶλλον καλεῖν τὰ σχήματα αὐτῶν παρασύνθετα ἤπερ σύνθετα, καθὸ πᾶν μέρος λόγου κτλ.' Ex quo loco, imprimis e uerbis 'ὡς ἀληθές ἐστι μᾶλλον', elucet hunc terminum ab Apollonio, si non inuentum, at certe usitatiorem redditum esse. Atqui e lib. περὶ ἐπιῤῥ. 144, 10 'ἐν τῷ περὶ μετοχῶν ἐκθησόμεθα' intellegitur Apollonii de participio librum post epirrhematicon scriptum esse. Terminus igitur ille, quod, cum hoc scriberetur, minus erat usitatus, etiam magis ibi quam in libro de participio, Apollonio exponendus erat. Locus autem huius expositionis, quem Dronkius definire supersedit, alius esse ne-

quit nisi post ea, quae 146, 2—14 de specie aduerbii disseruntur. Nam eodem modo scholiastes Dionysii Thracis iam saepius testis aduocatus, p. 936, 7 uituperationi, qua Dionysium afficit, quod duas tantum figuras aduerbii secernat, annectit nouam uituperationem, quod species omnino non commemoret. Praeterea ibi signum lacunae ante 146, 15 uel idcirco ponendum est, quod nouum argumentum non dilucide indicari ab Apollonianae compositionis ratione alienum est. Huc accedit, quod certa quaedam aduerbia, de quibus hoc loco dicendum erat, hic desiderantur. Iamque uideamus, num quae inde deprompta esse possint, inueniantur. Verissime Dronkius omnia, quae leguntur 198, 20 — 200, 16 in media illa parte, ubi tributim aduerbiorum genera percensentur, de illo loco remouenda censuit. At idem falsissime statuit et de totius particulae materia et de loco, unde deprompta essent. Recte enim iam ante eum Lehrsius in Mus. Rhen. II, 340 demonstrauit inde a 199, 1 post maiorem lacunam, in qua caput sequentis explicationis inerat, de aduerbio *τώ* Apollonium scripsisse. Quoniam autem et illa uocula *τώ* et altera, quae ibi explicatur, '*εἴς ὅ*', non, ut uoluit Dronkius, e merismi, sed ex una eademque orthographiae[1]) ratione affertur, dirimere totum locum non licet. Forma autem *εἴς ὅ* in synt. lib. IV p. 332, 12 sqq. ex eadem ratione tractatur. Quare neque ea, quae de hac, neque ea, quae de forma *τώ* dicuntur, alii loco possunt tribui nisi illi de singulis aduerbiis propter orthographiam commemoratu dignis particulae.

Sed remota hac scripturae aduerbiorum *εἴς ὅ* et *τω̄* expositione iustus epirrhematici finis nondum restituitur. Nam antequam de singulari uocis *ἄντικρυς* accentu ageretur, in uniuersum de aduerbiis in *ῡς* exeuntibus disserendum erat; neque iis, quae nunc de forma *εὖ* exhibentur, continentur omnia, quae Apollonius de ea dixerat. Plura enim eum dedisse uidemus e schol. V ad *O* 138: *Ἀπολλώνιός φησιν ἐν τῷ περὶ*

1) Cf. 198, 21 '*εἴς ὅ . . . καὶ ἐν τόνῳ καὶ ἐν πνεύματι ἐπιστάσεως ἐδέετο*' et 199, 1 '*ὀφείλει* (sc. *τὸ τω̄*) *καὶ περισπᾶσθαι καὶ γράφεσθαι τῷ ῑ*'.

ἐπιῤῥημάτων 'ἠῦς καὶ γενικὴ ἠέος καὶ ὑπερθέσει τοῦ ε ἔηος', quae in libello detruncato non exstant.

Iam fortasse quispiam mirabitur, quod illos ipsos de significationibus locos, qui sub finem libelli, ubi ex totius libelli diuisione non exspectantur, leguntur, adhuc fugerim. Et euitaui consulto. Nunc enim cetera omnia indicia ueri ordinis turbati examinata sunt; simulque cognitum est tot diuersorum argumentorum expositiones non fortuito interiisse. Facilius igitur quisque intelleget, quomodo et minores illae in altera parte expositiones, de quibus monui praecipue p. 9 sq., et tota prior pars interciderit.

Nam primum quidem ea coniectura, quam e materiae ratione quisque facile probabit, nimirum locos illos praeter eos duos (151, 2—21; 177, 13 — 183, 4), quorum ratio supra p. 6 explicata est, suo loco non legi, hac re uidetur confirmari, quod horum locorum nonnulli certo disputationis ordine carent. Videamus igitur singulos.

161, 13—25 in uniuersum uidetur indicari disputatio, utrum semper eadem sit nominis et aduerbii inde deriuati significatio necne; uerbisque 'ἔστι γὰρ καὶ ἐν ἄλλοις μέρεσι λόγου πάμπολλα, οἷς ἡ τοιαύτη διαφορά' id, quod aduerbiis accidit, omnino iis opponitur, quae aliis orationis partibus accidunt, non ea, quae singulis aduerbiis, iis opponuntur, quae aliis aduerbiis. Ita ne uocula quidem mutata propterea, quod exempla ἀθεωρητί et ἀκλαυτί allata erant, ex uniuersa de significatione parte huic loco haec inseri potuerunt. Apud Priscianum quidem similis expositio de significatione deriuatarum formarum toti de notione parti annectitur (p. 88, 5 sqq.). — **193, 5 — 194, 21** exceptis 193, 20—29, quos uersus hoc loco remouendos esse infra p. 16 annot. demonstrabitur, sermo fit de aduerbiis in $\overline{\epsilon}$ exeuntibus, ita tamen, ut, priusquam de accentu et deriuatione eorum disseratur, statim ab initio de affectu aliquo agatur, qui proprius est aduerbiorum in $\overline{\vartheta\epsilon}$ uel $\overline{\tau\epsilon}$ exeuntium. Ex Apollonii tamen disputandi ratione apparet antea in uniuersum de aduerbiis in $\overline{\epsilon}$, $\overline{\vartheta\epsilon}$, $\overline{\tau\epsilon}$ exeuntibus

sermonem fuisse. Quam disputationem intercidisse inde intellegitur, quod uerbis *τὰ προκείμενα κατὰ παραγωγὴν τοῦ θε* (193, 5) ad particulam relegamur, qua aduerbiorum in *θε* deriuatio explicabatur. Item et ea, quae sunt de notione aduerbiorum in *σε* desinentium (194, 10—13), et ea, quae de formis aduerbiorum in *ζε* deriuatorum (194, 18—21) proferuntur, frustula tantum partium prorsus diuersarum sunt.

196, 6 sqq. Disputationem inde a 195, 23 de notione aduerbiorum in *ῶ* institutam secuntur haec: 'si quis in exemplo "*καὶ εἴσω δόρπον ἐκόσμει*" *εἴσω*, quando quidem directionem in locum significet, mutare malit in *ἔνδον*, errat; nam hoc rursus contra eam regulam stat, ex qua aduerbia in *δον* exeuntia qualitatem significant'. Deinde uero a uersu 12 iisdem fere uerbis repetitur eadem de iisdem aduerbiis sententia (—14). Verbis porro, quae secuntur '*ἀλλὰ καὶ ὀξύνεται ἅπαντα, καθὼς κατείλεκται*', quoniam antea de aduerbiis in *δον* nihil exstat, rursus eam disputationis de aduerbiorum in *δον* forma particulam, ubi de accentu agebatur, intercidisse docemur, cum alia eiusdem disputationis pars legatur in iis, quae disputantur 197, 16 — 198, 2. Neque enim pertinent haec argumenti tantum loco ad ea, quae de aduerbii *ἔνδον* accentu proferuntur. Nam cum Apollonius formula, quae legitur 197, 9 '*οὐκ ἀγνοῶ μέντοι γε*' ad extremum eam explicationem afferre soleat [1]), quam, etiamsi sibi nota sit, tamen refutandam esse non censeat, tum non modo in illis aduerbii *ἔνδον* mentio fit nulla, sed etiam noua ex hac noua regula statuitur exceptio aduerbii *βοτρυδόν* in paenultima littera *ῡ* praediti. — Rursus igitur totius de notione et de forma aduerbiorum in *δον* particulae frustula seruata sunt.

Neque minus ab iis, quae de adu. in *θεν* exeuntibus **184, 12 — 192, 14** disseruntur, duae priores particulae **184, 12—31** et **184, 32 — 186, 21**, secernendae sunt. Verbis enim initio positis '*αἱ διὰ τοῦ θεν παραχθεῖσαι λέξεις τοπικαὶ ἐπιῤῥηματικῶς τὴν ἐκ τόπου σχέσιν σημαίνουσιν*' indicatur et de sola

---

1) Cf. de adu. 167, 5; de pron. 57, 26; de constr. 27, 15; 45, 13.

notione in sequentibus agi et has uoces opponi aliis localibus, quae aliter exeuntes aliam directionem significent. — Accedit quod, si haec hoc loco ab Apollonio collocata essent, uix explicari posset, cur inde a uersu 13 de primitiuorum et deriuatiuorum aequabilitate dissereretur, tanquamsi primum hic de ea re ageretur nec iam huius rei in iis mentio facta esset, quae de aduerbiis in $\overline{\vartheta\varepsilon}$ desinentibus disputata sunt, 178, 3 sqq.

Haec de iis, quae leguntur 184, 12—31. Sed etiam ea, quae 184, 32 — 186, 21 exstant, uix cum antecedentibus coniuncta erant. Nam cum de notione formarum ἐμέθεν σέθεν ἕθεν disputatur, primum explicatio aliena refutatur; deinde ea profertur sententia, ex qua statuit Apollonius et ea uocabula, quae deriuantur, et ea, unde illa deriuantur, saepe idem significare. Quae sententia quamquam iisdem fundamentis nititur, quae in antecedentibus 184, 16—31 iacta sunt, tamen ne minima quidem horum ratio habetur; sed denuo eadem fundamenta partim iisdem, partim aliis exemplis collocantur. Quapropter non iniuria suspicaberis initio has expositiones non tam arte coniunctas fuisse et posteriorem ex ea particula depromptam esse, ubi de iis agebatur, quae num in aduerbiorum numero habendae essent dubitari poterat. Nam similiter in antonymico de iis uocabulis, de quorum merismo ueteres grammatici dissentiebant, p. 26, 23 — 35, 5 agitur, priusquam singula pronomina, quae e communi consensu ei orationis parti adnumerantur, percenseri incipiuntur uerbis his (49, 8) ‘ἑξῆς ἐπὶ τὰς κατὰ μέρος χωρητέον’. Et satis magnas reliquias eiusdem epirrhematici particulae etiamnunc habemus p. 126, 24 — 145, 25. Atque haec particula priorem de notione totam partem uidetur secuta esse. Nam saepius Apollonius multo magis e notionis quam e solius formae ratione de merismo diiudicandum esse monet.[1]) Itaque in epirrhematico, postquam de notione aduerbii pars antecedit, facilius inde ea potuerunt argumenta repeti, quibus refutarentur ii, qui de falsis argumentis profecti

1) Cf. de adu. 134, 22; 164, 29; de constr. 48, 14; 47, 1. 6. 24.

nonnulla uocabula aduerbiis adnumerabant. Nam uide de iis uocabulis, de quorum dubio merismo etiamnunc in reliquiis nostris epirrhematici agitur, disputari ita, ut de notionibus depromantur argumenta aut omnia, ut de uocibus *πύξ* et *λάξ* 141, 1—15, de *ὄφελον* 142, 9—14, de *δεῦρο* 142, 15—19, aut grauiora, ut de uocula *ὤμοι* 126, 29 — 127, 18, de *χρή* et *δεῖ* 128, 10 — 132, 15, de *ἕκητι* 138, 13 — 139, 13, de *ὑπόδρα* 140, 5—30, de numeralibus indeclinabilibus 142, 1 — 142, 8.

Restant tria [1]) aduerbiorum genera ea, de quibus O. Schneiderus et G. Dronkius l. l. monuerunt binis locis disputari et ita quidem, ut clare altero loco de forma, altero de notione agi indicetur. Sunt autem loci hi:

---

1) Tria dico, quoniam quartum, quod Dronkius deprendisse sibi uidetur, 176, 7 sqq. et 193, 20—28, neutiquam eam causam prae se fert, cur idem genus bis afferatur. Cuius causae indicium Dronkius sane depromit de eo, quod 194, 1 *συνύπαρξις τῶν εἰς* $\overline{\tau\epsilon}$ *ληγόντων ἐπιῤῥημάτων* statuitur, quam dici putat intercedere inter aduerbia, quae in $\overline{o\upsilon}$, et ea, quae in $\overline{\tau\epsilon}$ desinunt, ita 'ut et *ἀγχοῦ*, *αὐτοῦ* et *ἄλλοτε*, *πάντοτε* omnia *τὸ ἐν τόπῳ* significent'. At ubinam apud Apollonium duabus uocibus, inter quas *συνύπαρξις* intercedere dicitur, idem significari sumitur? Immo aut significat uocem aliquam non nisi una cum certa altera exhiberi, ut articulus semper cum nomine (de constr. 16, 28), aut dicitur de iis, quae diuersa significant ab una eademque uoce deriuata (de adu. 163, 7; 196, 22; de constr. 120, 18; 342, 16). Praeterea ne quadrat quidem ea significatio, quam ille hoc loco sibi assumpsit: nonne enim, cum aduerbiis *αὐτοῦ*, *ἀγχοῦ* locus, ubi quid fiat, significetur, aduerbia *ἄλλοτε*, *πάντοτε* sunt temporalia? An putat Dronkius etiam ea, quae porro ipse Apollonius apposuit *οὗ ὅτε*, *ποῦ πότε*, *ὅπου ὁπότε*, omnia *τὸ ἐν τόπῳ* significare? Immo et haec optime quadrant ad alteram uocis *ὕπαρξις* notionem, et quadrabunt antecedentia *ἄλλοτε πάντοτε*, si, id quod uel uocula *πάλιν* postulat, quae ex iis, quae nunc leguntur, non explicatur, scribemus ita: '*παρὰ ἄλλος φωνὴν* ⟨*τὸ ἄλλοσε καὶ*⟩ *πάλιν τὸ ἄλλοτε παρά τε τὴν παντὸς* ⟨*τὸ πάντοσε καὶ*⟩ *τὸ πάντοτε*'; ut aduerbiorum in $\overline{\tau\epsilon}$ desinentium et cum iis, quae in $\overline{\sigma\epsilon}$, et quae in $\overline{o\upsilon}$ exeunt, *συνύπαρξις* statuatur. Nunc quoque interrogationi, quam nemo, qui inscriptionem, quae est '*ἔστι καὶ συνύπαρξις τῶν εἰς* $\overline{\epsilon}$ *ληγόντων ἐπιῤῥημάτων*', accuratius legerit, non faciet, respondere possumus; addenda nimirum inscriptioni illi sunt haec: '*τοῖς εἰς* $\overline{\sigma\epsilon}$ *ἢ* $\overline{o\upsilon}$'. — Ea autem quae praecedunt 193, 20—28, cum R. Schneidero, si non Apollonio, at certe eius de adu. libro abiudico.

163, 7 sqq.: *βαρύνεται καὶ ὅσα συνυπάρχει τοῖς εἰς $\overline{θεν}$ λήγουσιν ἐπιῤῥήμασιν κτλ.*	192, 15 sqq.: *παράκειται τοῖς εἰς $\overline{θεν}$ λήγουσι τὰ ἐν τόπῳ κτλ.*
165, 20 sqq.: *τὰ εἰς ω̄ λήγοντα βαρύνεται κτλ.*	195, 23 sqq.: *τὰ εἰς ω̄ λήγοντα ἐπιῤῥήματα σημαίνει καὶ τὸ ἐν τόπῳ καὶ τὸ εἰς τόπον.*
163, 28 sqq.: *ὁμοίως καὶ τὰ διὰ τοῦ $\overline{φι}$ παραγόμενα βαρείας ἔχεται τάσεως κτλ.*	194, 22 sqq.: *εἴπομεν ὡς τὰ διὰ τοῦ $\overline{φι}$ παραγόμενα αὐτὸ μόνον τῆς παραγωγῆς ἔχεται τῆς διὰ τοῦ $\overline{φι}$ . . . ἔχεται μέντοι καὶ ἕτερα ἐπιῤῥηματικῆς ἐννοίας . . .*

Monendum uidetur et has de notione aduerbiorum particulas et maiorem partem earum, quas iam ab altera epirrhematici parte abiudicauimus, sub finem rursus inde a 192, 15 — 197, 15 deinceps aliam aliam excipere. Reliquum est ut quaeratur, quomodo hae duplices ut uidetur de iisdem argumentis expositiones defendi possint. Et O. Schneiderum, qui Apollonium, cum de localibus aduerbiis in $\overline{θεν}$ disputaret 184, 12 — 192, 14, correlatiua quae uocant in $\overline{ου}$, $\overline{θι}$ uel $\overline{σι}$, $\overline{φι}$, ω̄ genera quamuis antea illustrata apte iterum produxisse censuit, rectissime refutauit Dronkius in Mus. Rhen. XII, 345 sq., non conatus explicare, quomodo haec in librum irrepserint. Neque poteris explicare, nisi et in aliis de notione particulis supra p. 6 sq. et 13—16 tractatis et in tribus his, p. 16 sq. expositis mecum agnosces frustula prioris libelli partis consulto seruata et sub finem inserta. Nam uel illas, ubi nunc leguntur, iniuste insertas esse uidimus. Itemque has parti alicui, quae erat de notionibus, tribuendas esse certissime concludendum est et ex inscriptionibus supra appositis et ex diuersa argumenti ratione, quatenus priore quoque loco (163, 7 sqq.; 165, 20 sqq.; 163, 28 sqq.) de forma, tum (192, 15 sqq.; 195, 23 sqq.; 194, 22 sqq.) de notione disseritur.

Et nunc quidem rursus totum libri statum, qualis nunc est, omniaque et quae desiderantur et quae non ibi leguntur, ubi ab Apollonio scripta erant, perpendens unusquisque pro-

babit coniecturam meam. Hanc enim miseram condicionem non modo temporum iniquitate, qua nonnulla eorum, quae desiderantur, interiisse Dronkio concedo, sed multo magis ex certo interpretis alicuius consilio euenisse credo. Puto igitur aliquem, qui compositionem Apollonii operum non perspexisset, librum ita detruncasse, ut tota de notionibus parte de suo loco mota ea, quae ei seruanda uidebantur, i. e. ea, quae locis supra p. 6 sq. et 13—17 tractatis exstant, ex altera parte passim libro suo insereret, ex altera eaque maiore in illa de uariorum generum notionibus sub finem totius libelli digressione congereret.

Caput II.

De syndesmico.

Firmatur nostra de epirrhematici statu coniectura etiam eo, quod simile quid syndesmico accidisse demonstrare possumus. Et corruptum esse hunc quoque librum, qualem nunc habemus, cum alii uiderunt, tum Schoemannus[1]) lacunosam epitomen restare dicit.

At non tam iustam superesse credo epitomen, quippe qua omnem materiem comprehendendam fuisse censeo, quam singulas reliquias maiores nescio quo arbitrio consarcinatas. Nam nunc quidem de pluribus nihil, de iis, de quibus agitur, plena plerumque disputatio exstat. Attamen etiamnunc cognoscimus, quaenam huius quoque libelli compositio et quam similis aliorum fuerit. Ut iam ad librum de aduerbio p. 5 monuimus, etiam hanc disputationem imprimis in duas se partes diuisurum esse libri initio (p. 213, 15) Apollonius indicat. Cum autem in epirrhematico eas ita tractet, ut prius totam de notione, deinde de forma quaestionem absoluat, in syndesmico rem ita instituit, ut cuiusque de singulis coniunctionum generibus expositionis has partes distinguat; cf. 220, 23; 235, 4; 253, 28.

1) 'Redetheile' p. 218 annot. 1.

Simul in singularum coniunctionum enumeratione ea, de quibus item se acturum esse 213, 16 sqq. promittit, absoluit, annotans ad singulas, utrum encliticae sint necne (ita 257, 8 sqq.; 258, 12), itemque, utrum simplices sint necne (ita 236, 19 sqq.; 239, 2 sqq.).

Aliam uero quaestionem de iis uocibus, quae utrum in coniunctionum numero habendae essent necne dubium erat, uidetur, ut in antonymico, libri initio tribuisse. Probatur haec opinio his locis:

257, 7 sqq. in expletiuarum enumeratione postquam *θήν, ῥά, νύ, πού* idem significare quod *δή* dictum est, adicitur '*εἴρηται δὲ καὶ περὶ τοῦ πού, ὡς οὐκ εἴη σύνδεσμος, ἐπίῤῥημα δὲ παρέλκον*'. Solet autem Apollonius plerumque eiusdem libri locos non adiecto titulo laudare, cum aliorum inscriptionem apponat. Neque erat omnino ullius alius libelli iustior locus, quo de hac re moneret. Iam igitur intelleges uix in alio atque hoc libello uixque alio eius loco de hac re disputatum esse, nisi eo, ubi omnino de iis uocibus disserebatur, quae num coniunctionibus adnumerandae essent diiudicandum erat.

Idem concludes e **221, 24** sqq.: '*καθότι προείπομεν ἐν τοῖς κατ' ἀρχήν, τοῦ τὸ μᾶλλον καὶ ἧσσον συνδέσμους εἶναι*'; et quadrat profecto pulcherrime in nostram coniecturam, quod ad libri initium relegamur.

Ex eadem denique particula deprompta esse puto ea, quae **222, 1—23** de uocula *ἤ*, num aduerbium sit an coniunctio, disputantur. Haud enim apte haec quaestio, quae toti de coniunctione *ἤ* loco aut praemittenda aut postponenda erat, in mediam de *ἤ* disertiua disputationem inserta est, ut huius disputationis uerba '*ὅτι ἡ τοιαύτη διαφορά*' prorsus careant quo referantur. Neque uero aliter accipi possunt nisi de coniunctione *ἤ* disertiua. Itaque in iis, quae proxime insecuntur, uerbis '*εἰς τὴν διασαφητικήν*' rursus manum eius deprehendimus, qui libellum in suum usum transformarat et id, quod transpositione, quam fecerat, intellegi nequiuit, explicabat. At quae haec est sententia: 'coniunctionis *ἤ* notio disertiua e dis-

iunctiua mutata est in disertiuam'? Immo deletis uerbis '*εἰς τὴν διασαφητικήν*' sic interpretanda est sententia: 'uidetur per sensus quandam mutationem ex *ἤ* disiunctiua *ἤ* disertiua facta esse'. — Praeterea aliud quid in iis, quae 216, 10 — 223, 22 de *ἤ* coniunctionis uariis notionibus disseruntur, ualde me offendit. Incipit 219, 12 quae est de *ἤ* subdisiunctiua disputatio uerbis '*ἔστι καὶ τρίτη διαφορὰ τῶν προκειμένων συνδέσμων, ὁ παραδιαζευκτικὴ καλουμένη*' similibusque ea, quae est de *ἤ* disertiua 221, 16 '*ἔστι καὶ ⟨τρί⟩τη διαφορὰ τοῦ ἤ συνδέσμου, ἥτις καλεῖται διασαφητική*'. Miror enim hunc numerum *τρίτη* diuersis rebus bis inditum esse. — At dixerit fortasse quispiam pro Bekkeri supplemento ⟨*τρί*⟩*τη* si potius suppleatur ⟨*τετάρ*⟩*τη*, totam offensionem remoueri. Non recte id quidem. Nam 222, 26, ubi tota de illis differentiis quaestio comprehenditur, trium mentio fit ita: '*ἐκκείσθωσαν γὰρ αἱ διαφοραί· ἐπαγγέλλεται γὰρ τὸ διαζευκτικόν· „ἐὰν τοῦτο, οὐ τοῦτο", „εἰ τοῦτο μή, τοῦτο". καὶ ἔτι „ἢ τοῦτο ⟨ἢ⟩ καὶ τὸ συνὸν ἢ ⟨τὰ⟩ συνόντα ⟨ἢ καὶ τὰ ἐπιφερόμενα⟩", ὅπερ καλεῖται παραδιαζευκτικόν· τὸ δὲ λειπόμενον „τοῦτο, οὐ τοῦτο"*'. Recte igitur uoculae *ἤ* notio disertiua tertia appellatur huius coniunctionis species, ut suspiceris potius in 219, 12 sqq. mendum inesse. Accedunt, quae hanc suspicionem augeant, alia: 216, 16 — 218, 19 ea disiunctorum enuntiatorum statuitur differentia, ut alia suapte natura (*φύσει, ἀληθῶς*) disiuncta esse dicantur, alia non nisi disiunctiuis coniunctionibus additis, quas etiam cum copulatiuis permutare liceat. Ita ex harum quoque sententiarum natura induit eadem coniunctio disiunctiua diuersas notiones. Est autem haec altera coniunctionis *ἤ* significationum diuisio eadem, de qua 219, 12 — 220, 22 similiter disseritur, peculiari tamen nomine *παραδιαζευκτικοῦ συνδέσμου* addito atque explicato: ita enim ea nominatur, quae etiam in *καὶ* mutari potest, cum altera, quae *φύσει διαζευκτική* est, *κατ' ἐξοχήν* maneat *διαζευκτική*. Quibus de causis in uerbis '*ἔστι καὶ τρίτη διαφορὰ τῶν προκειμένων συνδέσμων*' 219, 12, nisi tota secunda de disiunctiuarum et subdisiunctiuarum notione particula ex alio libro adscripta ueram de subdisiuncti-

uarum nomine dissertationem remotam esse statuas, facile agnosces inscriptionem minime aptam lectoris cuiusdam, qui antecedentium et sequentium similitudinem uel aequabilitatem non perspexerat.

Quae praeterea ex Apollonii uerbis, quae ad deperditos locos spectant, de libelli compositione concludere licet, haec sunt. 215, 14 uerba 'σύνδεσμοι οἱ προκείμενοι' ad antecedentia referenda sunt; ex quibus, quamquam e foliis madore corruptis male transcripta multis lacunis scatent, tamen etiamnunc cognoscere possumus ibi de iis coniunctionibus, de quibus quaestio est, non tam peculiariter disseri, ut illis uerbis iure ad ea relegemur. Suspicaberis igitur primum tuo iure hoc loco deesse initium longioris de disiunctiuis disputationis.

Sed multo plura hoc loco intercidisse uidentur. Nam etiamsi R. Schneidero 214, 10 post uocem δύναμιν totum folium periisse concedas et statuas dimidium folium 93 et totum 94 uacua relicta esse, tamen non ad iustam lacunae magnitudinem peruenies. Credendum enim est iis quae περὶ μερισμοῦ συνδέσμου 214, 4 agi coepta sunt, annexam fuisse uniuersam de coniunctionum sensu disputationem eiusque definitionem aliorum grammaticorum aliqua ratione habita; deinde, ut iam uidimus, ea, quae dicenda erant de iis uocibus, quae quali orationis parti tribuendae essent, grammatici fluctuabant; denique totas de nonnullis coniunctionum generibus expositiones, quas disiunctiuarum explicationi antecessisse probare possumus. Nam uel ex tota ratione, qua 220, 10 sqq. copulatiuarum et continuatiuarum sensum notum esse sumitur, iure concludas de iis iam antea disputatum esse; sed etiam apertis uerbis 217, 24 relegamur ad ea, quae antea de continuatiuis exstiterant, sed non seruata sunt. Ad idem genus spectant loci 251, 1 et 242, 8 δεῖ δὲ νοεῖν, ὅτι τὸ διότι ἕν ἐστι μέρος λόγου, καθὸ ἐπεδείξαμεν τὰς προθέσεις ἐν ἀπτώτοις ἑνοῦσθαι. Qui locus cum ex Apollonii ratione iam supra p. 19 exposita paene necessario ad eundem nostrum libellum referendus sit, tum uix aliam partem, ubi de re hic laudata quaeri potuerit, inuenies nisi eam, ubi de continuatiuis in iisque de uoce ἐπεί

eiusque e praepositione ἐπί et coniunctione εἰ compositione[1]) dissertum est.

Ad copulatiuas autem antea enumeratas relegamur locis his: 250, 23; 251, 8; 256, 13. Ad easdem spectat praeterea 250, 12: *ἔτι ὁ ʽδέʼ σύνδεσμος ὅπως παραλαμβάνεται καὶ ἐπὶ ποίᾳ δυνάμει ἐκτεθείμεθα*; attamen ex his, ubi de iis actum sit, concludere non licet, quia in codice exstat ʽ*ἐκτιθέμεθα*ʼ, quod fortasse seruandum esse censet R. Schneiderus.

Sed alia difficultas inde nascitur, quod locorum illorum ratione habita iam ante disiunctiuas de continuatiuis et subcontinuatiuis actum fuisse colligendum uidetur. Namque Priscianus XVI, 1, 4 (= p. 95, 13 sq. H) Apollonium continuatiuas et subcontinuatiuas una cum adiunctiuis et effectiuis et proprie causalibus uno causalium genere comprehendisse docet. Contra nunc duae priores illae species in particula ante 215, 14 deperdita tractatae uidentur esse ab hisque secretae 231, 4 sqq. ceterae communi inscriptioni causalium subiunctae enumerantur. Videamus igitur, quomodo hanc difficultatem soluamus. — Ac primum quidem infitior Apollonium ita, ut 231, 4 sqq. nunc quidem legitur totam de causalibus expositionem incepturum, sed, ut adsolet, accurate indicaturum fuisse, nec post hanc de aduerbio ἕκητι digressionem (231, 4 — 234, 12). At haec expositio ab ea particula, ubi de uocibus dubii merismi disserebatur, tam amplo spatio dirempta est, ut uerba ʽ*πρὸ τῆς καταλογῆς τῶν αἰτιολογικῶν ἐπιστατέον μορίῳ τῷ ἕκητι, τί ποτʼ ἂν εἴη μέρος λόγου*ʼ (231, 4 sq.) falso huc esse inserta existimem. Sunt autem etiam per se non apta: neque enim causalium enumeratio (*καταλογή*) hanc disputationem subsequitur, sed magis in uniuersum 234, 13 — 235, 4 de earum notione communi disseritur. Quodque maximum est, in his reliquiae quaestionis ex Apollonii doctrina, ut docet Priscianus l. l., profectae et idcirco accuratius tractatae abditae uidentur esse. Nam ibi agitur de proprie causalium notione, in eis quae secuntur etiam de effectiuis atque adiunctiuis *ἵνα ὄφρα ὅπως*

1) Vide de hac doctrina de constr. 337, 24.

sermo est. Desideratur denique transitio, qualis alibi exstat 'ἰτέον ἑξῆς ἐπὶ τὰς φωνάς' (254, 1) uel simile quid. Atque reuera uerbis 'οἱ αἰτιολογικοὶ σύνδεσμοι καὶ ἀκολουθίας εἰσὶ πάλιν δεκτικοὶ καὶ ὑπάρξεως' (234, 13) proxime antecessisse non minus uniuersam de subcontinuatiuis disputationem testatur luculentissime aduerbium πάλιν. Hoc enim ita explicandum est, ut etiam in proxime antecedentibus actum esse statuamus de eis coniunctionibus, quae rursus item, ut proprie causales, et ordinationem uel consequentiam et essentiam rerum significent, i. e. de ipsis illis subcontinuatiuis.[1]) — Vides igitur ex illa parte, ubi e Prisciani testimonio Apollonius sub communi causalium titulo de quinque continuatiuarum, subcontinuatiuarum, adiunctiuarum, effectiuarum, proprie causalium generibus disseruerat, idque priore, quam quo nunc fit loco, ut docent loci p. 21 sq. laudati, haec frustula in eum quo nunc leguntur locum esse translata.

Restat denique, ut, quomodo status libelli qualis nunc est euadere potuerit, paucis explicem. Puto enim ea, quae nobis de Apollonii syndesmico seruata sunt, deberi alicui, qui singula capita, nescio quo usus consilio, neque singulis sententiis in uniuersum coartatis neque ordine seruato elegerit atque consarcinarit. Quot autem coniunctionum explicationes et enumerationes ille non transscripserit, cognoscimus, si paruum numerum seruatarum explicationum comparamus cum Prisciani (XVI, 11) coniunctionis generum enumeratione haud dubie ex Apollonio hausta. Ibi enim, si cum C. F. Iahnio[2]) uocem 'ablatiua' tamquam uocis 'abnegatiua' glossema deleueris, sedecim enumerantur genera.

Sed quamquam ad syndesmici quoque statum explicandum eandem atque in epirrhematico rationem adhibendam censeo, tamen non dico omnia, quae desiderantur, eius qui reliquias nostras consarcinauit consilio periisse. Etenim primum in fine

1) Cf. Bekk. anecd. graeca II, 966, 1 — 967, 2.
2) Grammaticor. graec. de coni. doctr. p. 22.

nonnullarum expletiuarum explicatio intercidere potuit. Sed deinde, ut dimidium folium 93 et totum 94 in codice uacua relicta sunt, haud dubie propterea, quod quae in archetypo ibi scripta fuerant, legi nequierunt, ita plerarumque editionis Schneiderianae paginarum uel primus obtutus potest docere, quantum prae ceteris Apollonii scriptis syndesmicon temporum iniquitate deprauatum sit. Itaque hoc loco ea afferenda putaui, quae ex iis, quae ita perierunt, loco suo me reddere posse spero.

215, 2 frustula relicta sunt haec: '... *των, ἐν ᾧ ἐπεδείξαμεν*' et **222, 10** '*ἐδείξαμεν ἐν τῷ ... ῥήματι τὸ⟨ν⟩ ἂν σύνδεσμον*' *κτλ.* Dronkius supplet priore loco ⟨*ἐν τῷ περὶ ἐπιῤ-ῥημά*⟩*των, ἐν ᾧ ἐπεδείξαμεν*, altero *ἐδείξαμεν ἐν τῷ* ⟨*περὶ ἐπιῤ*⟩*ῥημάτ*⟨*ων*⟩. Non recte. Nam quoniam epirrhematicon post syndesmicon scriptum esse uel hinc cernitur: p. 133, 13 '*καὶ ἐν τῷ περὶ συνδέσμων ἐξεθέμεθα*' et p. 133, 20 '*ἠκριβώθη ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος ἐν τῷ περὶ συνδέσμων*', non licet locos illos ita restituere, ut ad epirrhematicon tamquam ante syndesmicon compositum uideantur respicere. Alia igitur scripta ibi laudata fuerint necesse est. Equidem puto priore loco, quippe quo de synthesi agatur (cf. 215, 5. 7. 11), scribendum esse '⟨*ἐν τῷ περὶ σχημά*⟩*των*', ad quem libellum de simili quaestione p. 236, 23 relegamur his '*ὡς ἐντελῶς ἀπεδείξαμεν ἐν τῷ περὶ σχημάτων*'. Altero autem loco scribendum censeo '*ἐν τῷ* ⟨*περὶ*⟩ *ῥηματ*⟨*ων*⟩'; ibi enim, cum de modo hypothetico et potentiali disserebatur, rem, quae tangitur, fusius tractare debuit eadem fere ratione, qua de coni. 220, 8 de uerbo *ἀκολουθεῖν* et coniunctione *εἰ* etsi idem ualentibus, tamen in diuersarum orationis partium numero habitis agitur.

218, 3 sqq. tota inde a 216, 16 disputatio, qua exponitur, quod discrimen inter coniunctiones disiunctiuas et subdisiunctiuas intercedat et quomodo cum copulatiuis et cum continuatiuis commutari possint, concluditur uerbis his in codice lacunosis et iam ab aliis partim suppletis: '*τὰ μέντοι ὑπολείπο*⟨*ντα ἀδιαίρε*⟩*τα* [1]) *τῶν λόγων, λέγω τὰ μὴ ὑποπίπτοντα* ⟨*ὑπὸ τὸ*

1) Sic Egenolffius, Ann. philol. 1878. p. 846.

τοιοῦ⟩τον [1]) εἶδος (i. e. genus proprie disiunctiuarum) ὑπ' αὐτῶν τῶν συνδέσμων πείσεται ...... θαι ἢ συνῆφθαι'. — Ultimam lacunam I. Bekkerus expleuit ⟨τὸ διεζεῦχ⟩θαι. At antea exposuit Apollonius cum subdisiunctiuis et copulatiuas et continuatiuas commutari posse (217, 11—13. 16 sq.); restituo igitur locum ita: 'πείσεται ⟨τὸ συμπεμλέχθαι ἢ διεζεῦχ⟩-θαι ἢ συνῆφθαι'.

220, 4: post genetiuum ἀκοῆς tale quid desideratur ⟨ἔνθεν οὖν ἐζ⟩ητήθη (cf. de adu. 125, 22 ᾧ λόγῳ οὖν).

223, 12 sqq. postquam antecessit exemplum, ubi quaenam ἤ particulae notio accipienda sit dubitari nequit, sequi exemplum, ubi de hac re dubitare liceat, elucet ex iis, quae 223, 16—22 in utramque partem disseruntur. Itaque uel hac de causa Egenolffii (l. l. p. 847) supplementa reicienda sunt haec: 'ἐπὶ μέντοι τοῦ α 164 ὅ⟨τι πάντως ἀνάγκη⟩ τὸν ἕτερον νῦν παραδέξασθαι, τὸν δὲ ἕτερον ⟨ἀποβλητέον, σαφὲς ἐντεῦθεν⟩'. — Equidem sic potius scribendum censeo: ἐπὶ μ⟨έντοι τοῦ⟩ [2])

πάντες κ' ἀρησαίατ' ἐλαφρότεροι πόδας εἶναι
ἢ ἀφνειότεροι χρυσοῖό τε ἐσθῆτός τε (α 164)

ο⟨ὐ δῆλον, εἰ δεῖ⟩ [3]) τὸν ἕτερον νῦν παραδέξασθαι, τὸν δὲ ἕτερον ⟨παραιτεῖσθαι⟩'.

224, 15 sqq. sententiae quae 14 sq. est 'τὰ πάθη οὐ τῶν δηλουμένων, τῶν δὲ φωνῶν' afferuntur exempla etiam haec 'καὶ ἡ „παρά" λέγεται πάρ· „πὰρ Ζηνὶ", παρφολω ..... [4]) αττον δηλοῖ ἐντελοῦς τῆς „πάρα"'. — Ac primum quidem sub litteris παρφολω latere uidetur praepositio coniuncta cum datiuo illius pastoris nominis, quod inuenitur apud duos auctores aliis quoque locis [5]) ab Apollonio laudatos; legimus enim apud Theocritum VII, 149

'ἆρά γέ πᾳ τοιόνδε Φόλῳ κατὰ λάϊνον ἄντρον
κρατῆρ' Ἡρακλῆι γέρων ἐστάσατο Χείρων';

1) Sic R. Schneiderus. 2) Sic iam I. Bekkerus.

3) Et nouem fere litterarum spatium inter ο et τὸν ἕτερον in A intercedere annotat R. Schneiderus.

4) Quinque uel sex litterarum spatium ibi esse annotat R. Schneiderus in progr. Colon. 1867. p. 13.

5) Ita de constr. 120, 14; 127, 10. — De pron. 75, 19. 22.

itemque Pholus ille cum Hercule coniungitur in Epicharmeae alicuius comoediae titulo a scholiasta Aristot. Eth. Nicom. III, 5, 5 tradito: nam quod ibi exstat '⟨Ἐπίχαρμος⟩ ἐν Ἡρακλεῖ τῷ παρφόλῳ' recte a Camerario in ἐν Ἡ. τῷ πὰρ Φόλῳ correctum est.[1]) Vides igitur utroque loco litteras illas librariorum stultitia coaluisse. — Praeterea in litteris αττον reliquias agnosco comparatiui ἔλαττον, de cuius constructione uide exemplum, quod exstat de constr. 237, 27 'τὰ πρωτότυπα ἐν ἐλάττονι καταγίνεται ὕλῃ τῶν παραγώγων'. Itaque totum locum sic reficio: 'καὶ ἡ „παρά" λέγεται πάρ· „πὰρ Ζηνί", „πὰρ Φόλῳ"· ⟨καὶ οὐκ ἔλ⟩αττον δηλοῖ ἐντελοῦς τῆς πάρα'.

225, 20 Bekkeri supplementum 'ἀλλ' ὡ⟨μολογη⟩μένως λείπεται ἡ φράσις τοῦ ἤ' non sufficit. Docet enim R. Schneiderus in progr. Colon. 1867 p. 13 post litteram ω̃ quindecim sedecimue litteras intercidisse. Magnitudinis igitur lacunae ratione habita scribendum censeo 'ἀλλ' ὧ⟨δε λεγομένη ὁμολογου⟩μένως'. Hanc enim ultimam formam Apollonius de constr. 124, 14 exhibet: ὁμολογουμένως οὖν κτλ.

230, 27 sqq.: 'Rerum duarum uoce εἶτα coniunctarum altera prius, altera postea est, uoce καὶ coniunctae ambae una sunt. Hoc ultimum uerbis quae nunc corrupta sunt, 'εἰ μέντοι τὸν „καί" παραλαμβάνομεν, ἀμφο .... γίνονται'[2]) dictum fuisse necesse est. Quare Schneideri supplementum ἀμφό⟨τεροι⟩ non satisfacit potiusque scribendum est ἀμφό⟨τεροι ἅμα⟩ γίνονται.

Loci deinde **238, 8—12** ualde corrupti nonnullas saltem lacunas explere me posse credo: In uersu 11 sic scribo '⟨παραθετέον⟩ ἔτι εἰς ἀπόδειξιν τοῦ λόγου καὶ τὸ ἀσυν⟨έλευστον[3]) εἶναι⟩ καὶ ἐν γένους παραλλαγῇ καὶ

---

1) Cf. Welcker, Kl. Schr. I, 299; Bergk, reliqu. comoed. att. antiquae, p. 149 annot.

2) Sic, non γίγνονται; R. Schneiderus in hac quidem re uidetur non satis sibi constare.

3) De uocis ἀσυνέλευστος notione conferri possunt loci hi: de constr. 304, 9; de pron. 45, 24; 114, 4 sq.

ἀριθμοῦ κτλ.' h. e. 'si *τοὔνεκα* esset *ἀνταποδοτικόν*, ut *οὕνεκα* uox, semper in omni numero omnique genere in unam formam contractum maneret, quod non est'. — In litteris autem '*τῶν εν συ*' uersus 15 haud dubie exemplum uocis *ἕνεκα* cum plurali numero coniunctae agnoscendum est. Nam claris uerbis uers. 11 sq. indicatur exemplis quae e formulae et in plurali et in feminino diuersitate et in duas uoculas diremptione petantur, *τοὔνεκα* non esse uocis *οὕνεκα ἀνταποδοτικόν* probatum iri. Exstat exempli gratia eiusmodi locus in Solonis fragm. 37 (colleg. Bergk):

τῶν οὕνεκ' ἀρχὴν πάντοθεν κυκεύμενος
ὡς ἐν κυσὶν πολλαῖσιν ἐστράφην λύκος,

ubi, quia *οὕνεκα* rectius cum uerbis solis coniungitur, Bergkius Hesychii glossa '*τάρχη* (*ταρχή*)· *τάραξις* et *ἄταρχος· ἀτάραχος* et *ταρχαίνειν*' nisus bene coniecit:

τῶν ἕνεκα ταρχῇ πάντοθεν κυκεύμενος.

Tum in uersu 19 uerba secuta esse existimo sensus huius '*καὶ οὐκ ἔστιν ἐ⟨κείνου τοῦ σχή⟩ματος ἡ αὐτὴ ἀπολογία*'.

Lacunarum quae exstant 240, 30 sq. haec proposuit supplementum Egenolffius l. l. p. 847: '*ὥστε ἐξ αἰτίου αἴτιον ⟨ἐπιφέρεσθαι καὶ⟩ ἐν δ⟨υσὶ μορίοις⟩ τὸ αἰτιολογούμενον· „ἕνεκα γὰρ τούτου ἦλθες", δια⟨λαμβά⟩νουσί τε οὕτως*'. — At non placet, quod particula *καί* post *ἐπιφέρεσθαι* inserta ipsum exemplum coniungit cum sententia grammaticorum, qui in eiusmodi exemplis '*ἕνεκα γὰρ τούτου ἦλθες*' figuram *ἐπιπλοκῆς* statuentes *ἕνεκα* cum pronomine, *γὰρ* cum uerbo construebant. Offendit praetera elocutio '*ἐν δυσὶ μορίοις εἶναι*', quo termino Apollonius significat elocutiones ut ex uariis orationis partibus formatas, ita unum corpus unamque notionem efficientes.[1]) Minus autem probatum est uerbum *διαλαμβάνουσι*, quod semper apud Apollonium 'disserere de aliqua re'[2]), nusquam autem id, quod hoc loco postulatur 'resoluere' significat; ut taceam

1) Cf. de adu. 148, 23; 184, 10; 203, 32; de coni. 235, 31; 236, 7.

2) Ita *διαλ. περί τινος*: de constr. 22, 8; 32, 13; 33, 6; 95, 3; 162, 27; 167, 7; de adu. 141, 16; *διαλ. ὑπέρ τινος*: de pron. 8, 6; et ad idem redit *ἐκεῖνο διαλ. ὡς*: de constr. 31, 5.

de mutatione litterarum *κα*, quae in codice exstant, in *δια*. — Equidem locum sic reficere malim: 'ὥστε ἐξ αἰτίου αἴτιον ⟨ἀκολουθεῖν⟩· ἐν δ⟨υσὶν ἄρα λόγοις⟩ τὸ αἰτιολογούμενον „ἕνεκα γὰρ τούτου ἦλθες" κα⟨τὰ τούτους, ἀναλ⟩ύουσί τε οὕτως'.

243, 4 sq.: 'ἐν ὁμοφωνίᾳ παραλαμβάνεται ⟨τὰ τοιαῦτα (scil. neutra) τῇ ἐκ⟩[1]) κλίσεως ἐπί τε εὐθείας καὶ αἰτιατικῆς καὶ ἔπει ... κλητικῆς'. Voculae ἔπει loco, quam in codice trium litterarum spatium subsequitur, I. Bekkerus scripsit ἐπί; sed ad lacunae magnitudinem propius accedes mecum scribens 'καὶ ἔτι ἐπί'. Quae coniectura firmatur eo, quod uoculis καὶ ἔτι ultimum membrum addere Apollonius ualde adamat.[2])

Satis huc usque de uniuerso utriusque libelli ordine ac statu exposui. Iam igitur transeo ad singula uitia, quae in utroque opere restant, accuratius examinanda.

Sunt autem quattuor corruptelarum genera, quibus praecipue ueterum auctorum opera foedantur: interpolationes, lacunae atque omissiones, transpositiones, singularum formarum corruptelae. Ex his autem transpositiones maioris quidem ambitus locorum, quippe quae eius, qui libellos nostros in usum suum consarcinarat, consilio debeantur, necessario iam in duobus prioribus capitibus tractaui. Restant haud ita multae singularum uel plurium interdum uocularum transpositiones. Sed quia eiusmodi transpositiones ita solebant existere, ut primum uoculae transpositae omitterentur, deinde superscriberentur, tum falso loco in textum irreperent, paucas illas ei adiciam capiti, quod erit de lacunis atque omissionibus. Agam igitur primum de interpolationibus, deinde de lacunis et omissionibus, postremum de singularum uocum corruptelis.

1) Sic Egenolffius rursus in ann. philol. 1878 p. 847.
2) Ita de constr. 21, 5; 22, 12; de adu. 128, 25; 172, 9; de coni. 253, 25.

Caput III.

De interpolationibus.

Ac primum quidem interpolationum ab initio secernam eas, quae e dittographiis aliisque librariorum neglegentiae uitiis originem ducunt, quas in omnibus scriptis Apollonianis alii indagarunt. Sufficiat apposuisse solius epirrhematici et syndesmici, ubi delet iam I. Bekkerus 121, 8 particulam *ὡς*, 142, 7 articulum *τά*, 145, 9 uerbum *παρελαμβάνετο*, 161, 1 praepositionem *ἐν*, 242, 5 uoces *φῶς ἐστι*; F. I. Bastius 152, 5 formam *γέρον*; Lehrsius 226, 28 uerbum *γέγραφας*; Schoemannus 133, 19 uerbum *ἐχρῆν*; Skrzeczka 174, 12 praepositionem *περί*; 201, 14 uoculam *γάρ*; 209, 6 uerba *ἐγένετο ἀπὸ κεῖθι*; Uhligius 155, 12 negationem *οὐ*; R. Schneiderus 131, 5 uerba *πρὸς ᾧ*, 207, 20 particulam *γάρ*. Quibus haec addo:

136, 8: Apollonius, postquam uocem *ἠνορέα* simplicem esse refutauit, ueram deriuationem propositurus ita pergit '*ἀλλὰ καὶ τὰ τοῦ λόγου τῇδε ἔχει*'. — Nec tamen complures secuntur explicationes, sed una. Ergo delenda est particula *καί*. — Eadem particula alio loco concinnitatis causa, quam legem in exemplis afferendis ubique [1]) Apollonius obseruat, remouenda est, dico **164, 3**, ut enim *ἄμμι ἄμμιν, ἔχουσι ἔχουσιν, λέγουσι λέγουσιν* sine particula afferuntur, ita ne inter *παισί παισίν* quidem uoces desideratur. Item **199, 25** inter quartum et tertium exemplum eadem particula delenda est. — Eadem de causa articulus *τό* 136, 23; 152, 20; 194, 17 et *ὡς* particula 139, 23 ante tertium membrum delenda sunt. — In p. 185 non modo particula *γάρ*, quae legitur in u. 29, a Bekkero deleta, sed etiam ea, quae est in u. 27, e u. 23 repetita est. Nam etiamsi apud Apollonium saepissime ante *γάρ* particulam praetermissionem sententiae, quae facile suppletur, inuenimus, quid h. l. supplendum sit, uix conicies. — Denique de coni. **252, 11** genetiuus *ἑκάστου* e uerbis *καθ' ἕνα ἕκαστον* iniuria *ἕνος* genetiuo additus est. Dicit enim Apollonius, quoniam plures sint

1) Locos numeraui 1066.

formae, paucae notiones, sufficere unum quod proposuerit exemplum uocis *τοί*; unamquamque autem coniunctionem expletiuam perlustrare longum esse.

Grauiores autem interpolationes uiri docti deprehendisse sibi uidentur has: Skrzeczka 124, 25—27 in uerbis '*διὸ καὶ κατὰ ἀπόφασιν τῶν προειρημένων δύο χρόνων ἐθεματίσθη· ᾧ λόγῳ καὶ τὸ σώφρων τὸ ὃ προσλαβὸν νοεῖται μόνως ἀρσενικόν*' et 151, 29 in uerbis '*οὐχ ὥς φησι Τρύφων διὰ τὸ μακρὸν ᾱ*'; Wachsmuthius in explicatione quae exstat 129, 19 '*τουτέστιν ὃ δηλοῖ τὸ ἀπαρέμφατον*'. — R. Schneiderus in peruersa hac explicatione 168, 9 '*λέγω ἢ τὸν ἀνωτάτω ἢ κατωτάτω*', praeterea 145, 10 in uerbis '*καὶ γένους μὴ εἶναι διακριτικόν*', denique in tota de aduerbiis in $\overline{ου}$ exeuntibus expositione ea, quae continetur uerbis 193, 20—29.

Sed multo pluribus interpolationibus epirrhematicon et syndesmicon [1]) ab interpretibus deprauata esse arbitror, qui uel similes locos Apollonianos adscripserunt uel sententias difficiles explanauerunt uel impugnauerunt.

Ac primum quidem apponam eos locos, ubi exemplorum ab Apollonio explicatorum concinnitas atque integritas aliis exemplis insertis deletur. Praemitto autem in uniuersum de Apolloniana exempla afferendi ratione haec. Et in libris de constructione et in scriptis minoribus 1066 locis exempla exstant. Quorum locis 747 bina, locis 291 plus bina exempla afferuntur, cuius rei causa facile perspicitur.[2]) Ternis uero

---

1) De reliquorum librorum interpolationibus alias disputabimus.

2) Apponuntur omnes personae: cf. de pron. 33, 6; 102, 12; 105, 26; 107, 18. 21 sqq.; 109, 4; 110, 16 saepius; omnia genera: cf. de pron. 60, 22; de constr. 321, 10 sqq.; omnes numeri: ut de pron. 17, 20; 103, 20; de constr. 188, 4; omnes casus: ut de pron. 5, 23; 8, 18; 53, 14; de adu. 171, 11; de constr. 63, 2; omnes aduerbiorum localium directiones: ut de adu. 206, 22; de constr. 333, 22; 336, 11; 340, 23; quam plurima uel eorum quae aduersarii posuerant, uel nouae regulae uel totius classis exempla. Exempla huius generis plura sunt, quam ut exscribam. Solent autem haec significari uocibus formulisque his: *τὰ τοιαῦτα*, *τὰ ὑπόλοιπα*, *τὰ προκείμενα*, *πάντα*, *ἅπαντα*, *ἐπὶ παντός*, *πάντοτε*, *πολλάκις*, *ἄλλα πάμπολλα*, *πλεῖονα*,

exemplis Apollonius utitur 28 locis neque intellegimus, cur non binis prolatis contentus fuerit. Quorum 17 infra adnotata [1]), cum nulla prauitatis uestigia in eis insint, corrigere non audeo. At reliquos 11 locos, quibus tertio aliquo exemplo et concinnitas tollitur et contra consuetudinem illam bina exempla afferendi peccatur, iam emendabimus.

123, 20: proferuntur exempla, quibus demonstrat grammaticus aduerbium *αὔριον* non cum praeterito coniungi: '*αὔριον γράφω, αὔριον γράψω*'. Sequitur '*αὔριον ἀναγινώσκω*'. Quod ab Apollonio additum esse nego, quoniam tertium exemplum eadem symmetria, qua cetera, allatum eodemque modo per diuersa, quae apponi licet, tempora perductum esse exspectamus. Nam quominus concinnitatis restituendae causa quartum membrum addas *αὔριον ἀναγνώσομαι*, impedimur eo, quod toto hoc loco Apollonius non amplius unum exemplum per ea, per quae licet, tempora perducit. — Eadem de causa **129, 12** tertium exemplum '*βούλομαι φιλολογεῖν*' coll. c. synt. 227, 13 '*θέλεις γράφειν, ἀναγινώσκειν βούλει*', delere malim quam cum Wachsmuthio scribere *προαιροῦμαι φιλολογεῖν*. Porro **143, 15** *ᾄδοντες ὑμνεῖτε* uerba, quae sensu carent et sola triadem exemplorum efficiunt, delemus. — Item **160, 26** uerba *ἀντῶ ἄντα* e textu remouenda sunt utpote et inconcinne allata neque ulla de causa exemplorum triadem efficientia. — **170, 29** uerba '*καὶ ἀσαφῶς*', ut concinnitas cum uersu antecedente seruetur, tamquam e u. 25 repetita delenda uidentur. Praeterea enim, etiamsi e formis *ψευδής — ἀψευδής — ἀψευδῶν* recte declaratur aduerbium *ἀψευδῶς*, ex iisdem tamen non *ἀσαφῶς*; et si Apollonius ad hoc omnes illos gradus repetere noluit, tale quid saltem addendum erat: '*οὕτως ἔχει*' (cf. 134, 17). — Simili de causa in eiusdem paginae u. 20 inducendum est *ψευδέως*.

τὰ πλεῖστα, ἐθιμώτερον, ὡς ἔχει καί, οὕτως uel *τῇδε ἔχει, ἐκκείσθω ὑποδείγματα*, similibus.

1) Sunt hi: de pron. 8, 24; 26, 27; 38, 13; 78, 8; de adu. 191, 8; de coni. 234, 9; 237, 20; 246, 27; de constr. 19, 8; 28, 25; 45, 15; 53, 4; 62, 24; 192, 11; 242, 2; 324, 25; 328, 14.

185, 15 uerba 'παρὰ τὴν αὐτόθεν αὐτῷ', quae totam constructionem turbant, remouenda sunt. Neque enim exempla idem ualent atque 'παρὰ τὴν αὐτοῦ τὸ αὐτόθεν καὶ παρὰ τὴν τούτου τὸ τουτόθεν', quoniam sine ulla particula annectuntur, cum illa inter se particula *καί* coniuncta sint. Praeterea hoc exemplum idem significat atque illorum prius. Differt enim eo tantum, quod de dorica forma eiusdem uocis mentio fit, deriuationis autem gradus inuersi sunt. Quominus autem cum exemplis formarum Doriensium coniungamus, impedit inconcinnitas, quae exsisteret: nam exemplum ab eo, qui forte in margine posuit, quantum ad formam, prioribus illis adaequatum est.

194, 17: si Apollonius ultima exempla *ἀγχόσε*, *τηλόσε* addidisset, ea etiam explicasset. Nam nisi eadem, quae ad antecedentia explanatio et deriuatio adicitur, id, quod demonstrandum est, neutiquam perspicitur, nimirum aduerbia in $\overline{σε}$ exeuntia eodem accentu uti, quo ea, quae in $\overline{θεν}$ et quae in $\overline{θι}$ desinunt. — Praeterea Apollonius aut in u. 14 post *ἄλλοθεν* et in u. 17 post *κυκλόθεν*, ut in u. 15 post *πάντοθεν*, particulam *καί* posuisset, aut ne hoc quidem loco admisisset; neque articulum *τό* ante uocem *κυκλόσε* u. 17 adiecisset. Quamquam hoc loco ista menda haud confidenter scribae codicis tribuere audeam, quoniam hac potissimum epirrhematici particula is, cui eius reliquiae debentur, rudissime grassatus est.

199, 10 sq. exempla 'δι' Ἀλεξανδρείας, διὰ τοῦ Ἑλλησπόντου' eius sunt, qui ut uerbis *δι' Ἀριστάρχου* praepositionis *διά* cum persona, ita uerbis *δι' Ἀλεξανδρείας* eiusdem cum nomine locum significante coniunctae exemplum satis dilucide exprimi aut non uidit aut non putauit. Praeterea, quod iam hic moneo, in antecedentibus, ut nunc leguntur, falsus sensus existit hic et *δι' Ἀριστάρχου* et *δι' Ἀλεξανδρείας*, si de personis dicuntur, significant 'γιγνώσκοντας Ἀριστάρχου'. At solus Aristarchus persona est, quare rectior responsio, quam postulat sequens *τὸ δέ*, ita restituenda est, ut scribamus: *δῆλον ὡς σημαίνει ⟨τὸ⟩ μὲν ἐπὶ ἐμψύχων κτλ.*

204, 16 'καὶ τὸ ἀναύδως' additum ab aliquo, qui uerbis

τῆς αὐτῆς ἐννοίας non intellexit respici ad τὸν ἄφωνον ut in u. 13 aduerbium τόνῳ eadem, quae in substantiuo inerat, significatione uti dicebatur.

De coni. 233, 21—24: exposuit Apollonius saepe simplicia e compositis deriuata esse. Exempla, quae affert, concluduntur formula 'εἰς τὸ αὐτὸ συναχθήσεται', i. e. eidem explicationi denique subiungendi sunt uersus Σ 178 et π 45. Nihilo secius 21 sqq. noua exempla afferuntur. Sed et illa formula et sententiae inconcinnitas testantur uerba 'γείτονες ἠδὲ ἔται — προπύλῳ' ab eo addita esse, qui alia eiusdem rei exempla fortasse ex Apollonii libris quaesierat; prius exstat etiam de adu. 136, 24 sq., ibique una cum π 45.

243, 23 offendo in eo, quod imperatiuo δός tria enuntiata ἵνα γράψω, ἵνα γράψῃς, ἵνα γράψῃ addita sunt, cum in sequentibus singula enuntiata primaria cum singulis secundariis coniungantur. Accedit, quod, si exempli gratia δός interpreteris 'da mihi tabulam, ut scribam', in secundam personam eadem interpretatio non quadrat. Quacunque ergo ratione interpretaberis, omnes personae eidem nunquam subiungentur. Puto igitur secundam et tertiam personam male e u. 14 sq. repetitas esse.

Secuntur alia exempla talium explicationum, quales iam Wachsmuthius 129, 19 et R. Schneiderus 168, 9 agnouerunt (cf. p. 30).

De adu. 120, 14 sq. exstant haec: 'διὰ τοῦ τοιούτου ὑποδείγματος δεῖ τοὺς διακρίνοντας τὰς τοιαύτας συνεμπτώσεις τῷδε τῷ λόγῳ κεχρῆσθαι'. Sed et per se et si cum iis, quae respondent apud Prisc. III, 65, 12 H: 'sic igitur discernas nomina uim aduerbiorum recipientia uel non' conferes, uerborum 'διὰ τοῦ τοιούτου ὑποδείγματος' et 'τῷδε τῷ λόγῳ' tautologiam animaduertes. Est autem 'τῷδε τῷ λόγῳ κεχρῆσθαι' minus proprie dictum, quam priora, in quibus inest peculiare Apollonianum exempli nomen ὑπόδειγμα, quod interpolatores non perspexisse eorum falsa παραδείγματα correctio 206, 23 docet. In fine igitur enuntiati mendum latere ratus

initio exstitisse censeo 'διὰ τοῦ τοιούτου ὑποδείγματος δεῖ διακρίνειν τὰς τοιαύτας συνεμπτώσεις'.

123, 14 sq. uerborum 'οὕτως ὥστε καὶ τὰ ἀμφίβολα τῶν ῥημάτων τῇ ἰδιότητι τῆς συντάξεως ἀπολύεσθαι τῆς ἀμφιβολίας διὰ τῆς ἰδίας αὐτοῦ παραθέσεως' his διὰ τῆς ἰδίας αὐτοῦ παραθέσεως e u. 27 'διὰ τῆς τούτων παραθέσεως' repetitis uerba τῇ ἰδιότητι τῆς συντάξεως circumscribuntur.

139, 9 ὁ ἐπιβλέπων τοὺς δεσπότας haud dubie glossema. Neque enim Apollonius uel maxime inusitatorum quae affert exemplorum notionem addere solet. Et quidni etiam δρωπάζειν explicatur? Quibus causis 152, 15 in uerbis 'παρὰ τὸ δαίω', accedit tertium idque graue argumentum, quod explicatio non statim id uocabulum subsequitur, cuius illustrandi causa additur.

147, 11 uerba 'ἀρχομένου τοῦ ε̄ ἀπὸ φωνήεντος' uel, ut correxit Dronkius, 'ἀρχόμενον ἀπὸ τοῦ ε̄ φωνήεντος' delenda esse censeo, cum ut tradita sunt intellegi nequeant. Sed etiam quae Dronkius restituit, et prorsus superuacanea sunt, et concinnitatem delent. Redolent praeterea doctrinam scholarum byzantinarum, ubi pueruli uoces, quae a diphthongo ε̄ῑ inciperent, easdem a uocali ε̄ incipere separatim docendi erant.

154, 1 in codicibus sunt haec 'τὰ μὴ οὕτως ἔχοντα τῶν εἰς θ̄ᾱ λήγοντα ὀξύνεται, δηθὰ οὐ παρακείμενον εἰς θ̄ε̄ν̄, τριχθὰ μέντοι καὶ τετραχθά'. Quibus in uerbis I. Bekkerus [1]) λήγοντα uocem in ληγόντων non bene mutauit. Quare Skrzeczka (II, 26) participium λήγοντα in λήγοντι correctum post uoces εἰς θ̄ε̄ν̄ collocauit et particulae μέντοι explicandae causa statuit aduerbii in θ̄ᾱ barytoni exemplum intercidisse. At barytonorum in θ̄ᾱ aduerbiorum exempla in antecedentibus multa allata et inde a δηθά iam oxytona afferri coepta sunt. Quare uocem μέντοι deleo. Et improbo explicationem, e Skrzeczkae coniectura ortam, 'οὐ παρακείμενον εἰς θ̄ε̄ν̄ λήγοντι'. Etenim saltem exspectaremus 'τινὶ [2]) εἰς θ̄ε̄ν̄ uel ὁμοίῳ εἰς θ̄ε̄ν̄ λήγοντι' uel simile quid. Neque aduerbii δηθά exem-

1) Huic etiam nescio quo iure negatio οὐ offensioni erat.
2) Cf. de adu. 149, 3.

plum quod subiungitur regulae antea expositae, eadem regula postea rursus probari oportet. Omnia potius illa uerba delenda sunt, quippe quae ex explicatione ad uerba *τὰ μὴ οὕτως ἔχοντα* ascripta fluxerint, huius fere sensus: '*ἃ εἰς θα λήγονται, οὐ μέντοι παρακείμενόν τι εἰς θεν ἔχουσι*'. — Sensus autem huius enuntiati hic est: etiam *ἔνθα* proprie est forma aeolica pro altera *ἔνθεν* usurpata, quoniam (*εἴγε*), si ita se non haberet, ut cetera in *θα* aduerbia, quorum terminatio non est aeolice uel dorice dicta pro communi *θεν*, oxytona sunt, ita et ipsa 'oxytonos' proferenda esset.

170, 5 sq.: ad regulam ante expositam respiciunt haec '*ἔκκειται μὲν οὖν πρῶτος λόγος, ὅτι διὰ τοῦτο ἢ περισπᾶται ἢ βαρύνεται*'; sequitur uerborum *διὰ τοῦτο* explicatio haec '*διὰ τὸν παρεπόμενον τόνον τῇ πληθυντικῇ γενικῇ*'. Quam superuacaneam et falsam esse contendo; dici enim nequit aduerbium aut perispomenon aut barytonon esse propter accentum, qui est in genetiuo plurali, sed propterea, quod eius accentum accipit. Illa igitur dicendi peruersitas caecum interpretem prodit. Item **180, 15** uerba '*παραγωγῆς τυγχάνοντα τῆς διὰ τοῦ δέ*' tanquam e lectoris uerborum '*τὰ προκατειλεγμένα ἐπιῤῥ.*' explicatione textui illata remouenda sunt. Nam ut nunc leguntur, condicionaliter accipienda sunt, quod sensu caret. Post *ἐπιῤῥήματα* autem uocem uersus antecedentis nemo uerba illa inseret, quia *τὰ προκατειλεγμένα ἐπιῤῥήματα, τόπου ἴδιον ἐχόμενα*, alia esse non possunt nisi aduerbia in *δε* deriuata. Nam de iis antea dictum est et ea sola propriam formam aduerbialem habent, cum *οἶκον δέ, ἀγρὸν δέ* elocutiones non propriam aduerbialem, sed et nominis et particulae formam continere Apollonius doceat.

Neque ab Apollonio uenisse arbitror explicationem formulae *τούτων τῇδε ἐχόντων*, traditam **184, 6** '*παρελκομένης τῆς „ἐν" προθέσεως ἐν τῷ ἐναγχός*'. Nam quae illa formula colliguntur, res sunt duae, itaque duae explicationis loco exhibendae erant: et praepositionem *ἐν* uocabuli *ἐναγχός* abundare neque eis syllabis abundantibus accentum mutari. — Simili explicandi studio debetur relatiui *ὅπερ* explanatio, quae exstat

205, 12: 'τὸ διελέγχεσθαι εἰς ἀκαταλληλότητα'. Nam illud relatiuum spectat ad antecedentia 'ἐδόκει ἀλόγως τίθεσθαι' (scil. τὸ εἴσω in exemplo 'εἴσω δόρπον ἐκόσμει'), ut aliter ac 'τὸ δοκεῖν ἀλόγως τίθεσθαι' uel similiter explicari non debuerit. Neque, si in sequentibus duplicem esse aduerbii εἴσω directionem probatur [1]), in illo exemplo ἀκαταλληλότητα inesse statuere licet.

Iam uenimus ad interpolationes aut maioris ambitus aut propterea cognitu difficiliores, quod artissime cum geminis Apollonii uerbis coniunctae sunt. Quas iam paginarum seriem secuti perlustremus:

De adu. 119, 14 sqq. Apollonius ut demonstret se in definitione suo iure aduerbium partem orationis indeclinabilem nominasse, eam explicat differentiam, quae est inter adiectiua, si quae aduerbiorum notionem induunt, et ea, quae meram adiectiuorum, i. e. nominum significationem seruant. Dicit igitur nominum cum uerbis constructione affectum, qui insit in casualibus, significari et, si praeter nominatiuum etiam casus aliqui obliquus adhibeatur, ad eum nominatiui actionem uerbo expressam pertinere. Et ita accuratissime respondent his duabus nominis cum uerbo constructionibus priora duo, quae secuntur, exempla: in priore, quod est 'Τρύφων περιπατεῖ', ut uerbi neutrius cum subiecto tantum exstat constructio, ita de solius subiecti affectu mentio fieri potest; sed rectissime in altero 'Τρύφων τύπτει Διόνυσον', in quo inest uerbi actiui et cum subiecto et cum obiecto constructio, Apollonius statuit diabasin, i. e. transitionem actionis. Iam propter hanc inter expositionem quae praecessit et exempla eam explicantia responsionem Schoemanni (op. ac. IV, 244) u. 13 uocis διάβασις in διάθεσις mutatio reicienda est. Nec maiore iure uir doctissimus offendit in hac iunctura 'ἐνεργητικὴ διάβασις', qua significetur subiecti actio transitiua, quae aliis locis ab Apollonio nominetur διάθεσις ἐνεργητική uel διαβιβαστική. At

1) Cf. u. 19 sq. ἐξαιρέτως οὖν ἀναμερισθὲν τὸ ἔνδον ἀναγκαίως διελέγχει τὴν δισσὴν χρῆσιν (Egenolffius: σχέσιν) τοῦ εἴσω.

effugerunt eum uerba paene eadem, quae praecedunt 'ἡ διάβασις ἡ ἀπὸ τῆς ἐνεργείας'; hic enim non de solo actiuo, sed omnino de iis uerbi generibus disseritur, quibuscum casus obliquus coniungi potest, i. e. de actiuo et de passiuo, ut in uerbis illis et in his de quibus sermo est actionis siue actiuae siue passiuae ab altera persona ad alteram transitio insit.

Quae si recte disputauimus, nec Schoemanni coniectura opus est, et duo illa exempla iam commemorata sufficiunt. Sed legimus tertium in u. 14. Quod si cum praecedentibus contuleris, concedes inconcinnitatem quandam oriri. Cum enim illa sine copulatiua particula adiuncta sint, huic praecedit particula *καί*. Et si quis opposuerit secundum et tertium inter se artius coniuncta esse, ei respondendum est tunc explicationem, quae sequitur inde a 'ἡ ἐκ τοῦ Τρ. — Διόνυσον', hoc tertium demum exemplum sequi debuisse. Porro, quidni, si reapse haec artius inter se cohaerent, rursus, ut in altero, *διάβασις*, sed *διάθεσις* statuitur?

Iam uidemus, unde haec interpolatio fluxerit, nempe ex eo, quod *διάβ. ἐνεργ.* a docto quodam interpolatore eodem modo, quo a Schoemanno nostro, falso de solo actiuo intellegebatur. — Praeterea ne aptum quidem est exemplum. Nam cum antea exponatur, si casus obliquus addatur, ad hunc esse actionis transitionem, in hoc exemplo, cum passiua notio insit, ad casum rectum est. Quam actiui in passiuum mutationem si hoc loco Apollonius afferre noluisset, haud dubie aut antea in uniuersum aut nunc ad ipsum exemplum explicasset.

Sed ne altera quidem huius argumentationis ea particula quam nunc habemus Apolloniana est. Ad eam enim respiciens adiectiuorum cum uerbo constructionem, quae inde a 119, 8 explicatur, iam non casualia, sed aduerbia esse dicit ea casualia, quae eiusmodi cum nominibus constructionem non accipiant, nihilo secius tamen cum uerbo coniungantur. At quaenam *τοιαύτη πτωτικῶν πρὸς τὰ ὀνόματα σύνταξις* in antecedentibus commemoratur? Nullam equidem uideo itaque puto sic restituendam esse genuinam Apollonii sententiam: '*τὰ δὴ οὖν πτωτικά, τὴν τοιαύτην σύνταξιν πρὸς τὰ ῥή-*

ματα μὴ ἀναδεξάμενα'. Est autem sententia haec: 'casualia, quae eam, quae antea commemoratur, cum uerbo constructionem, i. e. eam, quae affectum in ipsis casualibus per horum ipsorum flexionem expressum efficiat, non accipiunt, sed tantum eodem modo, quo adiectiuum substantiuo, uerbo adiecta sunt, ea pro aduerbiis habentur'. Illam enim uerbi *ἐπικείμενα* significationem esse intellegitur e synt. 18, 6 '*τὸ ἐπίῤῥημά ἐστι ῥήματος ἐπιθετικὴ σύνταξις*' coll. c. Prisc. XVII, 21 (III, 121, 3 H) 'aduerbium quod uerbi est ui adiectiuum'. Praeterea, quod ita conclusimus, luculentissime firmatur uerbis quae in u. 2 legimus '*ἅπερ* (sc. *τὰ ῥήματα*) *πρὸς ἕτερα πτωτικὰ τὴν τοιαύτην σύνταξιν ἐποιοῦντο*'; aduerbia igitur aliam atque adiectiua cum uerbis constructionem efficiunt, sed non cum nominibus.

Sed hoc enuntiatum etiamsi meliorem uersus primi lectionem respicit, tamen pro spurio habeo. Quod prorsus superuacaneum esse ex proxime antecedentibus apparet. Neque Apollonius alia casualia ut nomina, alia ut aduerbia construi, sed eadem casualia modo nominum modo aduerbiorum uim habere docet. Quibus concessis cum logicae legibus obstet *ἕτερα* adiectiuum, non dubito hoc quoque enuntiatum tanquam commentatoris explicationem delere.

121, 9 sqq.: Apollonius postquam exposuit ut adiectiuum substantiuo, non substantiuum adiectiuo, ita aduerbium uerbo, non uerbum aduerbio indigere, docet nomen et uerbum principales esse orationis partes, quibuscum ceterae tanquam ad sententiam perficiendam coniungantur. Quarumque quoniam participium iam commemoratum erat, enumerat deinceps articulum, qui cum casualibus, aduerbium, quod cum uerbo, praepositionem, quae cum utroque coniungatur; ex qua duplici constructione etiam anastrophe eius explicatur (cf. de constr. 304, 26 sqq.). Deinde rursus uerbis infra allatis eas aut cum uerbo aut cum substantiuo construi dicit: '*διὸ καὶ μόναι ἀναστροφῆς ἔτυχον καὶ τῇδε δύναται συντάσσεσθαι, λέγω ὀνόμασι, καὶ τῇδε, λέγω ῥήμασι*'. — Sed uerba 'modo possunt coniungi, dico cum nominibus, et modo, dico cum uerbis', sensu

carent. Atque etiamsi e synt. 321, 17 sqq. sic fere locum restitues 'τῇδε δύναται συντάσσεσθαι ⟨κατὰ τὴν παράθεσιν⟩, λέγω ὀνόμασι, καὶ τῇδε ⟨κατὰ τὴν σύνθεσιν⟩, λέγω ῥήμασιν', tamen hoc enuntiato idem dicitur, quod modo dictum est, unde locum delendum esse concludo.

122, 13—15: uerba 'καὶ τὸ καταφατικὸν δέ, ἰδίᾳ λεγόμενον, πάλιν πρὸς ἀπαρτισμὸν τοῦ ῥήματος τοῦ λεγομένου παραλαμβάνεται· πρὸς γὰρ τὴν „ἔγραψας"; φωνήν φαμεν „ναί" ἢ „οὔ"' quamuis coll. c. synt. 117, 26 sq. et 245, 28 sq. doctrinam Apollonianam redolentia ab hoc loco remouenda sunt. Argumentationis enim inde a p. 120, 19 ordo hic est. Ut demonstret aduerbium praedicare aliquid de uerbo, Apollonius primum ea affert adiectiua, quae aduerbia fiunt, si quid de uerbis praedicant; et ut adiectiua substantiuis indigeant, non substantiua adiectiuis, ita ait uerbo effici sententiam, aduerbio non effici (— 121, 13). Quam sententiam optime ea secuntur exempla, in quibus solum aduerbium, quod ad uerbum subaudiendum spectat, sententiam efficere uidetur, uelut acclamationes et interiectiones (— 121, 26). Tum se id, quod eo usque in uniuersum probarit, singulis exemplis demonstraturum esse dicit; et promisso satis facit inde a 121, 27 — 122, 12 et 122, 16—33. Haec igitur exemplorum series interrumpitur uerbis uersuum 13—15 supra appositis, quibus nouum argumentum rei iam pridem absolutae affertur, dico 'οὐ μόνον ῥητοῖς οὖσι τοῖς ῥήμασι τὰ ἐπιῤῥήματα προσφέρεσθαι'.

Quam difficultatem ut remoueret, Dronkius in Mus. Rhen. XII, 337—41 uerba inde a 120, 19 — 122, 34 sic transposuit: 120, 19 — 121, 13; 121, 27 — 122, 12; 122, 16—34; 121, 19—26; 122, 13—15; 121, 14—19, concedens se unde illa disturbatio orta sit nescire. Attamen reicienda est haec artificiosa ratio, qua in mediam particulam ea transponuntur, quae ad totam concludendam Apollonius apposuit 122, 23 sq. 'καὶ τοσαῦτα μὲν περὶ τοῦ ὅτι κατηγορεῖ τῶν ῥημάτων τὸ ἐπίῤῥημα'. Nam etiam ea, quae Dronkius post hanc conclusionem posuit, ante eam lecta esse intellegitur e 121, 16 sqq., ubi docemur acclamationibus significari, quae de uerbis praedicentur. Iam

R. Schneiderus (symb. phil. Bonn. l. l.) post uerba 'καὶ τὸ καταφατικὸν δέ' inseruit haec '⟨καὶ τὸ ἀποφατικόν⟩'. — Sed locum esse spurium ex aliis quoque intellegitur: ἰδίᾳ, quod alioquin significare solet id, quod rei praeter cetera proprium est [1]), h. l. idem ualet atque 'per se, solum, uerbo non addito'. At significatio non magis propria est quam si adicitur uerbo. — Porro λεγόμενον, tantulo spatio diuersa significatione repetitum, priore loco idem fere est, quod λαμβανόμενον, altero, quod προκατειλεγμένου, προϋφεστηκότος. — Denique, id quod maximum est, quid est ἀπαρτισμὸς τοῦ ῥήματος? Semper enim inuenies et uerbum ἀπαρτίζειν et nomen ἀπαρτισμός cum substantiuo διάνοια uel λόγος coniunctum.[2]) Et semper ad ἀπαρτισμὸν τοῦ λόγου uerbum solum sufficere [3]) neque aduerbio ad sententiam efficiendam indigere dicitur.

125, 6—16: quaeritur, cur aduerbium, quamquam uerbo et praeponatur et postponatur, tamen ab altera ex his positione nomen suum ἐπίῤῥημα acceperit. Et Lehrsius quidem (quaest. ep. 112 ann. 2) ἐπιτάσσειν h. l. intellegendum putat 'postponi' et ἐπίῤῥημα 'uocabulum uerbo postpositum'. — At hoc et per se in praepositione ἐπί inesse nequit et prorsus abhorret ab iis, quae Apollonius ipse inde a u. 16 exponit, nimirum falso aduerbium postponi, quoniam ui quidem adiectiuum sit uerbi, adiectiuum autem uerbo suo praeponi soleat. Nec magis Lehrsii interpretatio commendatur eo, quod, ut eam obtineat, et u. 7 et u. 15 negatio οὐ ei inserenda et u. 9 uerbum ἐπιτάσσεσθαι in προτάσσεσθαι mutandum est.

Quibus de causis iam Skrzeczka (II, 23) hoc quidem loco ἐπιτάσσεσθαι, quod alioquin nihil nisi 'apponere' significare concedit, accipi posse putat pro 'praeponere', nisus oppositione, quae intercedit inter ἐπιτάσσεσθαι et ὑποτάσσεσθαι, et collatis Dionysii Thr. scholiorum his: 'πάλιν δὲ ἐζήτησαν,

1) Cf. de constr. 12, 15; 13, 10 et 22; 18, 14; 265, 21; de adu. 120, 24; 183, 19.

2) De adu. 121, 3; de constr. 300, 4; 90, 5; 227, 19 ἀπαρτίζειν τὸν λόγον.

3) De constr. 90, 5; 261, 12; de adu. 121, 3.

εἰ πρὸ ῥήματος καὶ μετὰ ῥῆμα[1]) *τάσσεται, οἷον „καλῶς γράφω, γράφω καλῶς“, πῶς ἀπὸ θατέρας τῶν συντάξεων*[1]) *ἐπίῤῥημα μόνον καλεῖται, οὐκέτι δὲ καὶ ὑπόῤῥημα*' (p. 933, 9 sqq.) et '*διὰ τί δὲ τοῦ ῥήματος καὶ προτασσόμενον καὶ ὑποτασσόμενον μόνον ἐπίῤῥημα ἐκλήθη; καί φαμεν, ὅτι ἀπὸ τῆς μιᾶς συντάξεως τῆς κυριωτέρας· εἰ γὰρ καὶ ὑποτάσσεται τοῖς ῥήμασιν, ἀλλ' ὅμως ἡ γνησία αὐτῶν σύνταξις ἡ προτέρα*' (p. 934, 9 sqq.). At his locis hoc manifestum fit recentiores grammaticos uerbum *ἐπιτάσσεσθαι* interpretatos esse 'praeponi', non Apollonium; qui potius ut uerbo *ἐπιτάσσεσθαι* notionem praeponendi significari possit, exempli gratia de cons. 222, 18 *πρὸ ῥήματος* adiciendum putat. — Sed etiam aliud est, cur in Skrzeczkae interpretatione non acquiescam. Nimirum Apollonium, cum librum de adu. scriberet, aliter ac tum, cum antonymici p. 116, 13 sqq. scriberet, nomen aduerbii et pronominis *αὐτός* deriuasse cum illo statuere non audeo. Hoc enim loco e Skrzeczkae sententia uidentur ei *ἐπίῤῥημα* et *ἀντωνυμία ἐπιταγματική* inde appellari, quod postponuntur. Sed de hoc loco infra agemus.

Veram potius Apollonii de *ἐπιῤῥήματος* nomine sententiam elici posse credo e loco quodam antonymici (62, 16), ubi ab Aristarcho pronomini *αὐτός* nomen *ἐπιταγματική* inditum esse his dicit: '*προείρηται ὡς παντὶ προσώπῳ ὀρθοτονουμένῳ σύνεστι, διὸ καὶ ἐπιταγματικὴ ἐκαλεῖτο ὑπὸ Ἀριστάρχου*'; h. e. 'inde ab Aristarcho ita appellabatur, quod omnino cum pronomine personali seu praepositione seu postpositione coniungi potest'. Neque enim ex Apollonii ratione est, si aliorum sententiam improbat, eam non impugnare. Praeterea autem hanc ipsius esse opinionem probari uidetur eo, quod in sua ipsius disputatione illic communibus uocabulis *σύνεστι* et *συντάσσεσθαι* utitur. — At uidentur fortasse cuipiam obstare huic sententiae ea, quae de pron. 116, 1 sqq. certis, ut quidem uidetur, uerbis exponuntur '*ἀντωνυμίας ἐπιταγματικῆς* et *ἐπιῤῥήματος*' nomina de postpositione deriuari. — At eum et effugit illum

1) Sic recte R. Schneiderus pro *ῥήματος* e coniectura et pro uulg. lectione *προτάσεων* e cod. Barocc.

locum tam corruptum esse, ut uix cognoscatur, utrum sententia illic exposita Apolloniana sit an aduersariorum; et inde a formula μήποτε, ut saepissime [1]) apud Apollonium, propria Apollonii opinio affertur. Quam etiam e frustulis cognoscere possumus concinere cum ea, quam Apollonius antonymici l. l. et de constr. 18, 6 sqq. obiter tangit et quam exhibent et schol. Dion. Thr. 934, 20: 'εἰ δὲ καὶ προτάττεται καὶ ὑποτάττεται, πῶς ἀπὸ μιᾶς συντάξεως μόνον ὠνομάσθη; φαμὲν οὖν, ὡς ἡ „ἐπί“ πρόθεσις δύο συντάξεών ἐστι σημαντική. καὶ προηγουμένου γὰρ τοῦ ῥήματος τοῦτο δυνάμεθα καλεῖν ἐπίῤῥημα „τὸ ἐπὶ τῷ ῥήματι“ λεγόμενον ἀντὶ τοῦ „μετὰ τὸ ῥῆμα“, ὥς φαμεν „ὅδε ἐπὶ τῷδε ἦλθεν“ ἀντὶ τοῦ „μετὰ τόνδε“. καὶ πάλιν ὁμοίως προηγούμενον τοῦ ῥήματος ἐπίῤῥημα τὸ αὐτὸ καλοῦμεν, οἷον ἐφ᾽ ᾧ ῥῆμά τι τίθεται, ἀντὶ τοῦ „μεθ᾽ ὅ“', et Priscianus XII, 6 (gr. l. II, 580, 13) 'hoc pronomen ἐπιταγματικόν, h. e. impositiuum uel subiunctiuum, uocant Graeci, quod uel subiungit uel subiungitur alteri pronomini'. Videtur igitur Apollonius mediam quandam uiam ingressus nomen ἐπιῤῥήματος et ἀντωνομίας ἐπιταγματικῆς ita explicasse, ut et praepositioni et postpositioni satis faceret. Est autem tertia haec Apollonii de aduerbii nomine sententia ex eo tractatu (de pron. 113, 17—116, 15) deprompta, quem R. Schneiderus [2]) et G. Uhligius [3]) bono iure rhematico tribuisse uidentur. Itaque e Skrzeczkae ratione ter sententiam mutasse Apollonius putandus esset.

Sed praeter hanc doctrinae discrepantiam et uerbi ἐπιτάσσεσθαι usum ab Apollonio alienum alia quoque de causa locum induco. Nemo enim in media de definitione explanatione h. l. nominis ἐπιῤῥήματος explicationem exspectabit. Exspectatur potius in libri initio, ut in antonymico p. 3, 9 sqq. — Sed, ut iam contrariam sententiam praeoccupem, inde a 125, 16 nouam rem tractari e ratione intellegitur, qua tanquam thesis proponitur et causis allatis aduersariorumque sen-

1) Ita de adu. 121, 24; 164, 6; 178, 3; 188, 13; de pron. 18, 4; 54, 17; 89, 27.

2) Mus. Rhen. XXIV, 592. 599.

3) Comment. litter. Ienens. 1878 mens. Iul. die 20.

tentiis reiectis probatur. Itemque apud Prisc. XV, 39 quaestio de ordine aduerbiorum non particula est maioris de nomine aduerbii disputationis, sed noua et peculiaris per se quaestio.

Alia sententiarum non perspectarum repetitio inesse mihi uidetur in uerbis quae exstant 127, 14—18, quae necesse est respiciant ad 121, 14 sqq. — Est autem sententiarum conexus hic: iis, qui interiectionem *ὤμοι*, quando quidem solius primae personae sit, pronomen esse statuunt, opponit omnes interiectiones utpote ipsius loquentis personae passionem indicantes hac ipsa de causa omnes solius ipsius loquentis esse. Deinde adicitur: 'iam uero diximus eam ne inter uerba quidem numerari, et hoc ita explicauimus: omnis passio ex affectu aliquo proficiscitur, affectus autem uerbi proprius est, ergo interiectio *ὤμοι*, utpote quae affectum e uerbo proficiscentem habeat, aduerbium est'. Tota denique expositio ita concluditur: 'elucet igitur eam non omnibus personis addi'. — Ac primum quidem haec conclusio mihi indicare uidetur nihil in antecedentibus propositum fuisse nisi eam quaestionem, cur *ὤμοι* interiectio non ut aduerbia omnibus personis addatur, sed ut pronomina certae cuiusdam personae sit. Porro altera quaestione num *ὤμοι* uocula uerbum sit, quae inest in uerbis *ἔφαμεν δὲ κτλ.*, interrumpitur prior, utrum pronomen sit an aduerbium, de qua et ante uerba illa et in sequentibus rursus inde a u. 18 agitur. — Praeterea uerborum '*οὐδὲ ἐπὶ ῥῆμα φέρεται*' significatio haud ita facilis est perspectu. Eadem enim formula saepissime, ut de constr. 21, 14; 223, 10; 338, 1; de adu. 131, 7, haud dubie significatur aduerbii uel articuli cum uerbo coniunctio seu constructio. Neque uero quadrat haec notio in hunc locum: nam grammaticus eo loco, ad quem hic respicit (121, 14 sqq.), interiectiones aut ad uerba mente supplenda aut saltem ui tanquam ad uerba construi docuit. Erat igitur dicendum '*ὅτι καὶ ἐπὶ ῥῆμα οὐκ ὂν φέρεται*'. Sed haec per se sana sententia tantum ab eius quem tractamus loci conexu abest, ut ad illum locum respici nequeat. Iam uides, ad quem locum uerba *ἔφαμεν δέ* spectent, omnino non inueniri.

Restat, si quis hanc difficultatem ferri posse putet, ut

eadem uocabula diuersissimum significare terminum statuat, nimirum ita, ut illo loco *ὤμοι* inter uerba non numerari demonstretur. Quod equidem mihi uix persuadeam; praeterea a toto loco haec quaestio, num uerbum sit necne, prorsus aliena est. Porro uerba '*πᾶν πάθος γίνεται ἔκ τινος διαθέσεως*' nonne omnibus artis logicae legibus obstant? Dici enim potest '*πάθος γίνεται ἐκ πράγματος*' uel '*ἐξ ἐνεργείας*', non '*ἐκ διαθέσεως*'; hoc enim ualeret '*ἐξ ἑαυτοῦ, ἐκ πάθους αὐτοῦ*', quoniam, si ita dicere liceret, *πάθος* e sola diathesi passiua exsistere potest. Immo *πάθος* est aliqua diathesis. — Etiam tota conclusio uitiosa est: 'quia omnis passio ex affectu aliquo uerbi proprio proficiscitur, *ὤμοι* autem hunc affectum e uerbo proficiscentem habet, necessario — aduerbium est'. Summum id concludi potuit ipsum uerbum non esse. — Denique rectius 121, 26 interiectiones dicuntur passionem indicare quam ipsae habere, ut 127, 17; habent, i. e., credo, continent eam potius eae personae, a quibus proferuntur.

132, 15 sqq.: exponit Apollonius etiam propterea *δεῖ* et *χρή* uerba esse putanda, quod augmento praedita praeteritum significent unaque diuersa tempora, quae in iisdem infinitiuorum formis insint, secernant. Ad quam ultimam sententiam explicandam affert exempla haec: '*ἐνεστῶτος γὰρ χρόνου γενήσεται τὸ „δεῖ γράφειν“, λέγω τὸ γράφειν· παρατατικοῦ δὲ τὸ „ἔδει γράφειν“, παραλαβὸν ἔξωθεν τὸ ε, ὅπερ ἴδιον ῥήματος, ὡς καὶ τὸ „θέλω γράφειν“ εἴη ἐνεστῶτος διὰ τὸ θέλω, παρατατικοῦ δὲ εἴη τὸ* [1] *„ἔθελον γράφειν“*'. In his uerbis quid sibi uelint *λέγω τὸ γράφειν*, quae Buttm. 298 ann. 3 se non intellegere confitetur, elucet ex iis, quae secuntur '*ὡς καὶ τὸ „θέλω γράφειν“ εἴη ἐνεστῶτος διὰ τὸ θέλω*'; hic enim subiectum esse solum infinitiuum [2] docent uerba *διὰ τὸ θέλω*. Et iure ita urgetur et significatur de solo infinitiuo, quae disseruntur, praedicari; nam iuncturam *θέλω γράφειν* praesentis

1) Sic '*εἴη τό*' concinnitatis causa scribo pro traditis '*ἐν τῷ*'.

2) Hoc autem, unam toto exemplo uoculam subiectum esse, iure non miraberis; saepissime enim apud Apollonium hic usus inuenitur, ita de pron. 8, 20; 36, 8. 12. 14; 37, 27. 29; 40, 19. 22. 27; 41, 4.

esse temporis nemo ignorat. — Sententia igitur exsistit haec: 'ut in exemplo θέλω γράφειν infinitiuus est praesentis propter additum praesens θέλω et in exemplo ἔθελον γράφειν praeteriti propter additum praeteritum ἔθελον, ita praesentis exemplum est δεῖ γράφειν, nempe infinitiui, et imperfecti est infinitiuus in exemplo „ἔδει γράφειν"'. Ita necesse est in omnibus his quattuor enuntiatis subiectum sit idem infinitiuus. Disturbatur autem haec aequabilitas uerbis 'προσλαβὸν ἔξωθεν τὸ ε, ὅπερ ἴδιον ῥήματος', quando quidem ea tantum ad subiectum τὸ ἔδει construi possunt. Quae uerba ceterum prorsus superuacanea e textu remouere non dubito.

136, 5 sqq.: ut multa uocabula, quae simplicia uidentur esse, ex compositis facta esse probet grammaticus, exemplum uocis ἠνορέα apponit uerbis his 'τὸ ἠνορέα, ἁπλοῦν νοούμενον, ἁπάντοτε οὐ καταστήσεται· πόθεν γὰρ παρὰ τὸ ἀνὴρ ἢ τὴν ἀνέρος γενικὴν ἢ συγκεκομμένην ἀνδρὸς τὸ ἠνορέα συστήσεται ἢ ἀνερία ὡς αἰθέρος αἰθερία, τῆς δὲ ἀνδρός, ὡς καὶ ἔστιν, ἡ ἀνδρία;'

Haec corrupta sunt. Itaque Skrzeczka (II, 24) scribere uoluit πόθεν γὰρ — συστήσεται; ἀλλ' ἢ ἀνερία ὡς αἰθέρος αἰθερία, τῆς δὲ ἀνδρός, ὡς καὶ ἔστιν, ἡ ἀνδρία. — At ne sic quidem sententia sana est. Nam statuendum uiro docto est alteram particulam ἤ, quam exspectari concedit, cum particula δέ commutatam esse nec minus neglegenter genetiuum τῆς ἀνδρός pro accusatiuo, qui exspectatur, ob eum qui proximus est genetiuum αἰθέρος positum esse. Praeterea non liquet, quid sibi uelit hoc additamentum superuacaneum 'ὡς καὶ ἔστιν', quod tolerari posset, si additum esset eo loco, ubi primum genetiui ἀνδρός mentio fit (u. 6). Nec remouetur eadem offensio coniectura Schoemanni (op. ac. IV, 252) 'πόθεν γάρ; οὐκ ἠνορέα συστήσεται, ἀλλ' ἀνερία κτλ.', nec R. Schneideri, qui punctum post ἀνδρία in signum interrogationis commutat, nec denique Egenolffii (ann. phil. 1878, 843), cui et lacunae et interpolationes satis difficiles una statuendae uidentur: 'πόθεν γὰρ παρὰ τὴν ἀνέρος γενικὴν ἢ τὴν συγκεκομμένην ἀνδρὸς ἡ ἠνορέα συστήσεται; ⟨ἔδει γὰρ (uel ἦν γὰρ ἂν) τῆς μὲν⟩ ἡ

ἀνερία, ὡς αἰθέρος αἰθερία, τῆς δὲ ἀνδρός, ὡς καὶ ἔστιν, ἡ ἀνδρία'.

Et porro cur unius deriuationis *ἀνέρος — ἀνερία*, non etiam sequentis *ἀνδρός — ἀνδρία* exemplum affertur? Cur genetiuus *τῆς ἀνδρός* bis ponitur, ceterae formae semel? Denique articulus *ἡ* ante uocem *ἀνδρία* positus offensionem praebet; nam ut ad formam *ἀνερία*, ita etiam ad *ἀνδρία* id, quod est ante *ἠνορέα*, nempe *τό*, pertinere exspectamus.

Quibus omnibus de causis '*ἡ ἀνερία ὡς αἰθέρος αἰθερία, τῆς δὲ ἀνδρός, ὡς καὶ ἔστιν, ἡ ἀνδρία*' uerbis deletis cum Skrzeczka post uerbum *συστήσεται* signum interrogationis porro.

138, 19—21 leguntur uerba '*ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ οὕτως, ἡνίκα ἀποβάλλει τὸ σ̄ ἐν τῷ οὕτω, οὐκ εἴργεται τῆς βαρύτητος τῆς κατὰ τὸ εἰς ω̄ς̄, ἐπεὶ πάμπολλα τὰ ἐν βαρείᾳ τάσει*' in media disputatione, qua Tryphonis (frgm. 64 ed. A. de Velsen) sententia impugnatur. Statuerat enim ille omnia uocabula consonanti aliqua uel in medio uel in fine deficiente ex alia forma ueriore magisque perfecta deriuata eundem, quem illa habuerit, accentum seruare. Quam sententiam Apollonius optimo disputandi ordine ita impugnat: si accentus manet, inquit, ea quoque uerborum classis, in quam uocabulum defectione litterae deriuatum transgreditur, per se eundem, quem illud ante habuit, accentum habet; ita dici *πολλάκι δεκάκι*, quoniam plurima alio in ῑ barytona exstent. Contra aduerbia oxytona aut in ι̅ς̅ exeuntia aut in ῑ ita, ut in media uoce littera σ̄ insit, e propria lege (cf. 135, 3 sqq.), si illa σ̄ deficiat, barytona fieri; ita *χωρίς — χῶρι, ἀεκαστί — ἕκητι*. Eidemque legi, ex qua litterae σ̄ defectio causa sit, cur accentus a fine retrahatur, alias quoque praeter aduerbia illa orationis partes subiungi: ita *συνεληλασμένοι — συνεληλάμενοι* (cf. 135, 5), *δεσποστής — δεσπότης, ἐργαστής — ἐργάτης*.

Vides hunc disputationis ordinem interrumpi uerbis supra positis, quibus affertur exemplum uocis *οὕτως*, quae e contrario, seu cum littera σ̄ seu sine ea profertur, eodem accentu utitur. — Sunt praeterea uerba ipsa corrupta. Nam nisi cum Dronkio pro tradito '*ἐπὶ τοῦ οὕτως*' scribis '*ἔτι τὸ οὕτως*',

totum enuntiatum sana constructione caret. Deinde pro extremis uerbis 'ἐπεὶ πάμπολλα τὰ ἐν βαρείᾳ τάσει' saltem scribendum erat 'πάμπολλα τὰ εἰς ῶ λήγοντα ἐν βαρείᾳ τάσει' (cf. u. 12); non enim inde, quod multa in ῶς, id quod solum ex antecedentibus suppleri potest, uel omnino multa barytona exstant, sed quia multa in ῶ quoque aduerbia barytona sunt, sequitur dici posse, ut οὕτως, ita etiam οὕτω. Itaque ad ea exempla quae inde a u. 24 uerbis τό γε μὴν συγχεῦαι secuntur, quae rursus [1]) illustrant, quibus condicionibus etiam post defectionem litterae σ idem, qui ante fuerit, accentus seruetur, uerba illa apposita esse puto.

Paulo post 139, 19 sq. uerba 'συνέχουσι τὴν ὀξύτητα τοῦ ᾱ, καθὼς ἐν τοῖς ἑξῆς εἰρήσεται' tantum praebent offensionis, ut ea quoque inducere non dubitem. Ac primum quidem deest alterum exemplum elocutionis satis mirae 'λόγον συνέχουσι τὴν ὀξύτητα τοῦ ᾱ'. Deinde uerbis 'καθὼς ἐν τοῖς ἑξῆς εἰρήσεται' nos falso ad sequentia relegamur, quoniam statim in eodem uersu, quae aduerbia in ᾱ oxytona sint, explicatur. Denique quae sola sana atque simplex enuntiati a particula ὡς incipientis constructio est, nimirum ad uerba λόγοις τοιούτοις, uerbis illis prorsus obscuratur.

142, 5 sqq.: 'ὅπερ εἰ μὴ ὀνοματικὸν εἴη, κἂν καθ' ἕνα σχηματισμὸν εἶχε τὸ πέντε ὡς πρὸς τὴν τῶν ῥημάτων σύνταξιν'. — Explicatur tota inde a 141, 16 particula numeralia indeclinabilia propterea non esse aduerbia, quia non, ut aduerbia, cum omni numero, sed cum solo plurali coniunguntur. Eorum autem uerborum, quae supra posui, auctor tale quid, quale esset 'πέντε παρεγένετο', falsum esse uidetur demonstrare uelle. Sed uideamus, num in uerbis illis hoc inesse possit: ὅπερ, haud dubie pronomen relatiuum, ad solum πέντε potest respicere, quoniam id, quod intellegendum est, ὀνοματικόν esse dicitur. In primario autem enuntiato idem ὅπερ sub-

---

1) Et iure in his in uniuersum disputatur, quia ante solius aduerbii ratione habita barytona et oxytona in ῑς aduerbia tantum deque utrisque deriuata apposita sunt (u. 11 et 13), in initio autem (u. 8 sq.) de tota hac quaestione in uniuersum diiudicatum iri indicatur.

iectum sit necesse est. Quaeritur igitur, quid sit *τὸ πέντε*: obiectum quidem non potest esse propter illa, quae de pronominis *ὅπερ* interpretatione diximus, quoniam *τὸ πέντε* indeclinabile habere *τὸ πέντε*, i. e. se ipsum, dici nequit; et, si hoc *τὸ πέντε* subiectum esse statuitur, quod idem in pronomine *ὅπερ*, quod ad enuntiatum et primarium et secundarium pertinere uidimus, iam inest, prorsus superuacaneum est. Sine dubio igitur *τὸ πέντε* saltem pro glossemate pronominis *ὅπερ* habendum est. Deinde elocutio '*καθ' ἕνα σχηματισμόν*' semper aut de uno uocubalo indeclinabili (ita de adu. 145, 8; de constr. 34, 3; 201, 25), aut de duabus uocibus per compositionem in unam coactis (ita de constr. 315, 1) dicitur. Quarum notionum h. l. ne prior quidem quadrat; nam hac notione adhibita uerbis '*κἂν καθ' ἕνα σχηματισμὸν εἶχε*' negaretur, quod nullo modo negari potest, *τὸ πέντε* semper *καθ' ἕνα σχηματισμὸν ἔχειν*.

Videtur igitur haec exempli explicatio Apollonio indigna esse; quae uero interpolator dicere uoluit, sic fere dicenda erant: '*ὅπερ, εἰ μὴ ὀνοματικὸν εἴη, κἂν καθ' ἕνα καὶ αὐτὸν σχηματισμὸν εἶχε τῷ πεντάκις τὸ ῥῆμα ὡς πρὸς τὴν τῶν ἐπιῤῥημάτων σύνταξιν*.

Locus 145, 13—25 ex duobus similibus illustrandus est. Quorum ex altero — 166, 12 sq. — elucet *ἄνεῳ* ab Apollonio in aduerbiorum numero positum esse. Sed ibi uerba *καθὼς προείπομεν*, quoniam, id quod tradita collocatione postularetur, antea de accentu non expositum est, post *ἄνεῳ* collocanda sunt; ut ex iis quoque appareat, iam in antecedentibus Apollonium demonstrauisse *ἄνεῳ* esse aduerbium. Altero autem loco — de adu. 204, 15 sqq. — ab *ἄνεως* adiectiuo illud aduerbium deriuatum esse explicatur.

Quare primum quisque mirabitur, quod inde a u. 15 illius loci Apollonius uidetur contrarium statuere uerbis his '*ἔστι μέντοι γε ἐπικρῖναι τὸ σχῆμα* (sc. *τὸ ἄνεῳ*) *τῷ τοῦ ὀνόματος μερισμῷ, ἐπεὶ ἀντικείσεται κτλ.*'. — At, quae inde ab *ἐπεί* usque ad *μονογενῶν* secuntur, ut tradita sunt, omni sano conexu carent. Quae enim haec est sententia: uocabulum *ἄνεῳ* in

nominum numero habendum est, quod sic, non aliter aduerbia in ῶ desinentia formantur?' Hoc obstare aut non obstare dici potest tantummodo tum, cum quis inter aduerbia id redacturus causam, quae ex aliorum sententia obstet, refutare uult.

Ut igitur Apollonius hoc loco pariter atque 166, 12 et 204, 15 *ἄνεῳ* aduerbium esse edicat, negatione *οὐκ* ante uerbum *ἀντικείσεται* inserta scribendum est *ἐπιῤῥήματος* pro *ὀνόματος* quod falso e sequente *ὀνομάτων* profectum uidetur esse.[1])

Ea uero, quae nunc in codice exstant, facillime ferri potuerunt, quia etiam sequentia ita corrupta erant, ut Apollonius demonstrare uideretur *ἄνεῳ* non esse aduerbium. Sed haec iam a Skrzeczka et Schoemanno recte restituta sunt. Itaque hic sanus exsistit sententiarum conexus: 'uocabulum *ἄνεῳ* aduerbiis asciscere licet; neque enim obstat illa lex, qua docemur ab iis adiectiuis, quae tria genera totidem diuersis terminationibus significant, aduerbia in $\overline{ως}$, ab iis, quae omnia una eademque forma continent, aduerbia in ῶ deriuari'. Nam quoniam una masculini et feminini forma *ἄνεως*, nulla neutrius generis exstat, re uera *ἄνεως* unius terminationis est; itaque ex ueterum artificiosa doctrina rectissime ab hoc adiectiuo aduerbium in ῶ [2]) formatum est.

Porro autem Apollonius u. 13 sq. dicit, si in eiusmodi exemplis, ubi forma *ἄνεῳ* cum singulari coniungatur (ψ 93), *ἄνεως* scribendum esse demonstrari nequeat, *ἄνεῳ* aduerbium restare. Neque uero illud demonstrari potest, nisi demonstretur *ἄνεῳ* aduerbium esse non posse, itaque, quod adiectiuum sit, ad substantiuum singulare eandem adiectiui formam construendam esse. Quare in iis, quae modo sanauimus, e contrario hoc ipsum demonstratum est *ἄνεῳ* aduerbium esse iure in ῶ deriuatum; deest igitur causa, cur in exemplo '*ἣ δ' ἄνεῳ δὴν ἧστο*' scribatur '*ἣ δ' ἄνεως δὴν ἧστο*', quia *ἄνεῳ καθ' ἕνα σχηματισμὸν* et cum singulari et cum plurali coniungi potest, quippe quod aduerbium sit. Iam igitur, ut u. 13 sq. Apollo-

1) De similis mendi origine cf. Uhlig. dissert. p. 32.

2) ῶ et ῷ in hac quidem re non distinguuntur: cf. 145, 20; 165, 20; 166, 23.

nius indicauit, in iis quae disputantur 145, 15—23 ea quaestio, cuinam orationis parti ἄνεῳ tribuendum sit, ad finem perducta est. Quare recte monuit Skrzeczka (II, 26) uerba δεδείξεται γὰρ e. q. s. cum antecedentibus non cohaerere. Et altera huius loci offensio ab Uhligio αὖ uocula in οὐ mutata remota est. Sed cum absurdum sit id, quod iam in antecedentibus probatum erat, in sequentibus denuo probari, uerba illa spuria esse existimo.

Multa in quaestione de ηυτε et εὖτε aduerbiis 147, 24—150, 19 offensionem praebent. Quod enim in solo augmento uerborum syllabam ηυ inueniri demonstrat, praeter formam εὖτε quam 148, 6—11 agnoscit, solam alteram distractam ἠῦτε eum probare elucet.[1]) Quare forma ἠῦτε pro ηὖτε, quam Schneiderus codicem secutus probauit, restituenda est 147, 24; 149, 7. 13; 150, 16; 156, 16. — 149, 14 autem deleta καί particula sic legendum puto: 'τί δήποτε τὸ μὲν ηυτε ἠῦτε λέγεται;' — Cuius lectionis uestigium, praesertim si conferes Herod. II, 312, 10 sqq. 'τοῦτο ἐν πλεονασμῷ τοῦ ῡ ἠῦτε ἀναγκαίως τοῦ η̄ ψιλωθέντος κτλ.', agnosces 149, 8, ubi si iure legeretur ηὖτε, etiam scribendum esset τοῦ ηυ ψιλωθέντος.

Quae si uera sunt, Apollonius dicere nequit 148, 1 sqq. se idcirco hanc quaestionem tangere, quod nonnulli in Γ 10 falso scribant εὖτε pro ηὖτε. Scribendum est: καθώς[1]) τινες ἐπεχείρησαν τὸ 'εὖτ' ὄρεος κορυφῆσι' διὰ τοῦ η̄ καὶ ῡ γράφειν, τοῦ κατὰ φύσιν σχήματος ἀπαιτοῦντος τὴν διὰ τοῦ ε̄ καὶ ῡ γραφήν.

Ut his uerbis de origine uocum ἠῦτε et εὖτε quaestio indicata est, ita reuera 148, 3—6 de uocis ἠῦτε, u. 6—12 de uocis εὖτε, u. 12—150, 14 rursus de prioris origine disputatur, cum exspectetur priore loco de ea uoce, de cuius forma nulla discrepantia erat, deinceps de altera actum iri. Et sane illam de εὖτε forma particulam reuera maiori de ἠῦτε dispu-

1) Eadem sententia redit in E. M. 440, 14; in schol. B 87; praecipue apud Herodianum, ita I, 496, 21; 543, 17; II, 95, 29; 235, 21; 640, 19; imprimis 312, 10; 391, 22.

2) I. e. h. l. 'siquidem', ut exempli gratia p. 179, 2.

tationi antecessisse elucet e 149, 8. Sed praeterquam quod mirum in modum bis de forma ἤϋτε disputatur, etiam corrupta est prior de uoce ἤϋτε particula. Etsi Skrzeczkae emendatione pro traditis 'ὡς οὐδεμία λέξις' scribentis 'οὐ μία λέξις' sententia restituta esse uideatur, tamen illa offensio e disputationis ordine deprompta non tollitur. Idem enim, quod suo loco 149, 7 sq. post longam argumentationem tanquam ex ea demum conclusum proponitur, h. l. tanquam notum praesumitur. Quare disputationis ordinem sic restituo; particulam μήν permuto in μέν, quae saepissime apud Apollonium quoque δέ particula non insequente legitur; itaque uerba 'τό γε μὲν εὖτε' statim uerbis 'ἐγένοντο δὲ αἱ φωναὶ τῇδε' annecto.

Quibus probatis inde a u. 12 demum incipit grammaticus de forma ἤϋτε accuratius quaerere; ut enim aliorum aduerbiorum in $\overline{ως}$ desinentium etiam formae in ᾱ exeuntes exstent, ita praeter uoculam ὥς eadem notione inueniri dicit uocem ἅ, et in compositione ut ὥστε, ita ἅτε, ac littera ᾱ ionice in η̄ mutata eadem significatione, qua ὥς, et ἥ et ἥτε (sic usque 149, 1). Deinde priusquam haec deriuatio ad finem perducta sit, noua proponitur ratio haec, ut a forma ᾗ, quae exstet praeter ὥς, ἤϋτε deriuari incipiatur. Non iure credo. Nam quomodo Apollonius in eam opinionem incidere potuit, ut altera priore ratione non perducta existimare mallet ἤϋτε ex $\overline{ηιυτε}$ quam ex $\overline{ηυτε}$ exstitisse? Nonne tunc etiam forma ᾗτε, quae quantum scio prorsus deest, statuenda est? Accedit, quod tum demum aliam explicationis uiam iniri elucet, si cum Lehrsio uerba 'οὐ μὴν ἀλλά', quae in codice non apte antecedunt uerbis 'καὶ παρὰ τοῦτο τὸ ἅ ἀποτελεῖται ἰωνικώτερον τὸ ἥ' (148, 25), uerbis 'καὶ οὕτως φαμέν' (149, 2) praemittas. Neque uero quidquam credo magis prodere totam hanc particulam lectoris annotationem esse quam hoc, quod diuersis locis huius additamenti particulae in textum irrepserunt. Quod autem schol. *B* ad *B* 87 et E. M. 440, 4 eandem, quam equidem ab Apollonio abiudico, deriuationem praebent, recentiore haud dubie tempore, quam quo genuinus Apollonii textus constitutus est, haec peior deriuatio excogitata est.

Non igitur dubito delere uerba '*οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ οὕτως φαμέν· τοῖς εἰς ῶ λήγουσιν ἐπιῤῥήμασι συνυπάρχει τινὰ εἰς ῆ λήγοντα συντονούμενα τούτοις, οὐδαμῶς οὐδαμῆ, πάντως πάντη, ἄλλως ἄλλῃ, διχῶς διχῆ*'. Ita praeterea eo facilius u. 4 '*ὀξυνομένῳ ἄρα τῷ ὥς κτλ.*' ad 149, 1 annectuntur.

Denique 149, 17 uerba '*πάλιν ἀναγκαίως τοῦ ῆ ψιλωθέντος διὰ τοῦ προηγεῖσθαι φωνήεντος*' repetita sunt e 148, 8 et 149, 7. Nam his duobus locis iure haec auctor addidit, ut *ἠῦτε* formam quamquam spiritu leni prolatam, tamen a forma aspirata deriuatam defenderet. Et si quis opponat 149, 17 haec uerba aduersariorum esse, eo magis ea delere cogimur. Primum enim aduersarii trisyllabam formam impugnantes unum ex huius accidentibus, primae syllabae *ῆ* spiritum lenem, explicare non debebant. Tum si uerba illa ex Apollonii explicatione ii repetiuisse tantum fingerentur, saltem accurate causa Apollonii exhiberi debebat. Quod non fit. Neque enim propterea littera *ῆ* spiritu leni utitur, quod nescio cui uocali praecedit — nam exstant exempli gratia *ἥατο, ἡονί* —, sed propter solius litterae *ῦ* epenthesin (cf. 148, 8).

151, 17 sq.: in uerbis '*ἔστι τι ὄνομα οὐδαμός, ᾧ παράκειται ἐπίῤῥημα τὸ οὐδαμῶς, ᾧ ἀπὸ θηλυκοῦ πάλιν σχήματος ἐπίῤῥημα παράκειται τὸ οὐδαμῇ*' duo enuntiata relatiua aequabiliter formata et per asyndeton apposita offensioni sunt. Ac si quis de altero pronomine *ᾧ* in *καὶ* mutando et uerbis *ἐπίῤῥημα παράκειται* in altero enuntiato delendis cogitet, uix declarare possit, unde haec, quae exstat forma aequabilis orta sit. Immo cum hoc loco aduerbii *οὐδαμῶς* et *οὐδαμόθεν* nulla praeterea mentio fiat, prius enuntiatum comparandi gratia ex alio loco ascriptum esse censeo. Nec obstat huic rationi uocula *πάλιν*, quae non ad prius illud enuntiatum relatiuum spectat, sed ad sola uerba '*ᾧ παράκειται θηλυκὸν τὸ δημοσίᾳ*' u. 10 referenda est.

166, 24 sqq. inter aduerbia ea, quae ei regulae obstare uidentur, secundum quam omnia aduerbia in *ῶ* desinentia breui paenultima uti dicuntur, etiam *πόῤῥῳ* collocatur, cuius prior syllaba attica epectasi producatur. Sed primum solo

hoc loco et illo, quo ad hunc respicitur, p. 204, 18, in syllaba positione producta epectasis statuitur, cum alibi et hac et simplici ἔκτασις uoce Apollonius aut epectasin syllabicam, qua fini uocabuli noua syllaba adicitur [1]), aut productionem breuis uocalis in uocalem natura longam [2]) significet. Ita etiam h. l. omnia exempla inde a u. 25 allata in hanc notionem quadrant, et formas σκάλλω θάλλω et quae secuntur non productas, productam in Atticorum modum solam μᾶλλον littera ᾱ natura longa praeditam statuit ipse auctor loci. Quo igitur iure uocula πόῤῥῳ, in cuius priore syllaba breuis ŏ exstat, producta in Atticorum modum dici potest? Et cur, si illa producta esset, non esset etiam ἔξω? Haec igitur, quae de epectasi disseruntur, ab Apolloniana doctrina aliena sunt. Neque in iis, quae secuntur, sana argumentatio inest. Nam uerbis ἄλλως τε κτλ. p. 167, 1 sqq. tanquam noua affertur aduerbii πόῤῥῳ a substantiuo πόρος deriuatio, a qua iam in antecedentibus auctor tacite profectus est. — Praeterea uerbis 'ἴσως δὲ καὶ ὁ πλεονασμὸς τῆς διαλέκτου', antecedere oportet tale quid 'καὶ ἐν πλεονασμῷ τοῦ ῥ τὸ πόῤῥῳ', cum uerba 'ὁ πλεονασμός' non habeant, quo referantur.

Quibus de causis existimo totam de πόῤῥῳ aduerbii disputationem — inde a 166, 24 usque ad 167, 8 — a recentiore grammatico insertam esse. Atque ex eodem loco profectum uidetur esse glossema 'ἀττικώτερον ἐκταθέν' p. 204, 18 (cf. supra).

Sequitur locus difficillimus **180, 13 — 183, 4**: Ac primum quidem exemplum quod exstat **180, 21** sq. 'ὡς καὶ ἐπὶ τοῦ „νῦν" ἐπιῤῥήματος, δηλοῦντος τὸ ἐν τούτῳ χρόνῳ, οὐ ταὐτὸν παράγεται' intellegi nequit. Neque enim uideo, quomodo illis probetur id, quod in antecedentibus probandum erat, οἶκον δέ, ἀγρὸν δέ duas orationis partes, non aduerbia esse. Nam in antecedentibus neque de aduerbio ab altero aduerbio deri-

1) Ita de pron. 6, 14; 34, 6; 37, 8; 60, 11; 83, 25; 92, 14; 98, 12; 99, 1; de coni. 230, 28; 237, 9; 257, 7.

2) Ita de pron. 50, 7; de adu. 161, 8; 162, 11; 176, 13; 194, 20; de coni. 230, 29; 258, 16.

uato agitur, neque ex Apolloniana doctrina uerba *ἀγρὸν δέ, Οὔλυμπον δέ, οἶκον δέ* tanquam deriuationes cum aliis ab aduerbio *νῦν* deriuationibus comparari possunt, cum Apollonius illa a deriuationibus secernat, ut 177, 31. 32; 179, 4; 203, 17 sqq. Praeterea *νυνί* formam, quam solam aliquo iure a *νῦν* deriuatam dicere potuit, potius *ἐπεκταθεῖσαν* quam *παραχθεῖσαν* nominauisset. Denique monendum est Apollonium semper dicere *παράγεσθαι ἀπό τινος* aut *παρά τι*, nunquam *ἐπί τινος*.

Sed etsi illa delentur, tamen disputatio iusta non procedit, cuius ordo nunc quidem hic est: 180, 23 — 181, 8 argumenta enumerantur, quibus nisi aduersarii eiusmodi formas unam uocem eamque aduerbialem esse contenderunt, uerbis his:

I. ʽeiusmodi elocutiones, quoniam una utuntur forma nec, ut nomina, per casus numerosque flectuntur, aduerbia sunt'; II a. ʽconiunctiones copulatiuae ad copulationem uerborum uel enuntiationum usurpantur, non (quem usum statuit Apollonius) ad localem notionem efficiendam'; b. ʽeaeque nominum flexioni non obstant'; III. ʽnomina, cum articulum accipiunt, excepta auctiore relatione eandem notionem seruant, quam articulo non addito habebant; sed diuersa significant *οἶκον δέ* et *τὸν οἶκον δέ*'. — Iam huic enumerationi annectit Apollonius 181, 9 sq. uituperationem, quod aduersarii, id quod summum sit, accentus leges non respiciant.[1]) Postquam deinde cuncta ad-

1) Haec sententia, quae postulatur, non inest uerbis, quibus insit necesse est, ʽ*καὶ πάλιν ἀντείχοντο τῶν τονικῶν παραγγελμάτων*'; quae ita interpretanda sunt: ʽet rursus iis, quae de accentibus sunt, legibus nituntur'. At in omnibus, quae 180, 23 — 181, 8 de aduersariorum sententia disseruntur, ne uocula quidem de accentuum legibus mentio fit. Et id ipsum potius, quia, ut in subsequentibus demonstrat (cf. supra p. 54 sq.), ex his recta explicatio facillime cognosci potuerit, Apollonius uituperat. Insero igitur post uoculam *πάλιν* negationem *οὐκ*, a librariis in Apollonii libris saepissime omissam (cf. de pron. 50, 21; de adu. 126, 17; 121, 16; 123, 20; 131, 23; 141, 24; de coni. 252, 34; 256, 25; et Skrzk. I, 16). Sic demum ut sanus sensus, ita aduerbii *πάλιν*, quae non minus postulatur, relatio exsistit: ʽ*τοῖς τοιούτοις λόγοις ἐπανεῖχον, καὶ πάλιν ⟨οὐκ⟩ ἀντείχοντο τῶν τονικῶν παραγγελμάτων*'.

uersariorum argumenta se refutaturum esse indicauit, id quod proximum esse debebat, illam de accentus legibus uituperationem iustam fuisse demonstrat 181, 13—15 et 181, 24—31. *Δέ* autem coniunctionis commemoratione adductus est, ut statim illud aduersariorum argumentum, quod significaui IIa, refutaret (181, 32 — 182, 20). Huic autem rursus simile haud dubie uidebatur id, quod IIb notaui, quod quia rursus e materiae ratione idem fere ac primum est, una cum hoc refellitur 182, 21—26. Denique 182, 27 — 183, 4 tertii sequitur refutatio.

Tota igitur inde a 180, 23 disputatio bene progrediretur, nisi ea refutationis particula, quae de accentu est uerbis 181, 15—23, male dirimeretur.

Ac prius uerba '*πρὸς οἷς καὶ αἱ φωναὶ κλινόμεναι ὁλόκληροί εἰσι κατ' αἰτιατικὴν πτῶσιν· ἀλλ' οὐ τοῦτό φημι συνεκτικὸν τοῦ δύο μέρη λόγου εἶναι, ἐπεὶ κἂν τοῖς κατ' ἀρχὴν ἐδείξαμεν τὰς ὀνοματικὰς πτώσεις εἰς σύνταξιν ἐπιῤῥηματικὴν τιθεμένας καὶ ἐπιῤῥήματα καλουμένας*' (181, 15—19) suspicionem ex iis quae antea disputauimus profectam singulis offensis augent. Nam uituperare aduersarios, quod statuant aliquid, quod saepe ipsi quoque statuendum esse statim concedit, ineptum est. Deinde inter id, quod interdum formae nominum aduerbialiter accipiuntur, et id, quod *οἶκον δέ* diuersae orationis partes sunt, tertium comparationis desideratur, cum illae formae, siue nomina sunt siue aduerbia, una orationis pars sint. *Πρὸς οἷς* autem uerbis primo argumento nondum absoluto uti uix licuit. Itaque totum illum locum non ab Apollonio profectum esse arbitror.

Restant uerba 181, 20—23 quae nunc falso loco leguntur, cum neque pars eorum sint, quae 181, 11 sq. secutura esse promittuntur, et explicationem accentus locutionum *οἶκονδέ*, *Οὔλυμπονδέ* — 181, 13—15 et 24—31 — male interrumpant. Iam cui loco tribuenda sint inuenisse mihi uideor. Quamquam enim aduersariorum argumenta supra IIa et IIb notis signata contra eam Apollonii deriuationem pugnant, ex qua *οἶκον δέ* parathesin accusatiui nominis et particulae *δέ* esse statuit, tamen in antecedentibus haec deriuatio non exstat. Quam

neglegentiam Apollonio uix tribuerim. Neque ea, quae 180, 13—23 leguntur, sana mihi uidentur esse, cum enuntiati '*οὐ γὰρ ταὐτόν ἐστι τῷ οἴκοθι*' expositio desideretur. Puto igitur uerbis 181, 20—23 post uerba paginae 180, 21 '*οὐ γὰρ ταὐτόν ἐστι τῷ οἴκοθι*' insertis scribendum esse: '⟨*ἀλλὰ διαφέρει, ὡς*⟩ *διαφέρει τὸ οἴκοθεν τοῦ ἐξ οἴκου . . . ., καὶ τὸ οἴκοθι τοῦ ἐν οἴκῳ κτλ.*'.

Unde optimus sententiarum conexus exsistit hic: locutiones, inquit (180, 15—17), *οἶκον δέ, ἀγρὸν δέ, Οὔλυμπον δέ*, etsi constructione aduerbiorum utuntur, tamen aduerbia non sunt, id quod *ἐξ οἴκου* iunctura demonstratur. Quibus adicitur 'item se habet *ἐν οἴκῳ*, cum non idem ualeat atque *οἴκοθι* forma'. Deinde ad prius exemplum respiciens, pergit grammaticus 'sed ut *οἴκοθεν* a iunctura *ἐξ οἴκου* differt, cum illud esse unam orationis partem, hoc ex duabus constare uiderimus, ita etiam forma *οἴκοθι* a iunctura *ἐν οἴκῳ* et *οἴκαδε* a iunctura *εἰς οἶκον* discrepat, et ut *εἰς οἶκον* duae orationis partes sunt, sic etiam *οἶκον δέ*, quia *δέ* particula inest'. Cui disputationi illud tertium exemplum *οἴκαδε* — *εἰς οἶκον* annexuit, ut transiret ad eam formam, quam hoc loco accuratius explicare sibi proposuerat.

186, 10—15 uerba '*αἱ δὴ παρηγμέναι ἀντωνυμίαι — ἐπιδέχονται προθέσεις αἱ γενικαί*' male interrumpunt totam inde a 185, 17 ad 186, 21 pertinentem disputationem, quae illis uerbis omissis rectissime progreditur ita: 'Hac demonstratione utendum est: et inter nomina — secuntur pauca exempla 185, 18—21 —, et inter formas in *θεν* exeuntes sunt exempla deriuationum idem quod primitiua significantium' — rursus secuntur exempla usque ad 186, 9 —. Inde recte pergitur, si statim adiungimus quae 186, 15 a uerbis *ἀπεδέδεικτο οὖν* secuntur: 'demonstratum igitur est multas exstare deriuationes primitiuorum notiones seruantes; harum igitur ratione etiam illae pronominum formae, de quibus tota quaestio instituta est, deriuatae sunt'.

Sed praeterquam quod uersibus 186, 10—15 argumentationis ordo male disturbatur, singula quoque offendunt. Neque

enim Apollonius in uniuersum dicere potuit ‘αἱ παρηγμέναι ἀντωνυμίαι’, quoniam ita nominat possessiuas; erat dicendum ‘αἱ τῇδε παρηγμέναι ἀντ.’. Deinde dura est uocabuli ἀδύνατον coniunctio cum contrario eorum, quae ante dicta sunt.[1]) Porro pronomen τοιούτοις non habet quo referatur, nisi lacunam statuas. Tum quid sibi uolunt uerba τινὰ ἄλλην πρόθεσιν? quasi illa in θεν deriuatio praepositio esset. Ac ne exempla quidem concinna sunt, cum ad prius in margine codicis ‘ἢ πρὸς Λεσβόθεν’, ad alterum sola ‘πρὸς Λέσβον’ annotata sint. Denique totius loci argumentum idem est, atque uersuum 17—11. Quae offensiones cum nulla uirorum doctorum emendandi ratione tolli potuerint, uerba spuria esse iudico.

Iam uenimus ad syndesmici maiores interpolationes.

217, 7 sq. ut probetur alias sententias sua natura alias non nisi coniunctionibus disiunctiuis appositis disiungi, afferuntur exempla haec: primum ‘ἡμέρα ἐστί, νύξ ἐστι’, quae uerba ἤ particula omissa tamen disiunctiue intelleguntur. Cui exemplo hoc respondet: ‘τὸ δὲ ἕτερον οὐ πάντως· „Τρύφων παρέσται, Ἀπολλώνιος παρέσται“’[2]); additurque huius quoque exempli explicatio, quae explicationi prioris respondet. Inter quae exempla haec scripta leguntur ‘τὸ δὲ ἕτερον ἀληθές, εἰ φαίημεν οὕτως „ἡμέρας οὔσης ἡμέρα ἐστίν“’; ubi saltem eandem sententiae permutationem etiam in altero exemplo exspectamus. Deinde, id quod grauius est, prorsus non intellegitur, quomodo ad ea, quae demonstranda sunt, hoc exemplum quadret: nam cum inter prius et alterum differentiam intercedere exponendum sit, haec permutatio pariter atque priori potest alteri accidere: ‘Ἀπολλωνίου παρόντος Ἀπολλώνιος παρέσται’, et hoc quoque uerum erit. Praeterea hoc medio exemplo ce-

1) Uhligii et Egenolffii medendi rationes non sufficiunt, cum non una omnes offensiones tollantur.

2) Nam οὐ negationem ante uerbum παρέσται traditam delendam esse docet et prius exemplum, cui respondere debet, et huius ipsius exempli permutatio, quae subsequitur.

terorum responsio deletur haec: 'τὸ γοῦν πρότερον ὑπόδειγμα ... πάλιν ἐν διαζεύξει ἔσται ..., τὸ δὲ ἕτερον οὐ πάντως'. His de causis hoc exemplum deleo.

225, 18 sqq. refutatur eorum sententia, qui ἆρα coniunctionem esse propterea negabant, quod utrum poneretur necne, nihil ad sententiam interesset: afferturque primum exemplum κ 251 sq., ubi uocula καί omittatur, quam nihilo secius coniunctionem esse ab omnibus concedatur. Secuntur deinde, ut iam Schneideri et Bekkeri supplementis utar, haec: 'ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἄλλη λέξις, ⟨εἰ καὶ ἔσθ' ὅτε πλε⟩ονάσειεν, οὐ παρὰ τοῦτο πλέον τι ἀνα⟨δεδεγμέναι⟩ εἰσί, λέγω καθόλου ἐπὶ πασῶν λέξεων;' Quae delenda esse censeo, cum huius enuntiati constructio λέξις ... ἀναδεδεγμέναι εἰσίν uel tritissimis grammaticae de subiecti et praedicati congruentia legibus oppugnet. Desideratur potius nomen aliquod plurali numero positum quale est 'φράσεις'; atque pro ἄλλη λέξις si scribimus ἄλλῃ λέξει et haec uerba cum enuntiato condicionali coniungimus, haec sententia oritur: 'enuntiata, quamquam per pleonasmum primam quamque uoculam accipiant, inde non plus edicere'. Sed ne ea quidem sententia, licet ex Apollonii de pleonasmo doctrina sit, argumentum est eius quaestionis, de qua hoc loco diiudicandum est. Quod ut esset, saltem addendum erat etiam alias praeter coniunctiones uoces, si per pleonasmum adderentur, inde suae ipsarum orationis parti attribui non desinere.

239, 2 sq. Apollonius postquam formam ἕνεκα cum genetiuo casualium, οὕνεκα, quae idem significat quod ὅτι, cum uerbo coniungi exposuit 238, 23 — 239, 1, quaestioni, quae possit exsistere, num, si pro forma οὕνεκα distracta οὗ ἕνεκα cum uerbo coniungatur, etiam simplex ἕνεκα cum uerbo coniuncta sit, respondet ita: 'ἀλλὰ κἂν δύο μέρη λόγου καθεστήκῃ τὸ οὕνεκα, ἔχει προκειμένην τὴν „τοῦ" γενικήν. τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τοῦ οὕνεκα'. — Quae manifesto corrupta sunt. Est autem sola conexus explicatio haec: 'si coniunctio οὕνεκα in duas uoces distrahitur, harum prior est οὗ [1]), et ad hanc, non ad uerbum

1) Sic igitur 239, 2 sq. legendum censeo: 'ἔχει προκειμένην τὴν οὗ γενικήν'.

(id quod nonnulli credidisse uidentur) ἕνεκα construitur'. — Sed cum priorem uocis partem esse genetiuum οὗ, de forma τοὔνεκα dici nequeat, ne in altero quidem enuntiato τοὔνεκα pro eo, quod exstat οὕνεκα scribendum est. Immo delenda sunt uerba 'τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τοῦ οὕνεκα'.

242, 1 sqq. uariae de coniunctionis διότι origine sententiae ita indicantur 'ἐπὶ τούτου ἐπέστησάν τινες, εἰ μετὰ τῆς „διά" προθέσεως. σύγκειται ὁ „ὅτι" σύνδεσμος ἢ τὸ „ὅτι" πτωτικόν' additurque hoc casuale aut unum esse posse simplex, ὅτι a dialectica forma ὅτις deriuatum (de constr. 318, 18), aut duas uoculas ὅ et τὶ iuxta positas. Sed inuenies hoc quidem loco refutata priore illa de praepositione διά et coniunctione ὅτι originatione (— 242, 18) de eo solo cogitari esse apposita praepositionem διά et duos accusatiuos ὅ et τί. Cum autem nullo argumento demonstrari possit partem aliquam de tertia διότι originatione periisse, illa uerba 'καὶ δῆλον ὅτι ἢ ἁπλοῦν ἢ ἐν παραθέσει τοῦ ὁ' (242, 2 sq.) ab eo apposita esse puto, qui etiam de hac re Apollonium accuratissime quaesiuisse in quarto de constructione libro (p. 318, 14 sqq.) meminit.

248, 1 sqq. e Chaeremonis sententia ita coniunctionum expletiuarum nomen explicatur, ut et ex forma et ex notione ductum esse patronymicorum possessiuorumque exemplis probetur. Quae igitur de illorum nominibus disputata sunt, ad idem de coniunctionibus illis probandum inde a u. 6 comprehenduntur sic: 'ὡς οὖν τὸ τῷ τύπῳ πατρωνυμικῷ προσκεχρημένον, οὐ μὴν δηλουμένῳ, πατρωνυμικὸν καλεῖται, ὥσπερ τὰ τύπῳ ἀρσενικά, οὐ μὴν δηλουμένῳ, ἀρσενικὰ καλεῖται, οὕτω κτλ.'. In qua comprehensione miror id, quod iam ut nouae conclusionis fundamentum esset, collectum est, nouo masculinarum formarum exemplo probari. Aut, si altero enuntiato comparatiuo nouum eiusdem momenti exemplum afferri putes, asyndeton rursus, quod intercedit inter hoc et antecedens enuntiatum, mihi uidetur prodere uerba 'ὡς καὶ τὰ τύπῳ ἀρσενικά, οὐ μὴν δηλουμένῳ, ἀρσενικὰ καλεῖται' e margine in textum irrepsisse.

251, 12 sqq. Afferuntur inde a 249, 29 exempla, quibus

Apollonius probat interdum uel expletiuas coniunctiones uim propriam habere. Inter haec postquam uoculae $\overline{\pi\varepsilon\varrho}$ (251, 1—7) et *μήν* (8—12) prolatae sunt, priusquam eodem modo agatur de uoculis *ἤ* et *δή*, inseruntur rursus de particula $\overline{\pi\varepsilon\varrho}$ haec: '*ἕνεκα τούτου τὸ „ἀγαθός περ ἐών, θεοείκελ' Ἀχιλλεῦ" εἰς τὸν „δή" μεταλαμβάνεται, ὅτι μὴ κυρίως τὸ δηλούμενον αὐτοῦ ἀπαιτεῖ ὁ λόγος*'. — At haec et exemplorum illorum ordinem turbant et sensu carent, cum uerba *ἕνεκα τούτου* non habeant, quo referamus. Possent enim referri ad nihil nisi ad expositionem ab hoc loco alienam eamque antecedentem, qua explicaretur, quomodo expletiuae, cum non unam certam uim habeant, inter se mutari possent.

256, 23 sqq. Eorum sententia, qui *δή* et *ἤ* unam uocem esse censebant, cum *δή* forma per aphaeresin *δ* litterae in formam *ἤ* mutata esset, u. 25 sq. ita refutatur, ut eodem iure statui posse dicatur littera *δ* per pleonasmum formae *ἤ* addita alteram *δή* exstitisse uerbis '*πρῶτον τί οὐ μᾶλλον ὁ δή πεπλεόνακε τῷ δ;*'. E formula autem *πρῶτον κτλ.* alia argumenta ad eandem per solam aphaeresin deriuationem refellendam exspectari necesse est. Nihilo secius 256, 26 eius, qui modo aphaeresin, modo pleonasmum statuit, opinio inseritur haec: '*ἀλλ' ἴσως τις φήσειε ταῦτα καὶ πλεονάζειν καὶ λείπειν σύμφωνα, ὅπου γέ φαμεν τὴν ἰωκὰς διωκὰς εἶναι καὶ τὴν ἄχερδον ἄχερον οὖσαν καὶ παρὰ τὸ ὕω ὕδωρ· καὶ ἕνεκα τούτου οὔτε ὁ δή οὔτε ὁ ἤ*'. — Attamen his uerbis prioris argumentationis ordo prorsus interrumpitur atque desunt[1]), quibus haec inserta opinio refutetur, et singula quoque exstant, quae offendant. Primum ubique in eiusmodi formulis, qualis exstat, '*ἀλλ' ἴσως τις φήσειε*' futurum inuenies.[2]) Deinde inconcinne tria exempla tribus diuersis modis apponuntur. Tum desideratur conclusio, quam aduersarius hoc loco inductus ex exemplis suis fecerat. Videtur tamen latere in uerbis '*καὶ ἕνεκα*

1) Nisi forte haec agnosces in uerba '*καὶ ἕνεκα τούτου οὔτε ὁ δὴ οὔτε ὁ ἤ*', de quibus uide quae infra disputabo.

2) Ita de pron. 4, 13; 8, 27; 38, 1; 103, 5; 104, 3; de constr. 26, 2; 60, 5; 112, 13; 175, 23; 176, 7. 22; 182, 21; 188, 23.

τούτου κτλ.', quae ut saltem aliquantulum refutationis Apollonianae exstaret, scripta sunt pro iis, quae antea exarata erant 'καὶ ἕνεκα τούτου εἴτε ὁ δή εἴτε ὁ ἤ'. Sola enim hac scriptura probata uerbi ellipsin, quae solius copulae ἐστί esse potest, recte explices. Ut uero uerbis Apolloniana aduersarii refutatio inesset, tale quid dicendum erat 'καὶ ἕνεκα τούτου καὶ τὸν δή καὶ τὸν ἤ ἕνα εἶναι οὐ δέδοται'. — Quas omnes difficultates si comprehendes, totum locum supra p. 60 exscriptum interpolatum esse facile mecum putabis.

257, 9 sqq. In sententia τῆς μέντοι συντάξεως διαφορὰν ἔχουσι subiectum esse possunt nullae uoces, nisi quae ante in particulae huius inscriptione enumerantur, θήν, ῥά, νύ, πού, quaeque cum his comparatur uocula δή. Quare miror, quod in sequentibus cum hac aliae duae uoculae antea non nominatae, ἤ et αὖ, comparantur. Credo igitur aut has quoque ipsi inscriptioni inserendas aut haec uerba 'καὶ „ἤ“ καὶ „αὖ“' prorsus delenda esse. Eas autem ibi inserere uetamur et eo, quod de uocula ἤ iam propria particula exstabat 255, 5 — 257, 16, et eo, quod αὖ uoculam idem ualere, quod δή, dicere non licet. Ergo uerba 'καὶ „ἤ“ καὶ „αὖ“' deleo simulque pro ἀνέγκλιτοι scribo ἀνέγκλιτος.

Nunc quidem licebit monere uix casu accidisse, ut omnes fere, quas indagauimus maioris et cognitu difficiliores interpolationes in iis libellorum nostrorum partibus deprehenderemus, ubi in uniuersum de aliqua re disputatur, non in iis, ubi singulae formae enumerantur. Neque quisquam hoc mirabitur. Nam in illis praecipue exstant aut talia, quorum similia alibi quoque inueniantur, aut talia, quae utpote intellectu difficiliora luculentiore explicatione indigere potuerint uideri.

Caput IV.

De lacunis atque omissionibus.

Lacunarum quidem et eas, quae eius, qui epirrhematicon et syndesmicon in eam quam nos habemus formam transmutauit, consilio debentur, et eas, quae uacuo relicto in codice spatio cognitu faciles in syndesmico exstant, in cap. I et II commemorauimus.

Sed inesse cum ceteris Apollonii scriptis tum epirrhematico et syndesmico multas lacunas librariorum neglegentia ortas et cognitu difficillimas primus I. Bekkerus in annotationibus editionis suae, deinde G. Dronkius (praecipue in Mus. Rhen. IX, 606 sqq.), probauerunt et si qui alii data opera libellos illos emendare studuerunt. Iam sequantur quae ipse lacunas indagaui earumque medelae:

123, 1 sqq. sententiam quam proposuit '*ἢ καθολικῶς συνεῖναι τοῖς ῥήμασι τὰ ἐπιῤῥήματα ἢ μερικῶς*' probaturus Apollonius, postquam prioris iuncturae exempla apposuit, pergit u. 5 ita: 'ut adiectiuorum alia omni nomini apponere licet, alia non licet, ita etiam aduerbiorum nonnulla propter notionem a constructione prohibentur'. — At non omnino construi nequeunt, sed possunt non coniungi cum omnibus modis temporibus personis. Ut igitur in u. 2 sq. et 7 eae, quae in sententia probanda insunt, oppositiones '*καθολικῶς*' uel '*πάντα*' et '*μερικῶς*' quam maxime urgentur, ita hic quoque scribendum est *τῆς* ⟨*καθολικῆς*⟩ *συντ.* Eiusdem paginae u. 27 pronomen *τούτων*, etiamsi cum Dronkio quae nunc 124, 8—14 leguntur inseris 123, 16 post exemplum *ἄγε τύπτεσθε*, tamen quo referatur non habet. Nam praecedunt ea, quae cum omnibus uerbi formis conuenienter coniunguntur, cum uerbi *συνέμπτωσι* discernendae sola ea aduerbia seruiant, quae non omnibus apponi possunt. Scribo igitur, postquam id adiectiuum, quod insero, intercidit, *τῶν* in *τούτων* correctum esse ratus, *διὰ τῆς τῶν* ⟨*μερικῶν*⟩[1]) *παραθέσεως*.

1) Cf. schol. Dion. Thr. 937, 33 sq. '*οὕτω καὶ τὸ σήμερον, αὔριον καὶ τὰ ἑξῆς ἐπιῤῥήματα ... μερικώτερά ἐστιν*'.

131, 7 Apollonius ut exemplis demonstraret uerbum *δεῖ* per omnes personas una eademque forma uti propter constructionem ad solum infinitiuum pertinentem, unum exemplum '*ἐμὲ δεῖ γράφειν*' apponere satis habere non potuit; sed quia in u. 12 sq. tria explicantur, etiam hic tria apponenda erant: '*καὶ ἔνθεν μονοσχημάτιστον τὸ 'ἐμὲ δεῖ γράφειν, ⟨σὲ δεῖ γράφειν, ἐκεῖνον δεῖ γράφειν⟩*'.

138, 9: 'uocabula consonanti aliqua uel in medio uel in fine deficiente ex alia forma ueriore deriuata illius accentum non seruant, nisi forma, quae restat, accipere potest accentum' (*εἰ μὴ ὁ τύπος ὁ ὑπολειπόμενος παραδέχοιτο τὸν τόνον*). Urgendum erat 'eundem accentum', itaque scribendum esse censeo *τὸν ⟨αὐτὸν⟩ τόνον*.[1])

144, 11 sqq. 'uocem *ἄνεῳ* quidam nominatiuum pluralem uocis *ἄνεως* esse rati ita deriuabant: 'Ut a substantiuo *σκιά* fit *ἄσκιος*, ita a substantiuo *ἰά* (= *φωνή*) *ἄνιος*. Deinde haec forma atticam epectasin et litterae *ῐ* in *ε̆* metathesin patitur aeque atque in uocibus *μάντεως ὄφεως*, quae sunt pro ionicis *μάντιος ὄφιος*, ob illam epectasin eadem metathesis adhibetur'. Secuntur haec: '*ἀφ' οὗ πληθυντικὴ ἐκφορὰ ἀττικὴ ἄνεῳ*'. — Deest uocabulum, ad quod relatiuum *ἀφ' οὗ* pertineat. Potuit autem nullum esse nisi *τὸ ἄνεως*, quod uel ideo exspectatur, quod tota explicatio 144, 13—23 instituitur, ut forma *ἄνεως* deriuetur. Itaque post uocem *ἐπεκτάσεως* u. 23 signum lacunae ponendum censeo, cui haec fere sententia infuit: '*οὕτως δὴ οὖν γένοιτο ἂν καὶ τὸ ἄνεως*'.

155, 6 codex exhibet '*ὀξύνεται καὶ τὰ ἐν ὁμοφωνίᾳ οὐδέτερα πληθυντικά*'. Hoc falsum esse perspicientes scripserunt Bekkerus '*οὐδετέρᾳ πληθυντικῇ*', Skrzeczka '*⟨πρὸς⟩ οὐδέτερα πληθυντικά*'. At si conferes quae accuratius solaque recte scripta sunt 153, 10 '*βαρύνεται καὶ ὅσα ἐν ὁμοφωνίᾳ καθέστηκε πληθυντικῶν βαρυτόνων ὀνομάτων*' intelleges sufficere neque ea, quae illi uu. dd. proposuerunt, neque quae similia leguntur 139, 22 '*τὰ ὁμοφωνοῦντα ὀνομαστικῇ πληθυντικῇ οὐδετέρᾳ*'.

1) Cf. de coni. 224, 23, ubi spatium adhuc relictum in codice eandem uocem intercidisse significat.

Nam sola ea aduerbia in ᾰ oxytona sunt, quae nominatiuo neutrius pluralis et ipsi oxytono congruunt. Itaque scribo 155, 6 'τὰ ἐν ὁμοφωνίᾳ ⟨πρὸς ὀξύτονα⟩ οὐδέτερα πληθυντικά' et 139, 22 'τά τε ὁμοφωνοῦντα ⟨ὀξυτόνῳ⟩ ὀνομαστικῇ πληθ. οὐδ.'.

161, 8: ut semper, ubi de syllabarum quantitate disseritur, ea apertis uerbis describitur [1]), quoniam aliter notare Apollonius seu noluit seu nequiit, sic etiam hoc loco scribendum est: 'ὅτι γὰρ τὰ τοιαῦτα διὰ τοῦ ῑ ⟨μακροῦ⟩.

164, 13: aduersariis ut demonstrarent genetiuorum deriuatorum pluralem et singularem numerum acute distingui, etiam genetiuorum pluralium secretorum exempla apponenda erant: 'ἡ καλῶν, ἡ Ἀτρειδάων'.

168, 25: Offensionis ansam praebet nudum participium *συνυπάρχοντα*. Neque enim in uniuersum dictum esse potest, ut intellegantur uocabula, quae omnino cum comparatiuis aduerbiorum exstant [2]); nam eiusmodi sunt exempli gratia etiam comparatiui adiectiuorum, quorum commemoratio ab hoc loco prorsus aliena est. Item ad antecedentes formas spectare nequit, quoniam non plus una *ἀνωτάτω* praecedit. Subiectum igitur iustum enuntiato restituendum est ita: 'ὅτι ⟨τὰ ὑπερθετικὰ⟩ συνυπάρχοντα'.

170, 7 sq. leguntur haec '*τὸ μέγας ἑτερόπτωτον* [3]) *ἔχει τὸ μεγάλου καὶ τὸ ἐπίῤῥημα οὐ παρὰ τὴν μέγας, ὡς παρὰ τὴν μεγάλων*'. — In uerbis inde a particula *ὡς* quod nemo adhuc haesit, ualde miror. Mihi quidem in litteris $\overline{\omega\varsigma}$ uidetur latere aduerbii *μεγάλως* syllaba extrema scriboque 'καὶ τὸ ἐπίῤῥημα οὐ παρὰ τὴν μέγας, ⟨ἀλλὰ μεγάλ⟩ως παρὰ τὴν μεγάλων.

1) Cf. 150, 25 *τῷ ῑ βραχεῖ*; 26 *εἰς μακρὸν τὸ ῑ*; 151, 2 *εἰς βραχὺ ᾱ*; 158, 21 *ἐν μακρῷ τῷ ᾱ*; 27 *διὰ τὴν συστολὴν τοῦ ᾱ*; 159, 5 *πᾶν ... ἐν ἐκτάσει τοῦ ᾱ ἐστίν*; 7 *τοῦ ἐλλείποντος ᾱ ἐν συστολῇ*; 187, 20 *χαμάθεν ἐν βραχεῖ τῷ ᾱ*; alibi.

2) De hac substantiui quidem *συνύπαρξις* notione, uide quae disserui supra p. 16 ann.

3) Ita recte Egenolffius pro tradito *ἑτερόκλιτον*.

184, 11: omni sanitate carent haec: 'συναληλιμμένου τοῦ ᾱ εἰς τὸ η̄'. Nam ut contractio statui possit, antea duas uoces secretas exstitisse oportet. Scribendum igitur est ex Apollonii uocis κηγχός e uocula ionica κῆ et forma, quam ponit, ἀγχός deriuatione 'σ υ ν α λ η λ ι μ μ έ ν ο υ τ ο ῦ ⟨η̄ καὶ τοῦ⟩ ᾱ εἰς τὸ η̄'.

184, 30: Vix dici potest ... τοπικὴ ἐκφορά ..., λέγω ἐκ τόπου[1]), sed dicendum est λ έ γ ω ⟨τ ὴ ν⟩ ἐ κ τ ό π ο υ.

189, 10 ad normam antecedentium exemplorum etiam ante uocem στεφανοποιός primitiuum inserendum est ita: ⟨π α ρ ὰ τ ὸ σ τ έ φ α ν ο ς⟩ σ τ ε φ α ν ο π ο ι ό ς, idque concinnitatis causa; quod uero a uoce βάλανον sola deriuatio βαλανηφόρος apposita est: fieri aliter non potuit, quia βαλανοποιός non formatur.

199, 11: antea inde a u. 8 usque ad uerba διὰ τοῦ 'Ελλησπόντου u. 11 exponitur praepositionis διά cum genetiuo coniunctae aliam esse notionem, si genetiuo persona, aliam, si ei loci aliqua significatio insit. Secuntur haec: 'τὸ γὰρ ἐπ' αἰτιατικῆς παραλαμβανόμενον αἰτιολογικὴν ὑπαγορεύει φράσιν'. — In quibus urgendum erat, cum notio praepositionis cum genetiuo coniunctae diuersa esset pro natura ipsius genetiui, semper eandem esse notionem eiusdem praepositionis cum accusatiuo coniunctae. Itaque post παραλαμβανόμενον participium μόνον aduerbium insero, quod propter litterarum similitudinem excidit.

Eandem uocem insero post eandem participii formam de coni. **244, 28**. Ubi ut exsistat sententia haec 'coniunctio effectiua etiam cum futuro, i. e. et cum praeterito et cum futuro, causalis cum solo praeterito coniungi potest', scribo 'τὸν δὲ αἰτιολογικὸν λεγόμενον ⟨μόνον⟩ παρῳχημένοις'.

203, 30 in uerbis ... διαφέρει τὸ τοιαῦτα, καθὸ ὅ μέν ἐστι παρηγμένον διὰ τοῦ δε, ὅ δὲ ἐν δυσὶ μέρεσι λόγου κτλ.' et pronomen τὰ τοιαῦτα et formula ὅ μὲν — ὅ δὲ quo referantur desiderant. Nec prorsus tollitur haec offensio R. Schneideri coniectura hac 'καθὸ τὸ μὲν „ὅδε" —, τὸ δὲ „ὅ δέ"',

1) Ita Dronkius pro codicis τύπου.

quia ne ita quidem pronomini *τὰ τοιαῦτα* iusta explicatio et relatio redditur. Equidem non muto formulam *ὃ μὲν — ὃ δέ*, Apollonii propriam [1]), quam saepius et tractat et ipse adhibet, et post pronomen *τὰ τοιαῦτα* (cf. 193, 6) insero: ⟨*τὸ 'ὃ δε'* *καὶ τὸ 'ὃ δὲ'*⟩.

204, 19: ut in u. 17 sq. ad aduerbium *κύκλῳ* claris uerbis annotatur eius notionem localem non deriuationi, sed primitiuo iam ipsi, quod locali notione utatur, deberi, sic rursus eadem de causa ad aduerbium *πόῤῥῳ* [2]) annotatur '*παρακείμενον τῷ πόρος, πάλιν τοπικῆς ἐννοίας οὔσης*'. Sed tradita uerba sic interpretari debemus: 'item *πόῤῥῳ*, localem notionem habens et a nomine *πόρος* deriuatum'. Postulatur autem, quantum quidem ad sensum, hoc: '*ὁμοίως καὶ τὸ πόῤῥῳ, παρακείμενον τῷ πόρος, πάλιν τοπικῆς ἐννοίας ⟨αὐτῷ τούτῳ ἐν⟩ούσης*'.

206, 2 sq. enuntiati condicionalis '*εἰ δὲ μή γε ἡ διὰ τοῦ ō* [3]) *γραφὴ ἐγγίνεται*' apodosis prorsus deest, quod neminem adhuc sensisse miror. Ad normam igitur eorum, quae exstant 192, 17, post uerbum *ἐγγίνεται* insero haec: ⟨*τὸ ϑ̄ εἰς τὸ σ̄ μεταλαμβάνεται*⟩; quamquam non nego eodem iure e ratione eorum, quae leguntur 163, 11, suppleri posse ⟨*ἀντὶ τοῦ ϑ̄ τὸ σ̄ παραλαμβάνεται*⟩. Sed siue hoc siue illud statuis, post supplementum colon, quod dicitur, ponendum est, ut hoc ipso in sequentibus utriusque formationis exempla afferri notetur.

Iam uenimus ad syndesmicon:

216, 13 e uerbis, quae antecedentium continent causam exemplique explanationem, '*μόνον γὰρ ἓν ἔστι τῶν νοουμένων πραγμάτων κατὰ ταὐτὰ παραλαμβάνεσϑαι*' elucet in antece-

1) De pron. 35, 7 sq.; 59, 2. 5; praecipue de adu. 155, 18; singillatim de ea exponit de constr. 35, 1 sqq.; 92, 20 sqq.

2) Sic, non *πόῤῥω* scribendum est secundum Apollonii a uocis *πόρος* datiuo deriuationem (cf. de adu. 167, 1 sqq.).

3) Haec enim littera, quae recte exstat in u. 2, pro traditis *σ̄ε* u. 3 restituenda est.

dentibus utramque illarum rerum, de quarum ueritate ut doceret exemplum appositum est, commemorata esse. Accedit, quod disiunctionis exemplum solo disiunctionis altero membro apposito praestari nequit. Quare locum reficio sic: 'σαφὲς γενήσεται ἐκ τοῦ ⟨ἢ ἡμέρα ἐστὶν⟩ ἢ νὺξ ἐστι'.

221, 1 sq. uerbis, quae nunc exstant ita: 'τὴν τῶν προκατειλεγμένων τάξιν ἔστιν οἰκείως ἐκδέξασθαι', si conferes u. 11—15, facile perspicies scriptorem haec dicere uoluisse: 'potest coniunctionum, de quibus agitur, collocatio ipsarum naturae propria uideri'. — At in traditis uerbis haec inesse nequeunt; nam haec 'ἔστιν οἰκείως ἐκδέξασθαι' uidentur significare 'sua quisque ratione eas potest intellegere'. — Vide porro uerba 'ὡς ἔφαμ⟨εν οὖν τῇ δυνά⟩μει τῶν συνδέσμων ᾠκείωται', quae ita, ut nunc tota particula legitur, quo referantur non habent. Putabis autem, si usum respexeris, quem Apollonius obseruat, si lectores ad alium locum relegat [1]), ea uerba illud habuisse in ipsa, de qua quaestio est, particulae inscriptione. Quare ut et uerbis ἔφαμεν οὖν, quo referantur, et enuntiato 'τὴν τῶν προκατειλ. κτλ.' sententia quae postulatur, reddatur, equidem supplendum esse censeo ita: 'τὴν τῶν προκατειλεγμένων τάξιν ἔστιν οἰκείως ⟨τῇ δυνάμει ἔχουσαν⟩ ἐκδέξασθαι'. [2])

235, 9 sq. exempla quae antecedunt 'ὅτι ἡμέρα ἐστί, φῶς ἐστι· ὅτι περιπατῶ, κινοῦμαι· ὅτι ἠπαιδεύτησας, δαρήσῃ' explicantur uerbis his '... τὰ δὲ δύο τὰ πρότερα αὐτόθεν πάλιν εἶχε τὴν ἐπιφορὰν ἀληθῆ· ἐπεὶ οὐ πάντως ὅτι ἀνέγνως, τιμηθήσῃ· οὐ γὰρ πάντως σύνεστι τῷ ἀναγνῶναι τὸ τιμηθῆναι'. Quorum in compluribus haereo: prius quidem exemplorum trias, quam nisi certis causis postularetur, Apollonium

1) Rectissime enim ὡς ἔφα⟨μεν οὖν⟩ a Bekkero suppletum est.

2) Eadem uerbi ἐκδέξασθαι constructio inuenitur de constr. 6, 7; 156, 20; eademque eius enuntiati, quod exstat de coni. 241, 25 sq., ad normam prioris membri huius 'τί γάρ, εἰ καὶ οὕτω τις ἐκδέξαιτο, τὸν „γάρ" πλεονάζοντα' alteri quoque membro reddenda uidetur. Ibi igitur scribo 'τόν τε „μέν" οὐκ ἀσυνήθως ἀντὶ τοῦ „μήν" παρειλημμένον' pro tradito ... παρειλῆφθαι.

euitasse supra p. 30 sq. exposui; tum exempli alicuius, quod antea non exstat explicatio, eaque exemplis antecedentibus per particulam causalem adiuncta: 'ἐπεὶ οὐ πάντως, ὅτι ἀνέγνως, τιμηθήσῃ κτλ.'. Quibus de causis tribus illis exemplis post secundum adicio hoc quartum '⟨ὅτι ἀνέγνως, τιμηθήσῃ⟩'.

239, 18. Exponit Apollonius inde a u. 11, si in periodo causali coniunctionis ὅτι loco ponatur γάρ, enuntiatum causale postponendum esse; nam si illa tantum omissa et enuntiato causali non transposito particula γάρ alteri loco, quem locum sibi uindicarit, inseratur, falsam exsistere sententiam. Cuius rei illustrandae causa affertur exemplum hoc 'τὸ ἡμέρα ἐστὶν αἴτιόν ἐστι τοῦ φῶς εἶναι· „ὅτι ἡμέρα ἐστί, φῶς ἐστι". „φῶς γάρ ἐστι". ὡς προεῖπον, ψευδὴς ὁ λόγος'. — Verba φῶς γάρ ἐστιν corrupta sunt. Nam etiam in falsae sententiarum per particulam γάρ iuncturae exemplo utrumque periodi membrum, et causam et conclusionem, exstare oportet. Neque enim per se falsa est sententia 'φῶς γάρ ἐστιν', sed tantummodo propterea, quod tanquam causa affertur rei eiusmodi, cuius sit consequentia. — Tum offendit transitio ad uerba 'ὡς προεῖπον κτλ.', ut nunc quidem est, per asyndeton, satis abrupta. — Quibus de causis totum enuntiatum sic fere restituendum esse censeo: '⟨ἀλλ' ἐν τῷ „ἡμέρα ἐστί·⟩ φῶς γάρ ἐστιν", ὡς προεῖπον, ψευδὴς ὁ λόγος'.

240, 28: exemplum ὅτι γὰρ παρεγένου quod iam in u. 21 exstat, hic superuacaneum est. Hoc loco potius duarum coniunctionum iuncturae 'ὅτι γάρ' ipsa explicatio Tryphonis postulatur, qui ex duabus unam effici statuit. Post eam demum exhibitam iure potuit adici 'καὶ ἐπὶ τῶν παραπλησίων τὸ αὐτό'. Insere igitur post alterum exemplum eius explicationem hanc ⟨ὡς 'διότι παρεγένου'⟩.

247, 8 quae antecedunt, colliguntur ita: 'ergo in eiusmodi phrasibus „ἐμὴν χάριν, σὴν χάριν" uocula χάριν nomen est'. Quaeritur, quaenam sequentibus 'οὐδὲν μέντοι κωλῦον [1]) καὶ

1) Ita pro tradito κωλύοι scribendum esse infra p. 74 demonstrabo.

τὸ ἔθιμον ἐκδέξασθαι ὄνομα' insit sententia. Accurata et simplex interpretatio uidetur postulare, ut hanc inesse statuamus: 'atque adeo usitatum ipsum illud nomen in illis iuncturis „ἐμὴν χάριν, σὴν χάριν" inest'; qua sententia fortasse Apollonius uideri possit praeoccupare uelle, si quis id uocabulum χάριν, quod illis quidem iuncturis inest, propriam formam, aduerbialem forsitan, esse existimet. Postulatur uero hic sensus: 'nihil impedit, quin etiam in uocula χάριν cum genetiuo substantiui coniuncta usitatum illud nomen agnoscatur'. Tunc demum tota argumentatio, quae subsequitur, sana est: 'etiam in hac iunctura exstat usitatum illud nomen, si quidem in ea ut in altera, praepositio εἰς subauditur'. Quare equidem ad normam antecedentium 'κατὰ τὰς τοιαύτας συντάξεις' (247, 8 sq.), quae sunt χάριν uoculae et possessiuorum iuncturae, scribo sic: 'οὐδὲν μέντοι κωλῦον καὶ ⟨κατὰ τὰς ἑτέρας συντάξεις⟩ τὸ ἔθιμον ἐκδέξασθαι ὄνομα'. Apparet igitur R. Schneiderum haec uerba lineola sua interposita non debuisse ab antecedentibus secernere.

Sed ne ita quidem tota de uocula χάριν particula prorsus sanata ést. Quae enim 247, 14—20 disputantur, Apollonius haud dubie enuntiato 'πάνυ δέ ἐστι κἀκείνου ἀπόδειξις' indicare uoluit. At, ut nunc formatum est, eo enuntiato illa indicare non potuit. Desideratur enim demonstratiuum aliquod et offendit particula καί pronomini ἐκείνου antecedens (κἀκείνου exstat), quia non noui quidquam probandum est, sed idem illud, quod antea: χάριν uoculam et cum possessiuis et cum genetiuis substantiuorum coniunctam usitatum nomen esse. Ita equidem coll. de constr. 19, 1 'ἣ καὶ αὕτη ἀπόδειξίς ἐστι . . .' scribo 'πάνυ δέ ἐστι κα⟨ὶ αὕτη ἐ⟩κείνου ἀπόδειξις'. Sententiarum autem per particulam 247, 4—20 exstitit ordo pulcherrimus hic: 'I. in talibus elocutionibus „ἐμὴν χάριν, σὴν χάριν" uocula χάριν notum illud nomen est, quia possessiua cum nominibus ita coniunguntur; II. etiam in talibus „χάριν Ἀπολλωνίου" idem substantiui accusatiuus exstat, qui in illis, quia eadem εἰς praepositionis ellipsis statuenda est; III. imprimis autem demonstratio etiam in eo uersatur, quod ut in

elocutione *χάριν Θέωνος*, ita ui quidem in iunctura *ἐμὴν χάριν* genetiuus a substantiuo pendens inest'.

251, 29 Apollonius ut demonstret etiam e collectiuis, utpote e compluribus expletiuis saepe compositis, expletiuarum uim ac notionem cognosci, affert exemplum *τοίνυν*. Sed tam abrupte, quam nunc quidem allatum uidetur, per nudum accusatiuum sine praepositione et sine uerbo regente, ab Apollonio appositum esse prorsus nego. Insero potius ante accusatiuum '*τὸν τοίνυν*' formulam *λέγω δέ* uel *λέγω δή*, quam eodem modo prima manus codicis A de constr. 204, 3 praetermiserat.

Haec quidem de lacunis. Ab his enim distinguendae mihi uisae sunt omissiones paruularum uocularum, coniunctionum nimirum et particularum et articulorum, atque adeo singularum litterularum.

Initium facio ab iis locis, ubi, praecipue in exemplis afferendis concinnitatis causa, quam supra in p. 30 sq. commemoraui, inserenda sunt aut articulus aut particula *καί* uel *ἤ* aut utraque uocula. — Scribendum igitur est **128, 25** *κατὰ τὸ πρῶτον καὶ ⟨τὸ⟩ δεύτερον καὶ ἔτι τὸ τρίτον*, **154, 18** *καὶ ⟨τὸ⟩ εἰς τόπον καὶ ⟨τὸ⟩ ἐν τόπῳ*, **161, 1** *οὕτως ⟨τῷ⟩ ἀτρεμῷ ⟨τὸ⟩ ἀτρέμα καὶ ἀτρέμας*, **176, 1** *παρὰ δύο διεστῶτα τὸ Ἄρειος πάγος ⟨τὸ⟩ Ἀρειοπαγίτης*, **184, 20** *καὶ ⟨τὸ⟩* ad normam uersuum 18. 22. 23. 24. 25, **193, 16** sq. *τὸ πότε πόκα ἐστι, τὸ ἄλλοτε ἄλλοκα, ⟨τὸ⟩ ὅτε ὅκα*, **202, 1** sq. *τῶν ἐν τόπῳ ἐπιῤῥημάτων καὶ ⟨τῶν⟩ εἰς τόπον* (cf. 204, 27. 32). **161, 2** sq. *τὸ πολλάκις καὶ πολλάκι, τουτάκις ⟨καὶ⟩ τουτάκις*. **165, 4** sq. *ὡς τὸ χαλκόφιν καὶ πασσαλόφιν, καὶ ἐν δοτικῇ, ὡς φρήτρηφι ⟨καὶ . . . . . .⟩, καὶ ἐν αἰτιατικῇ, ⟨ὡς⟩ δεξιόφιν ⟨καὶ⟩ ἀριστόφιν*. **194, 17** *καὶ ἐπεὶ κυκλόθεν ⟨καὶ⟩ κυκλόθι* (cf. u. 15; praeterea autem supra p. 32). **198, 2** *τῷ μὲν βαίνω οὐ παράκειται τὸ ἐμβαδόν, μᾶλλον δὲ τῷ βῶ ἢ βίβημι, ὡς τῷ ἱστῶ ⟨ἢ⟩ ἵστημι τὸ σταδόν*, **203, 24** *τὸ τηνικάδε καὶ τηνίκα, τημόσδε καὶ τῆμος, ὧδε ⟨καὶ⟩ ὧ*. De coni. **233, 6** *ὡς ἐν τῷ ἀντήνωρ καὶ ἀγαπήνωρ ⟨καὶ⟩ Ἐλπήνωρ*, — u. 8 iam recte Schneiderus *κ⟨αὶ*

Νεστό)*ρεια*. De adu. **166**, **23** *ὡς ἔχει τὸ ἑκατέρω καὶ τὸ τόνῳ* ⟨*καὶ τὸ*⟩ *ἄνω*. Itemque una cum particula *καί* excidit uocula *ναί* **209**, **20**, ubi scribendum est *ὅμοια τῷ* ⟨*ναὶ καὶ*⟩ *ναίχι, οὔ καὶ οὐχί*.

Eiusdem concinnitatis causa **187**, **2**, ut in primo et secundo membro exstat *ἀπὸ ἀντωνυμιῶν* et *ἀπὸ ὀνομάτων*, ita in tertio quoque scribendum est '*καὶ* ⟨*ἀπὸ*⟩ *ἐπιῤῥημάτων*'. — Similiter **197**, **1** ut primum et tertium argumentum a coniunctione *ὅτι* incipit, ita eadem in secundo post particulam *καί* inserenda est: '*καὶ* ⟨*ὅτι*⟩ *ἃ μὲν κτλ.*'.

Atque si his locis certis legibus de Apolloniana exempla afferendi ratione obseruatis particulam *καί* deesse quam firmissime probatur, non dubitabis eandem uel aliam inserere aliis quoque locis, ubi asyndeton, quod exstat, sana ratione explicari nequit. Ita scribendum censeo: de coni. **216**, **14** *παραλαμβάνεσθαι.* ⟨*καὶ*⟩ *ἡ ἐπαγγελία κτλ.*, **239**, **10** *ἔχει δὲ παραλλαγὰς τὸ μὴ ζητεῖσθαι πόσα μέρη λόγου τό* ⟨*τε*⟩ *ἐν ἀρχῇ παραλαμβάνεσθαι κτλ.*, **253**, **24** *τὰ πατρωνυμικὰ . . .* ⟨*καὶ*⟩ *τὰ κτητικὰ . . . καὶ ἔτι τὰ συγκριτικὰ . . . καὶ τὰ ὑπόλοιπα.* Contra *δέ* uel similis particula desideratur locis his: **151**, **31** asyndeton, quod exstat ante uerba '*τὰ πρωτότυπα*', excusare non licet eo, quod sit in enumeratione. Affertur potius regulae antea in uniuersum appositae certa species, quae illi opponitur. Scribendum igitur est '*τὰ* ⟨*δὲ*⟩ *πρωτότυπα*'. Neque talis digressionis conclusio, qualis exstat **152**, **24** in uerbis '*ἐν τοῖς προκειμένοις εἴρηται ἱκανῶς περὶ τοῦ ὑπόδρα*', particula carere potest; restituendum igitur est '⟨*Ἀλλ'*⟩ *ἐν τοῖς προκ. κτλ.*'.

Iam annectam eos locos, quibus nudus optatiuus legitur, cum e legibus grammaticis particula *ἄν* adicienda fuerit. Sed quoniam omnes fere, qui Apollonium tractauerunt, hi loci effugere uix potuerunt, nemo autem nisi inconstanter uno uel altero loco particulam addidit, nudum optatiuum pro optatiuo cum *ἄν* coniuncto omnino ab Apollonio usurpari uidentur pu-

tare. Itaque de nudi optatiui potentialis usu Apolloniano accuratius agendum esse uidi.

In omnibus Apollonii scriptis inueniuntur optatiui particula *ἄν* praediti exempla 159, quae apponere supersedeo, nudi optatiui eius, qui non e ratione orationis obliquae explicatur [1]), 27, quae infra annotabuntur. Quam numerorum rationem non uidentur cognouisse Bekkerus, Uhligius, Schneiderus, Egenolffius, qui satis inconstanter hoc et illo loco mutauerunt, in plurimis non offendebant. Sine dubio aut omnes 27 loci, ut traditi sunt, relinquendi sunt ususque Apollonii proprius agnoscendus est, aut omnes, nisi forte nonnullis certa causa absentiam *ἄν* particulae excusabit, corrigendi. Ut uero hanc alteram uiam ingrediar, praeter numerorum supra appositorum rationem multa me commouent.

Ac primum quidem *ἄν* particulam in Apollonii quoque scriptis librariorum neglegentia excidisse docet uel ille locus, qui exstat de constr. 206, 27, ubi codex C, qui optimo A proximus est, eam non exhibet; itemque ipse A de constr. 128, 11 pro eo, quod postulatur '*εὕροι ἄν*', praebet *εὕροιεν*; porro de adu. 134, 10 particula *ἄν* a correctore demum addita est; de adu. 186, 5 autem ei lacunae, quae propter desideratam negationem *οὐ* statuenda est, simul cum hac *ἄν* particulam infuisse uerisimile est; neque aliud quid nisi *καθὸ ἄν τις ἐπιστήσειε* latet de constr. 94, 3 in codicis A scriptura '*καθ' ὅν*

1) Ex huius ratione equidem explico locos nonnullos, qui aliis fortasse ad illum 27 numerum accedere uideri possint; iis enim usurpatur nudus optatiuus in enuntiatis quae uocant obiecti, etiamsi praecedit uel praesens uel perfectum. Exstat de adu. 146, 17; 159, 15; de constr. 47, 5 '*Τρύφων φησίν, ὡς εἴη*', itemque 332, 15 sqq. '*Ἡρακλείδης φησί ..., ὡς εἴη*'. Hic igitur Apollonius mihi quidem uidetur praesenti praeteriti uim tribuisse. Neque aliter explicandus est locus de adu. 164, 4 '*ὑπείληπται παρὰ πᾶσιν, ὡς ἐπιῤῥήματα εἴη, ὧν ἐστι καὶ Τρύφων*'. — Contra 166, 2 'ubi exstant *τά γ' οὖν προκατειλεγμένα δέδεικται ὡς εἴη παραγωγά*', et de coni. 257, 10, ubi leguntur '*εἴρηται δὲ καὶ περὶ τοῦ πού, ὡς οὐκ εἴη σύνδεσμος*', dubitari potest, num deductus sit, ut nudum optatiuum usurparet, ipse Apollonius ea re, quod *δέδεικται* et *εἴρηται* eodem fere sensu, quo saepius *ἔδειξα, ἐδείχθη* usurpat, posuerat, an his quidem locis *ἄν*, librariorum culpa omissum, addendum sit. Equidem hanc alteram uiam praeferam.

τις ἐπιστήσει'. Non minus confidenter scribarum neglegentiam deprehendisse mihi uideor iis locis, ubi intra minimum spatium idem modus et coniunctus cum particula et sine ea inuenitur notionis differentia non intercedente. Ita res se habet de pron. 31, 14 et 19 et de constr. 178, 17 sqq., ubi binae sententiae sibi respondent.

Sed dixerit fortasse quispiam initio in certis tantum formulis hunc nudi optatiui usum Apollonio stetisse atque inde latius serpsisse. At contraria sententia uera est. Cum enim nihil firmius exstare eiusmodi formulis concedendum sit, tum re uera plures earum eadem semper constructione utuntur. Ita habes solius praediti particula optatiui exempla a uerbo προστιθέναι nouem haec: de constr. 72, 14; 162, 19; de adu. 125, 16; 182, 11; de coni. 226, 23; 230, 22; 231, 24; 253, 10; 255, 14. — 220, 13, ubi exstat προσθείημεν, in ipso codice lacunae uestigium restat; a uerbo εὑρίσκειν 4 haec: de adu. 137, 8; de constr. 128, 12 (nam codicis εὕροιεν nihil nisi εὕροι ἄν esse potest); 210, 12; 211, 8; a uerbo ἐφίστημι uel in elocutione, cui substantiuum ἐπίστασις inest, 4 haec: de adu. 134, 14; 178, 25; 179, 29; de constr. 94, 3 (cf. supra p. 72); formularum, quae ad συνηγορίας notionem spectant, 6 haec: de adu. 187, 8; de coni. 240, 34; 242, 3; de constr. 186, 19; 226, 24; 235, 14; formularum, quae ad αἰτίας notionem, 4 haec: de pron. 38, 11; 58, 16; 109, 6; de constr. 239, 24; formulae περισσὸν ἂν εἴη denique 3 haec: de constr. 231, 5; 272, 1; 291, 5. Utque hae omnibus locis, ubi inueniuntur, unam eandemque constructionem exhibent, ita ceteras quoque eadem constantia olim usas esse statuo. Quae coniectura firmatur etiam eo, quod earum formularum, quas codices particula et addita et deficiente exhibent, semper multo pluribus exemplis ἄν inesse adsolet. Ita exstant exempla formarum uerba φάναι uel λέγειν particula praeditarum 23, ea carentium 8, uerbique διδόναι e priore parte stant 5, ex altera 2, formulaeque ἄλογον ἂν εἴη e priore parte stant 5, ex altera unum, formularum denique, in qua uox ἔνδειξις uel alia uocis δεῖξις composita insunt, proportio est haec: 5 : 1.

Cum igitur Apollonio illae formulae particulam exhibentes usitatissimae sint, non dubito semper ad plurium exemplorum normam corrigere singula eiusdem generis discrepantia et cetera paucissima, quae similium formarum analogia defendi non possunt.

Ceterum facillima mutatione eam, quam ex regula exspectamus, constructionem assequi poterimus. Nam sola lineola mutata de adu. **175, 22**; de coni. **241, 24**; **247, 9**; **248, 11** pro nudo optatiuo qui traditur *κωλύοι* restituo participium *κωλῦον* secundum exempla, quae ex usu Apollonii, qui participia uerborum finitorum instar posita ualde in deliciis habet[1], exstant de pron. 72, 23 et de aduerb. 225, 5.

Nec plus mutandum est de adu. **171, 3**; **174, 18**; de constr. **222, 2**, ubi *καί* particulam desideratamque *ἄν* contraho in *κἄν*, quam formam Apollonius ualde adamat.[2]) Scribo igitur, ut nunc solius epirrhematici locos apponam, **171, 3** '*κἂν ἴσως ὑπολάβοι τις*' et **174, 18** '*κἂν κατὰ τοῦτο οὖν τις σημειώσαιτο*'.

Deinde saepius syllabae similes, quae aut praecedebant aut sequebantur, effecerunt, ut particula *ἄν* periret; sed ipsam ueram lectionem rursus appono solorum epirrhematici et syndesmici locorum: de adu. **156, 25**: '*κατὰ τὸ δεύτερον ⟨ἂν⟩ διαπορήσειέ τις*'; contra in eiusdem paginae u. 23 aut cum Bekkero scribes *παραδεξαίμεθ' ἄν* aut non minus facile *παραδεξόμεθα*; **162, 28**: *ἀναλογώτερά τε τὰ τοιαῦτα εἴη ⟨ἂν⟩ ἐν βαρείᾳ τάσει*; **180, 29**: *οὐ γὰρ λέγοι τις ⟨ἂν⟩ ἀνθρώπους κτλ.*; **200, 3**: *πρὸς ὃν φαίημεν ⟨ἂν⟩*; **207, 3**: *οὐ γὰρ δή γε ⟨ἂν⟩ ἐν οἴκοθί τις φαίη*; de coni. **241, 8**: *ὡς ἐπὶ τοῦ αὐτὰρ ⟨ἂν⟩ ἓν ὑπολάβοι τις* (cf. de pron. 65, 14; de constr. 54, 19; 114, 11). Ceterorum scriptorum sanandi sunt loci hi: de pron. **43, 28**; **63, 7**; de constr. **87, 9**; **120, 10**; **133, 14**; **175, 26**; **320, 26**.

Praeterea aliam uiam, id quod iam supra tetigi, monstrant

1) Exempla huius usus infra apposita inuenies.

1) Cf. de constr. 161, 16; 265, 18; 337, 22; de pron. 15, 17; 69, 1. 4; 72, 12; 78, 24; de coni. 252, 6.

ipsi codices, qui optatiui aoristi et indicatiui futuri formas nonnunquam confundunt; ita exempli gratia de constr. 68, 25, ubi A praebet *ἀτακτήσειεν*, ceteri falso *ἀτακτήσει*. Qua confusione nisus iam Bekkerus de constr. 278, 24 restituit *ζητήσει*, et equidem scribo de adu. 126, 2 '*ἀλλ' ἴσως τις φήσει*', de qua formula uide quae ad p. 60 annotaui.

De adu. 141, 8 codex exhibet *θαρσήσει εντις*, ita tamen ut litterae *εντις* alio atramento scriptae uideantur; *εν* uero litterae prodere mihi uidentur uoculam a uocali incipientem intercidisse, eamque particulam *ἄν*; scribo igitur '*οὐδὲ θαρσήσειεν ⟨ἄν⟩ τις*'. Similiter res se habet de constr. 326, 4.

Ex 27 locis iam reliqui sunt duo soli, ubi neque ex eiusmodi indicio cognoscitur reuera olim exstitisse particulam, neque simili syllaba, ut facilius neglegeretur, efficiebatur: de pron. 115, 19 et de constr. 325, 14.

Quoniam autem ad illam de particula *ἄν* cum optatiuo coniuncta quaestionem ipsa epirrhematici et syndesmici emendandi opera ducti sumus, etiam de particula *ἄν* in Apollonii periodis irrealibus quae dicuntur apposita uel non apposita quam breuissime disserere licebit. Quamquam concedo etiam huius generis compluribus locis e scribarum culpa *ἄν* particulam excidere potuisse, tamen nego de hoc genere nos similes ac de illo leges eruere posse, quibus nisi omnes locos ad unam normam possimus corrigere. Neque enim similis exemplorum numerorum proportio exstat; nam apposita particula est locis 48 [1]), contra deest locis 20.[2])

1) De pron. 4, 14; 15, 15. 17; 25, 32; 30, 12; 31, 14; 41, 20; 50, 1; 60, 1. 2; 69, 1. 4; 72, 12; 78, 24; 95, 3; 104, 12; de adu. 134, 10; 168, 4. 8; 180, 25; 199, 27; 209, 9; de coni. 228, 19; 230, 16. 30; 232, 6; 256, 3; de constr. 16, 1; 35, 20; 60, 14; 96, 3; 114, 16; 130, 12; 161, 16; 162, 20. 22; 163, 25; 172, 2; 178, 17; 181, 22; 206, 27; 260, 1; 265, 18; 275, 22; 280, 24; 325, 19; 329, 15; 337, 22.

2) De pron. 12, 30; 31, 19; 46, 8; 62, 13; 63, 14; 72, 30; 91, 23; de adu. 127, 24; de coni. 237, 11; 255, 30; de constr. 50, 13; 131, 11. 13; 145, 27; 178, 23; 180, 16; 239, 2; 289, 1; 309, 21; 317, 20. De utriusque tamen partis

Non miror hanc in hoc genere aliam proportionem explicoque diuersitatem ita: Apollonius, cum particulae ἄν apud tempora praeterita et formas ἔδει, ἐχρῆν similes ellipsin animaduerteret neque uero, quibus de causis particula deesset, perspiceret, facile latius patere illam ellipsin potuit putare. Quare, quia priorum exemplorum numerus 47 non tantus est, ut discrepantia iis adaequare cogamur, equidem eos tantum locos corrigendos esse censeo, in quibus hypothesin irrealem inesse nullo indicio significatur. Ita de pron. **72, 30** uerbum ἐνοεῖτο hypothetice positum esse non cognosces, nisi scribes: 'ἐπεὶ ἕνεκα τούτου ἑνικὸν καὶ πληθυντικὸν ⟨ἂν⟩ ἐνοεῖτο'; etiam uerba quae secuntur 'ὅπερ ἄλογον' uidentur postulare, ut quam luculentissime uis antecedentium significetur. Item **91, 23** enuntiatum secundarium condicionale deest, cum 'εἰ γὰρ ἀπὸ τῆς γενικῆς τῆς νῶιν νωίτερος καὶ σφῶιν σφωίτερος', causale sit; condicionalis uero sententia supplenda est haec 'εἰ ἦν ἡ σφωὶν γενική', cui respondet 'ὅπερ οὐκ ἔστιν'. Quare hypothesis atque oppositio ut satis eluceant, scribo: 'δῆλον ὡς κἂν ἀπὸ τῆς τοῦ τρίτου γενικῆς ἐγίνετο δυϊκόν'.

Rectissime porro ἄν iam R. Schneiderus de coni. **237, 11** inseruit, ubi ex iis, quae tradita sunt, plane contraria ei, quae postulatur, sententia intellegeretur; eodemque iure Uhligius de constr. **131, 11** et **13.** Contra ex mea quidem sententia de adu. **127, 24** Egenolffii mutatio particulae καί in κἄν supernacanea uidebitur; falsam autem idem haud dubie emendandi rationem ingressus est de coni. **233, 6,** ubi Bekkeri in antecedentibus supplementi tantummodo μετ⟨έπεσεν⟩ ratione habita codicis lectionem παρειποιτοι mutat in παρείπετο. Rectius scribes cum Schneidero παρέποιτο, sed antea supplebis μετ⟨απέσοι⟩, quem optatiuum Apollonius cum formula οὐκ ἄλλως ἄν —, εἰ μή coniungere solet; cf. de constr. 120, 10; 133, 14. Non minus denique ut omnino quae subtilior differentia inter indicatiuum praeteritorum particula ἄν praeditum

exemplis singula iam nunc deducenda sunt ex iis, quae disputauimus in p. 73 de locis de pron. 31, 14 et de constr. 178, 23; restat igitur proportio 47 : 19.

et ea non praeditum intercederet, non perspexit Apollonius, ita uel iis locis, ubi ipsa necessitatis notio condicioni cuidam subiecta est, nudum ἐχρῆν similesque notiones scribere potuisse putandus est. Itaque de pron. 16, 20 et de adu. 184, 8, ubi Uhligius (emend. apoll. p. 17 et 15) particulam ἄν inserit, nec minus de constr. 187, 9 nudum ἐχρῆν uel ἔδει seruandum esse censeo.

Haec de omissionibus hactenus. Sed eidem librariorum neglegentiae pars aliqua earum transpositionum debetur, quibus nostri quoque libelli foedati sunt. Nam alteram eamque maiorem, plures illas transpositiones frustulorum ex aliis libellorum partibus seruatorum aliisque insertorum iam in I et II capite tractatas, certo alicuius consilio deberi uidimus.

Sed praeter has et praeter alias quas statuerunt Dronkius 128, 8—14 et 161, 17—25, Schneiderus 197, 22, equidem 181, 20—23, quales unde originem ducere soleant nemo nescit, etiam singulae uel plures uoculae ita omittebantur, ut uidimus p. 70 sqq.; hae uero, si eas omissas esse animaduertebatur, facile uel in margine uel supra uersus annotari itaque si minus ab iisdem, a quibus omissae erant, at a posterioribus librariis textui, sed falso loco, inculcari potuerunt. Et agnouerunt reuera iam alii nostrorum libellorum multis locis transpositiones, quarum illa est origo.[1])

Sed etiam nunc restare mihi uisus est haud ita paruus locorum numerus, qui eadem medela sanari possint. Ita **136, 30—32**, ut pro explanatione longiore uertam, exstant haec: ‘φρονῶ metathesi litterae ε̄ in ο̄ a uerbo φρενῶ formatum esse nequit; diuersa enim utrique notio subest, si quidem metathesis, ut ceterae passiones, non ad notionem pertinet’. Hanc peruersissimam esse argumentationem quisque uidebit, cum recta conclusio sit haec: ‘φρονῶ metathesi a uerbo φρενῶ formatum esse non potest, quod uocum passionibus notio uerbo-

1) Ita Bekkerus 127, 1; Skrzeczka 144, 3 sq.; 192, 16; Schoem. 133, 9; Uhligius 166, 9; R. Schneiderus 153, 4; Egenolffius (ann. philol. CXVII, 843) 136, 2.

rum non mutatur; hoc uero statuendum esset; diuersa enim est notio uerborum *φρενῶ* et *φρονῶ*'. Quam sententiam restituo uerbis '*οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ ἔννοια*' post uerba '*εἴγε πάθη οὐ τῶν λεκτῶν, τῶν δὲ φωνῶν*' insertis. Non enim obstat huic transpositioni id, quod ante particulam *γάρ* supplendum est tale quid: 'hoc autem statuendum esset'. Nam eiusmodi sententias, ut iam in p. 29 monui, Apollonius saepissime omisit.

146, 8 ad normam antecedentium *ὡς παρὰ τὸ ἐκεῖνος ἐκείνως, οὗτος οὕτως, αὐτός αὐτόθεν* et *ὡς παρὰ τὸ ἐπιστάμενος ἐπισταμένως καὶ ἐῤῥωμένος ἐῤῥωμένως* pro tradita collocatione '*ὡς ἐξ ἔξω καὶ παρὰ τὸ ἐν ἔνδον*' facili transpositione ordo sic restituendus uidetur: '*ὡς ⟨παρὰ τὸ⟩ ἐξ ἔξω καὶ ἐν ἔνδον*'.

147, 11 sq. exemplum *τὸ ἕαδεν*, ut simul uerbi *πλεονάζειν* subiectum esse eluceat, sic collocandum est: '*τὸ ἔεδνα πλεονάζει τῷ ε, τὸ ἔειπε*[1]*, τὸ ἐώρων· καὶ ⟨τὸ ἕαδεν⟩, εἰ μὴ διαίρεσις τοῦ ἧδε, ἀπὸ δὲ τοῦ „ἅδε δ' Ἕκτορι μῦθος"*'.

151, 4 ea particula *καί*, quae uerba *ἑτέρῳ λόγῳ* sequitur, iis anteponenda est; nam etiam antea de aduerbiorum *ἰδίᾳ* et *δημοσίᾳ* per *ι* scriptura disseritur (151, 1); de eadem igitur re, sed etiam alia ratione dicendum est inde a u. 4.

162, 5 eadem particula e concinnitatis ratione post uerbum *ἔχει* transponenda est; formulam enim *οὕτως ἔχει καί* usitatissimam inuenies exempli gratia ter 187, 23—26. Probabiliter praeterea conicias uerba '*παρὰ τὸ δωρίζω*' interpolata esse ad normam expositionis proxime antecedentis; ibi enim uerbum, unde aduerbia deriuata essent, apponi oportebat, hoc loco uerbum illud et superuacaneum est et concinnitatem delet. — Tertium exemplum particula *καί* transponendae exstat **195, 6**: nam pro traditis his '*ἀλλὰ πάλιν ἐδόκει καὶ τὸ „πρὸ" ἀντικεῖσθαι*' scribendum est '*ἀλλὰ καὶ πάλιν κτλ.*'. Iam enim in iunctura *οὐρανόθι πρό* praepositio *πρό* regulae obstabat; eadem obstat rursus quoque in ea, quam alii statuebant, lectione *οὐρανόθεν πρό*.

1) Cf. supra p. 34.

De uerbis 'καθὼς προείπομεν' 166, 13 cf. supra p. 48. Similiter, atque ibi de illo loco diiudicaui, de eadem formula 179, 29 diiudicandum est: neque enim antea exponitur id, quod enuntiato a coniunctione ὅτι incipienti inest, Apollonianae uoculae ὧδε deriuationi obstare, sed tantummodo ad quaestionem de uoce ἐνθάδε prorsus aliam soluendam afferebatur. Ita uerba 'καθὼς εἴπομεν' coniunctionem ὅτι subsequantur necesse est.

199, 27 uerborum collocatio haec 'καὶ ἐπί γε μάλιστα τοῦ προκειμένου μορίου' et ex grammatica ratione et ex usu Apolloniano — cf. de adu. 204, 22 'καὶ μάλιστά γε ἐπὶ τῆς κτλ.' — mutanda est in 'καὶ μάλιστά γε ἐπὶ τοῦ προκ. μ.'.

204, 7 contra codicis auctoritatem uerba ita collocanda sunt: 'τὰ διὰ τοῦ ζε μόνως τὴν εἰς τόπον σχέσιν σημαίνει'; nam multa alia quoque aduerbia directionem in locum significant, sed aduerbia in ζε solam hanc. Exempla iustae aduerbii μόνως collocationis habes 151, 31; 207, 9; de constr. 131, 14; 339, 18.

209, 28 articulum τῇ, quem post datiuum φωνῇ ferri non posse uidit Uhligius, ante datiuum illum collocandum arbitror. Exsistit ita rarus [1]) ille substantiui datiui cum articulo usus, qui exstat 184, 7 in uerbis 'τῷ τύπῳ' itemque de coni. 215, 18 'τῷ τύπῳ τῆς φωνῆς'.

De coni. 253, 10 sq. exstant haec 'προσθείην δ' ἂν καὶ τοῦτο, ὡς οὐδὲ ἀπὸ τοῦ δηλουμένου δυνατὸν ἦν τὴν ὀνομασίαν θέσθαι'. — At iam in antecedentibus exponitur expletiuarum nomen non ab earum significatione deriuari, ut ineptissima sit oppositio ea, quae particulae οὐδέ collocatione, qualis nunc est, exsistit. Hic potius est sententiarum conexus: 'eo usque demonstratur reuera non esse earum nomen a significatione deriuatum; exinde demonstrandum est ne potuisse quidem fieri, ut ita deriuetur': cf. 253, 17 sq. 'καὶ εἰ διάφοροι κατὰ τὸ δηλούμενον, πῶς ἦν δυνατὸν μίαν ὀνομασίαν ἀπὸ

1) Utitur enim Apollonius alibi praepositione κατά cum acc. uel ἕνεκα cum gen. coniuncta.

τοῦ δηλουμένου χωρίσαι;' — Verba igitur transponenda sunt ita: '*ὡς ἀπὸ τοῦ δηλουμένου οὐδὲ δυνατὸν ἦν τὴν ὀνομασίαν θέσθαι*'.

Caput V.

De singularum uocum corruptelis.

Atque huius quidem corruptelarum generis multo plures quam antecedentium easque e magna parte saluberrimas uu. dd. iam praebuerunt. Sed quamquam ea re factum est, ut huius generis medelas de meo pauciores adicere possim, reticendas tamen non putaui eas coniecturas, quibus etiam post illas Apollonii de aduerbio et de coniunctione scripta mihi uisa sunt indigere.

125, 16 sqq.: 'Si aduerbio propriam reddis collocationem, praeponitur et in omni postpositione hyperbaton agnoscendum est'. Pergit Apollonius: '*ἀλλὰ τὸ σύνηθες τοῦ λόγου ὡς ἐν ἴσῳ τὴν σύνταξιν ἐποιήσατο*', satis neglegenter, cum quamnam constructionem et cuinam nesciamus. Quare uocis *σύνταξιν* loco eam, quae exempli gratia exstat de pron. 116, 5 et de coni. 239, 11, restituo, *ὑπόταξιν*.

137, 17 pro eo, quod in codice exstat, '*ἐν λείψει*' Bekkerus ediderat *ἐν ⟨ἐλ⟩λείψει*. Equidem collatis his '*ἀφ' οὗ γέγονε ... ἐλλείψει τῆς ευ διφθόγγου ἠνορέα*' (136, 12) et '*οὕτω καὶ παρὰ τὸ αὔω ἄναυος καὶ ἐλλείψει τοῦ υ ἄναος*' (scil. *ἀποτελεῖται, γίνεται*: 145, 3 sq.) scribere malim faciliore litterae *ν* in *λ* mutatione merum datiuum *ἐλλείψει*.

144, 1 sq. in editione Schneideriana leguntur haec: '*τὸ ὄφελον ⟨ὑπείληπται⟩ πρὸς ἐνίων κατὰ συνεκδρομὴν γεγονέναι ἐν τῷ ὡς ὄφελες, εἰ μὴ τὸ ὤφειλον ὑποσυγκέκοπται*'. — At ceteris locis, ubi uerbum *ὑποσυγκεκόφθαι* exstat, semper ipsa forma per syncopen formata subiectum est; ita 113, 11; 146, 20; imprimis 142, 11. Itaque ad horum locorum rationem scribendum esse censeo: '*εἰ μὴ* (scil. *τὸ ὄφελον*) *ἐκ τοῦ ὤφειλον ὑποσυγκέκοπται*'.

150, 11 ut iure regulae expositae exemplum *γέννς* subiungi possit, scribendum est '*ἡ γὰρ εἰς* ‾*υς*‾ *εὐθεῖα*' pro traditis '*ἡ γὰρ εἰς* ‾*ευς*‾ *εὐθεῖα*'. Nam praeterea ex Apolloniana doctrina ne *γρηΰς* quidem dicitur, sed *γρηῦς*, et aut *γρηῦς* aut ‾*γρηυς*‾ iam in u. 5 scribendum est. Denique in u. 23, si quidem, ut annotat R. Schneiderus, in codice post uoculas '*τί γὰρ*' uestigium articuli *τό* erat, non est cur haec forma non restituatur; inuenies enim 172, 1 '*οὐδὲν οὖν τὸ ἐμποδών*', de coni. 225, 5 '*τί γὰρ τὸ κωλῦόν ἐστι*'; de constr. 156, 27 '*τί γὰρ τὸ ἐμποδών;*'

153, 12: quin recte formata sint aduerbia '*κάλλιστα, ἔσχατα* e. q. s.', nemo dubitabit; ergo superuacaneum erat hoc claris uerbis '*ὀρθῶς ἔχει*' edicere, aut saltem idem de aduerbio *ἥδυτατα* sic fere '*ὀρθῶς ⟨ἄρα⟩ ἔχει, ⟨καθάπερ⟩*' annotandum. Offendit etiam asyndeton. Ut haec omnia remoueantur, scribo '*ὁμοίως ἔχει τὸ κάλλιστα κτλ.*'.

155, 4 sq. pro iis, quae satis ineleganter tradita sunt '*ὀξύνεται τὰ εἰς* ‾*α*‾ *λήγοντα ἐπιῤῥήματα, ὡς πρόκειται, εἰς* ‾*θα*‾ *λήγοντα . . ., ὀξύνεται καὶ τὰ ἐν ὁμοφωνίᾳ . . .*', haud dubie, praesertim cum totum locum corruptum esse iam supra p. 63 uiderimus, concedes scribenda esse haec: '*Ὀξύνεται τῶν εἰς* ‾*α*‾ *ληγόν⟨των⟩ τὰ ἐπιῤῥήματα, ὡς πρόκειται, εἰς* ‾*θα*‾ *λήγοντα*'.

158, 8 offendit particula *γάρ*. Nam hoc loco ea, quae de sententia ante hanc particulam apud Apollonium saepius supplenda iam monui supra p. 29 et 78, exhiberi nequeunt. Quare eam muto in aliam *ἄρ'*, quam exempli gratia etiam de coni. 225, 13 pro tradita *γάρ* restituendam esse iam uidit Uhligius. — Eandem iuncturam *ἐντεῦθεν ἄρα* ratio cogit restituere 185, 5.

158, 13 sqq.: Apollonius, ut in uniuersum suam de uocum *ἄβαλε, ἆ, βάλε* necessitudine sententiam probet, dicit, si qua uox semel integra fuerit, nec per apocopen nec per aphaeresin notionem integrae deleri, ut *δῶ* idem ac *δῶμα* et *θέλω* idem atque *ἐθέλω* significet. Secuntur uerba '*ὁ λόγος καθολικός, χωρὶς εἰ μὴ ὑπ' ἀμφιβολίαν πέσοι τι, ἧς καὶ τὰ λοιπὰ τῶν*

λέξεων ἀπολύεται διὰ τῶν συμφερομένων', quorum sensus hic est: 'regula illa semper constat, nisi si uox ita detruncata in ambiguitatem cadit, qua uel ea, quae de uocibus, quae illos affectus passae sunt, relicta sunt [1]), totius enuntiati constructione et conexu, quaenam notio postuletur, docente liberentur'. Quam ultimam sententiam Apollonianam esse quamquam docent multi loci, ut de adu. 123, 13 sqq. et de constr. 24, 2—6, ab hoc tamen loco prorsus aliena est. Intellegitur enim uerbis '*ὁ λόγος καθολικός, χωρὶς εἰ μή* —' restrictionem regulae supra expositae adicere Apollonium uoluisse, quae nunc quidem non exstat. Nam e ratione eorum, quae tradita sunt, idem exemplum *δῶ*, quod regulae illi subiungitur, restrictioni quoque subiungendum est, quoniam forma *δῶ* utrum idem significet ac *δῶμα* an sit coniunctiuus aoristi uerbi *διδόναι*, non intellegitur nisi toto enuntiato addito. Si uero eius tantum modi ambiguitates exstarent, quibus eadem exempla, quae regulae, subiungi possent, restrictio omnino esset nulla. Putandus potius est Apollonius cogitasse de eiusmodi exemplis, ubi constructione ambiguitas illa non remoueatur. Quam sententiam ut eruam, particulam *καί*, quae negatiuo qui postulatur enuntiati relatiui sensui non conuenit, permuto in negationem *μή*; ut Apollonius eiusmodi locis formas, quae illos affectus passae sunt, adhiberi omnino uetet.

Sed etiam conclusio totius huius de formis *ἄβαλε, ἆ, βάλε* disputationis in codice corrupta traditur: '*τὸ ἄλφα ἀπεκόπη διὰ τὸ ἐν αὐτῷ δηλούμενον, καὶ τὸ βάλε ἀφαίρεσιν διὰ τὸ ἐν λεκτῷ καταλιμπάνεσθαι τὸ ἆ*'. — Rectius Skrzeczka pro accusatiuo *ἀφαίρεσιν* scripsit *ἀφαίρεσις* quam Dronkius *ἀφῃρέθη*. Atque cum Uhligio praeterea pro aoristo *ἀπεκόπη* substantiuum *ἀποκοπή* restituo; nam hac uoce etiam formam per apocopen deriuatam significari docent loci hi: de adu. 157, 23; 209, 9. 14; de coni. 224, 10. 21. 26; idemque est usus uocis *συγκοπή* de adu. 169, 15 et 206, 7. — Sed causa, unde uocula

1) Hunc esse sensum uerborum '*τὰ λοιπὰ τῶν λέξεων*' docent loci hi: de coni. 224, 24; 232, 24 sqq.

ἆ[1]) apocope esse dicitur, mihi manca uidetur: 'διὰ τὸ ἐν αὐτῷ δηλούμενον'. Urgendum erat hoc: eandem inesse notionem atque ei uocabulo, unde deriuatur. Scribo igitur 'διὰ ⟨ταὐ⟩τὸ ἐν αὐτῷ δηλούμενον καὶ τὸ βάλε ἀφαίρεσις διὰ τὸ ἐν λεκτῷ καταλιμπάνεσθαι'. Simul enim ultimae, quae traduntur, litterulae 'τὸ α' inducendae erant; prorsus enim sunt absurdae, quoniam forma βάλε aphaeresis integrae ἄβαλε est non propterea, quod eadem notione utitur qua ἆ, sed eadem, qua ἄβαλε. — Notionem autem ταὐτῷ ante uocem λεκτῷ rursus exhiberi non opus est, quod et aliquo modo uerbo καταλιμπάνεσθαι inest et de coni. 233, 2 eodem sensu dicitur 'τὸ ἀφῃρημένον[2]) ἐν λεκτῷ καθειστήκει'.

159, 10 sqq. in iis, quae de uoce ῶταν disseruntur, plura etiamnunc medelam desiderant. Ut incipiamus ab ipsa uoculae orthographia, ex his 'καὶ κατ' ἄλλον δὲ λόγον ἐπιστάσεως ἔτυχε, καθὸ διτονεῖ' elucet Apollonium ei non, ut fecit Schneiderus, unum, sed duos accentus dedisse. Ac priori parti, i. e. interiectioni ὦ, alius atque circumflexus conuenire non potuit. Sed dubitatur de alterius syllabae accentu: Schoemannus et Schneiderus circumflexum accipiunt, quia uerba 'παραπεμπομένων ἡμῶν καὶ τὸν ὀξὺν τόνον ἀντὶ παρισπωμένων μεταλαβεῖν' (160, 12 sq.) sic interpretantur: 'cum etiam circumflexum in acutum transmutare supersedemus'. — At hanc sententiam ab Apollonio alienam esse elucet ex eo, quod dicit inesse uocatiuum ἐτᾶν (160, 9 sq.) et uoculam ὦ τάν quantitatem litterae ᾱ, non accentum seruare (159, 11). Itaque lacuna 160, 11 sq. ex Uhligii ratione expleta 'ο⟨ὖ ἀναγκ⟩αῖον παραπεμπομένων ἡμῶν ⟨τὸ ε⟩ καὶ τὸν ὀξὺν τόνον ἀντὶ περισπωμένου μεταλαβεῖν' sic explicabimus 'uocabulorum ὦ ἐτᾶν litteram ε delere et syllabae τᾶν circumflexum in acutum mutare oportet' et, ut iam G. Hermannus ad Soph. Philoct. 1373 monuit, scribemus 159, 11 ὦ τάν.

Porro corrupta exstant in codice haec (159, 10 sq.): ὁ αὐτὸς

1) Sic enim cum Schneidero pro codicis lectione ἄλφα legendum est.
2) I. e. ea uox, quae aphaeresin passa est: cf. de constr. 208, 6.

λόγος παρακολουθήσει ὡς ἕνεκά γε τοῦ τόνου καὶ ἐπὶ τοῦ ὦ τάν, τὴν μὲν μακρότητα τοῦ ᾱ φυλάξαν, οὐ μὴν τὴν τάσιν'. Utque incipiam a re exteriore, mutandum censeo accusatiuum *φυλάξαν* in genetiuum *φυλάξαντος*, quia formulam *ὁ αὐτὸς λόγος* uel *ταὐτὸ παρακολουθεῖ* Apollonius semper cum praepositione *ἐπί* et genetiuo coniungit, ita de constr. 10, 7; 37, 13; 39, 6; 54, 2.

Deinde negationem *οὐ* in u. 10 deesse perspexit Schneiderus. — Porro uero particula *γέ* uerborum *ὡς ἕνεκά γε τοῦ τόνου* restrictionem uerbis reddere uoluisse Apollonium indicat. Quare non probo Dronkii et Egenolffii, qui illum sequitur, uocis *τόνου* in *τύπου* mutationem. Tunc enim omnis uocis *ὦτάν* cum antecedentibus aduerbiis similitudo negaretur; sed est aliqua similitudo, quatenus et antecedentia aduerbia et *ὦτάν* exeunt in *ᾱν*. De quibus autem rebus dubitetur agaturque quibusque differant, ipse Apollonius aperte dicit 159, 20 sqq. Quare 159, 10, quoniam non sufficit *τοῦ τόνου*, inde insero '*καὶ τοῦ χρόνου*'. Legendus igitur totus locus sic est: '*ὁ αὐτὸς λόγος παρακολουθήσει, ὡς ἕνεκά γε τοῦ τόνου ⟨καὶ τοῦ χρόνου⟩, οὐ καὶ ἐπὶ τοῦ ὦτάν, τὴν μὲν μακρότητα τοῦ ᾱ φυλάξαντος, οὐ μὴν τὴν τάσιν*'.

Tertiam offensionem praebet particula *ἐπείτοι* 160, 2, quae quod ceteris locis [1]) significat, idque e natura compositionis, 'quia', 'nam', hoc loco significare nequit: nam id, quod suam uocis *ὦτάν* deriuationem optimam esse Apollonius putat, non causam repraesentare potest sententiae antecedentis huius '*οὐ γὰρ πιθανὸν ἐκ λειπούσης φράσεως λέξιν καθίστασθαι*'. Quoniam autem uerbis *ἐπείτοι δόξει κτλ.* omnibus aliorum deriuationibus refutatis extremo loco ipsius Apollonii explicatio affertur, optime quadrat usitatissima illa in conclusionibus interrogatio pendens a particula *ἔπειτα*. Secerno igitur uocem *ἐπείτοι* in *ἔπειτ'* et *οι*, et in litteris *οι* latere existimo negationem *οὐ*, itaque scribo: '*ἔπειτ' οὐ δόξει τῶν προκατειλεγμένων ὑγιεστέρα ἥδε ἡ κατάστασις εἶναι;*'

1) De adu. 175, 28; de coni. 232, 18; de constr. 77, 20; 270, 22; 285, 19.

171, 25 sqq. haec exstant 'τὰ κτητικὰ τῶν εἰς κος ληγόντων παρὰ γενικὰς σχηματίζεται „ποιμενικόν, Ἀτλαντικόν". ἀλλὰ τὸ θηλυκὸν παρ' εὐθεῖαν· τὸ πανηγυρικός'. — Initium iam ab Egenolffio (l. l. 844) recte sic emendatum est 'τῶν κτητικῶν τὰ εἰς κος λήγοντα'. — Sed etiam sequentia 'ἀλλὰ τὸ θηλυκόν' corrupta sunt. Neque enim — nam ita supplendum est — τὸ θηλυκὸν σχηματίζεται; exemplum enim πανηγυρικός est masculini generis; sed a feminino πανήγυρις deriuatur τὸ πανηγυρικός. Scribo igitur pro traditis 'ἀλλὰ τὸ θηλυκόν' sic: 'ἀλλ' ἀπὸ θηλυκοῦ'.

177, 32: neutiquam dici potuit 'ἐν αἰτιατικῇ τοῦ ἅλα'; nisi mauis scribere 'τοῦ ἅλς', facile putabis a stulto correctore datiuum τῇ, quem Apollonius scripserat, ad normam formae τοῦ et antecedentis et subsequentis in genetiuum τοῦ mutatum esse.

185, 5 sq. in uerbis inde ab 'ἐντεῦθεν ἄρα' [1]) sequentibus hanc sententiam infuisse oportet: 'quoniam illae in θεν deriuationes per solam apocopen ultimae litterae genetiui singularis nulla praeterea mutatione accedente fiunt, etiam ἐμέθεν a forma ἐμεῦ, non ἐμοῦ deriuatum sit necesse est'. Quam sententiam ut ex iis, quae nunc exstant 'ὅτι οὐχ ἡ ἐμοῦ ἐστι παραχθεῖσα Ἀττική, ἀλλ' Ἰωνικὴ ἢ Δωρικὴ ἐμεῦ' eruamus, haec uerba haud dubie corrupta ita sunt transponenda et supplenda: 'ἐντεῦθεν ἄρα καὶ ὁμόλογον, ὅτι οὐχ ἡ Ἀττικὴ „ἐμοῦ" ἐστι, παρ' ἣν ἡ ἐμέθεν ἐστὶ παραχθεῖσα, ἀλλ' ἡ Ἰωνικὴ ἢ Δωρικὴ „ἐμεῦ"'.

188, 5 exstant haec 'εἰ δὲ καὶ ἀπὸ ῥήματος εἴη (scil. τὰ εἰς θεν λήγοντα ἐπιῤῥήματα), πάλιν τῷ αὐτῷ παραλήγεται, δι' οὗ τὸ λῆγον τοῦ πρωτοτύπου'. — Etiamsi τὸ λῆγον pro substantiuo τὸ τέλος usurpatum Apollonianum est, tamen hoc loco non quadrat; siue enim ex antecedentibus subaudis παραλήγεται siue λήγεται siue ἐστί, sensus bonus non euadit. Quare scribendum esse censeo: 'δι' οὗ καὶ λῆγον [2]) τὸ πρωτότυπον'.

---

1) Cf. supra p. 81.

2) Non absonum uisum est exempla huius usus apponere. Inueniuntur ita praeter usitatiora παρόν atque ἐνόν = ἔξεστι et δέον = δεῖ etiam haec:

191, 1 offendit genetiuus absolutus '*τοῦ δὲ πόθεν συνεχέστερον καὶ οὕτως λεγομένου· „ἔγραψας; πόθεν;"*' praesertim cum particula *δέ* uetet antecedentibus haec applicari. Si conferes, quae praebet E. M. 698, 45 sq., ubi totus locus paene iisdem uerbis exscriptus est, '*τὸ δὲ πόθεν ἐπὶ τῆς οὐ ἀρνήσεως συνεχῶς λέγεται, οἷον· „ἔργαψας; πόθεν;"*', uix dubitabis, quin olim e more Apollonii, quem merum participium pro uerbo finito haud raro ponere saepius monui [1]), scriptum fuerit: '*τὸ δὲ πόθεν συνεχέστερον καὶ οὕτως λεγόμενον*'.

198, 5: '*ἢ παρὰ ῥῆμα* (scil. *τὰ εἰς δην παράγεται*) *διὰ τοῦ δ̄ καὶ τοῦ συγγενοῦς β παραλαμβανομένου*'. At non per litteram *δ* littera *β* adhibetur, sed propter eam. Scribendum igitur est '*διὰ τὸ δ̄*'.

209, 24 textui aptae concinnaeque constructionis causa reddendum est, quod exarandum esse iam uidit is, cui codicis manus secundae scripturae debentur, dico '*ὁμοίως τῷ οὔ*'.

De coni. **217, 16** sq. uerbis, quae inde a uocula *ὡς* secuntur, non causa antecedentium affertur — haec enim exstat iam 216, 16 sqq. —; sed quae antea exemplis illustrata sunt, his colliguntur. Scribendum igitur est *ὥστ*'.

226, 11 sqq.: R. Schneiderus in progr. 1867 p. 13 docet in codice exstare haec: ... *ὑπαντῶμεν πεποίη*, ipseque emendauit '*πεποίηκας;*' — At primum quidem interrogatio non eo potest exstare loco, quo ex iis quae antecedunt '*οὕτως ὑπαντῶμεν*', iam responsum exspectatur. Et porro omnino locus noster multo magis, quam sensit Schneiderus, corruptus est. Nam ubi est *ὁτὲ δὲ*, quod respondeat antecedenti *ὁτὲ μὲν*? Et quaenam haec est tautologia: '*οὕτως ὑπαντῶμεν ἀποκρινόμενοι*'? Nec uoces *ναὶ πεποίηκα* sunt *ὁρισμός* [2]), sed sunt et aduerbium *ναί* et *τὸ ὁριστικόν*. Postulantur quidem haec:

---

de pron. 63, 14 *ἐνδεχόμενον*; 72, 23 *κωλῦον*; de adu. 189, 4 *ἔχον*; de coni. 224, 11 *γενόμενος*; de constr. 20, 24 *διοίσοντα*; 286, 23 *φερόμενον*; 300, 12 *γεγενημένον*; denique *λεγόμενον* de adu. 191, 7.

1) Cf. p. 85 not. 2.

2) Nam *ὁρισμός* semper est definitio uel circumscriptio, ita de constr. 57, 23; 74, 7; 101, 9; 103, 21; 117, 24; 229, 4; 264, 27.

'ἔτι γε μὴν πρὸς τὰς ἐρωτήσεις ὁτὲ μὲν οὕτως ὑπαντῶμεν· „πεποίη⟨κα· ὁτὲ δὲ⟩" ἀποκρινόμεθα τὸ „ναί" ἢ διὰ τοῦ ὁριστικοῦ ⟨τε καὶ τοῦ „ναί" τὸ⟩ „ναὶ πεποίηκα"'.

234, 18 pro tradito *παρασυνημμένων* scribendum est *παρασυναπτικῶν*; nam, ut prorsus ex re est, dicuntur ipsi *λόγοι* (*παρα*-)*συνημμένοι, συμπεπλεγμένοι, αἰτιολογουμένοι,* contra *σύνδεσμοι* (*παρα*-)*συναπτικοί, συμπλεκτικοί, αἰτιολογικοί.*

248, 22 sqq.: primum quidem ut numerorum aequabilitatem in exemplis allatis restituam, deleo *λέγῃσιν*, quod ob sequens *λέγῃσθα* insertum uidetur esse. Praeterea offensionem praebet asyndeton, quod exstat ante uerba *ἡ τῶν δευτέρων κτλ.*, quia tertium membrum particula *καί* annectitur. Ceterum uix habebis, quomodo u. 23 uerba '*ἡ τῶν δευτέρων εἰς θα*' ex antecedentibus suppleas: neque enim *συλλαβή εἰς θα*, sed summum *θα* esse dici potest; nec magis quadrat *ἡ τῶν δευτέρων λέξις*; denique *παραγωγή*, quod restat, longius abest, quam quod facile subintellegatur. Scribo igitur ex antecedentis exempli ratione '*ἢ τῶν δευτέρων τὸ σθα*'. Nam ut in formis *ἔχῃσι, παμφαίνῃσι* litteras *σι* terminationem esse Apollonius statuit, ita in formis *λέγῃσθα, φέρῃσθα* litteras *σθα* esse statuerit necesse est; quod probatur etiam in ficta ab Apollonio forma codicis lectione '*λέγωσθα*' in u. 27, quae retinenda est. Denique praepositionem *ἐπί* u. 27 muto in uoculam *ἔτι*. — Iam totus locus perfectissimam concinnitatem exhibet hanc:

ὡς τῶν τρίτων τὸ σι· ἔχῃσι, παμφαίνῃσι·
ἢ τῶν δευτέρων τὸ σθα· λέγῃσθα, φέρῃσθα·
καὶ ἔτι τῶν πρώτων τὸ μι· τάων ἥν κ' ἐθέλωμι, οὐδ' ἂν ἐῷμι.

249, 12 accuratior est restituenda responsio haec: '*ἐν οἷς οὐ συλλαβαί, ἐν τούτοις λέξεις*': cf. de pron. 68, 26; 41, 20; de coni. 219, 7.

250, 15 sqq. 'particula *γέ* partim abundat, partim certa notione utitur; et stoici quidem illam particulam, quae coaluit e duabus *δέ* et *γέ*, assumptiuam uocant'. Secuntur haec: '*τοὺς γὰρ ἀπὸ συναφῆς λόγους* (= *τ. συνημμένους λ.*) *εἰς σχηματι-*

σμὸν μετιόντας ἡ τοιαύτη σύνταξις ἡ τῶν συνδέσμων ὑπάγει (i. e. annectit)· εἰ ἡμέρα ἐστι, φῶς ἐστιν· ἡμέρα δέ γέ ἐστιν'. — At in quam figurationem in hoc exemplo enuntiata transeunt? Equidem agnoscere possum nullam. Sed continetur illo exemplo syllogismi utraque propositio, itaque sententiarum, quae ante uerba supra apposita exstant, series ita persequenda erat: 'nam ea enuntiata, quae continuatiua excipiunt itaque in syllogismum transeunt, illis particulis argumentationis ordini iniunguntur'. Iam uides pro substantiuo σχηματισμόν postulari συλλογισμόν.

253, 27: simplex uerbum ἀκολουθεῖν, ut usitatissima nomina simplicia ἀκόλουθος et ἀκολουθία, paucis ceteris locis, ubi exstat (de adu. 163, 16; de coni. 235, 17), ut par est, consequentem ex analogiae ratione aut formationem aut collocationem significat. Contra hoc loco postulatur notio accidentis itaque restituo usitatissimum illud compositum 'λέγω τὴν κοινῶς πᾶσι παρακολουθήσασαν'.

256, 24 postulatur et ratione et concinnitatis lege, ut earum quoque uocum, quae utpote et ipsae inter se cognatae cum uoculis δή et ἤ comparantur, utraque apponatur. Scribo igitur: 'ὡς καὶ ⟨τῷ ἴα ταὐτὸ⟩ τὸ μία ἀφαιρεθέντος τοῦ μ̄ ἐν τῷ ἴα'; et in sequentibus deleo praepositionem ἐν, quae e prioris exempli explanatione merae appositioni illata uidetur esse: 'ἢ τὸ γαῖα τῷ αἶα' (scil. ταὐτό ἐστι).

257, 15 pro priore praepositione ἐπί restituenda est ἀντί. Nam uocis ὁμοίως loco e sententia hic apposita uocabulum ἔμπης ponitur. Erat eadem opinio Aristarchi [1]) et ex huius aliqua annotatione fluxit sine dubio ea explicationis forma, quam huic quoque Apolloniano loco reddendam esse censeo, locis tribus his: schol. uet. ad *P* 632: τὸ ἔμπης ἀντὶ τοῦ ὁμοίως τέτακται; schol. Pind. Pyth. V, 74: χρῶνται δὲ τῷ ἔμπαν ἀντὶ περισπωμένου τοῦ ὁμῶς, ὅ ἐστιν ἴσον τῷ ὁμοίως; Apoll. Soph. ed. Bekk. 67, 24: ἔμπης ποτὲ μὲν ὅμως . . ., ποτὲ δὲ ἀντὶ (nam false Lehrsius h. l. exscripsit ἐπὶ) τοῦ ὁμοίως ἢ ἐπίσης.

1) Cf. Lehrs, Arist. stud. homer. p. 142.

INDICES.

I. Index locorum in hac dissertatione emendatorum uel explicatorum.

II. Index rerum nonnullarum, quas e doctrina Apolloniana explicauimus.

III. Index annotationum, quas fecimus, ad elocutionem, imprimis technicos Apollonii terminos spectantium.

DE

HERACLIDAE MILESII STUDIIS HOMERICIS

SCRIPSIT

GUILELMUS FRYE.

Commentationem de Heraclidae Milesii studiis homericis instituenti in mentem mihi uenit quod Valckenaerius in praefatione Ammonii tradidit, accepisse sese a summo Hemsterhuisio Heraclidem Eustathio citatum grammaticorum fuisse paene eruditissimum. Atque cum ceterorum grammaticorum fragmenta tum Herodiani doctrinam curantes post ipsum Valckenaerium inprimis Lobeckius et Lehrsius peculiari studio farraginem illam molemque indigestam Etymologicorum, Eustathii in Homeri carmina parecbolas perlustrauerunt, fontes examinauerunt, a magistrorum hariolationibus commentisque probata ueteribus grammaticis discreuerunt. Heraclidae uero fragmentorum quae iniquitatem temporum effugerunt, sat magnum numerum primus L. H. Ahrensius in celeberrimis libris de graecae linguae dialectis protulit, patuitque, quantum bonae frugis e ueteribus posset grammaticis percipi, quam multa neque ex scriptoribus neque ex titulis nobis comperta deberemus Heraclidae, Apollonio, Herodiano.[1]) Quattuor annis post F. Osannus duabus quaestionum homericarum particulis[2]) Heraclidae de carminibus Homeri merita exponere conatus est. Neque uero satis fecit seuerioris artis legibus[3]); nam arreptis quae

1) De Aeol. dial. p. 6. 165 sq.

2) Quaestionum homericarum partic. III. Gissae 1853. partic. IV, ibid. 1854.

3) Iure miraberis Osannum ueniam se ab aequo censore impetraturum esse confidere, unum alterumue fragmentum si ommissum deprehendatur, ut qui inter sexaginta fere plus uiginti quinque eaque Heraclidae nomine insignita praetermiserit: Eust. 28, 45; 54, 18; 365, 27; 718, 4; 756, 28; 764, 28; 773, 29; 831, 63; 840, 52; 842, 46; 872, 19; 1064, 4; 1098, 13; 1383, 20; 1385, 31; 1401, 5; 1407, 57; 1434, 20; 1442, 47; 1443, 58; 1499, 50; 1647, 32; 1770, 25; 1787, 40; 1859, 54; 1887, 5; 1895, 45; 1907, 44.

primo conspectui obtulerant Eustathius et Fauorinus supersedere se posse putauit, labore perscrutandi Etymologica, scholia, Anecdota collatis Eustathianis, unde quae Heraclidae essent attribuendae adnotationes grammatici nomen in fronte non gerentes exploraret, fragmenta reperta emendaret, adderet noua, singula illustraret.[1]) Sospitatorem igitur suum adhuc exspectat Heraclides. Interim nos accingimur studia eius homerica examinare paucis quae ad uitam scriptaque pertinent praemissis.

Perlustrantes autem fragmenta, quae archiepiscopus Thessalonicensis commentariis inseruit, reperimus Heraclidem libros Dionysii Sidonii[2]) a Varrone[3]) commemorati, Tyrannionis[4]), quem M. Tullii uxor in libertatem asseruit[5]), Aristonici[6]) commentarios manu uersasse. Neque Characis historias ignorasse uidetur; addit enim Eustathius[7]) Heraclidae uerbis etymologia uocis *κέλευθος* allata '*ᾧ λόγῳ καὶ Χάραξ τὴν αὐλωνίαν καυλωνίαν φησὶν ἐν Ἰταλικοῖς· οὕτω δέ φησι* (scil. '*Ἡρακλείδης*) *καὶ τὰ ἀνθήλια κανθήλια*'. Atque de Charace haec habet Suidas: *Χάραξ Περγαμηνὸς ἱερεὺς καὶ φιλόσοφος . . . ἔστι δὲ τῶν μετὰ Αὔγουστον πολλῷ νεώτερος· μέμνηται γοῦν ἐν τῷ β' τῶν βιβλίων Αὐγούστου ὡς πάλαι γενομένου Καίσαρος καὶ ἐν τῷ ζ' Νέρωνος καὶ τῶν μετ' αὐτὸν βασιλευσάντων· ἔγραψε Ἑλληνικῶν καὶ ἱστοριῶν βιβλία μ'*. Sic codices tres; Wester-

---

Alia ut 1561, 60; 1562, 42; 1714, 54; 1854, 58 in Eustathii libris non indagata ex eius epitomatore Fauorino licuit Osanno mutuari, quamquam et hac in re parum diligenti. Cur enim Fauorini lexicum magnum aspernatus sola ecloga Dindorfiana uti uoluit?

1) Neque Philemonem qui dicitur (cf. p. 114 n. 1) a se ipso editum tetigit Osannus, neque 'hortos Adonidis', cum iam Ahrensius (dial. Aeol. p. 67 n. 2; dor. 328 n. 1) monuisset multa ibi ab Heraclide profecta latere.

2) Vide Eust. 1410, 59, Osanni q. h. part. III p. 24 fr. 58.

3) Varr. L. L. X, 10 p. 240 M. — Dionysium Aristarchi scholis interfuisse cognoscimus e Didymi schol. *Τ* 365. Lehrs, de Aristarchi studiis homericis p. 362 (346[2]).

4) Eust. 1613, 18 = Osann. fr. 55.

5) Suid. s. u. *Τυραννίων*; Cic. ad Att. IV, 4, 6, ad Quint. fr. III, 4, 5.

6) Eust. 1596, 8 = Osann. fr. 75.

7) Eust. 734, 45 = Osann. fr. 53.

mannus [1]) uero recte inseruit Ἰταλικῶν, quod non solum locus Eustathianus alterque Characis [2]) satis commendant, sed etiam sensus ipse efflagitare uidetur. Atque parum caute, si quid uideo, Meinekius [3]) locum Eustathii temptauit, quod pro Charace reposuit Πάρθαξ ex Herodiani libro [4]) περὶ μονήρους λέξεως I, 19, 9 ἔστιν Ἶς τῆς Ἰταλίας ὡς Πάρθαξ ἐν τῷ β' τῶν Ἰταλικῶν et ex Etymologico Magno (544, 30) Κυλίστανος πόλις Ἰταλίας· Πάρθαξ [δὲ τὸ] [5]) ⟨ἐν τῷ⟩ πρώτῳ. Nam Parthacis Ἰταλικῶν ἱστοριῶν nec uola nec uestigium alibi apparet. Itaque multo rectius cum Muellero Characis nomen genuinum habebis apud Herodianum, cum de Charace historico omnino non possit dubitari eiusque quae mansere fragmenta eiusdem naturae sint [6]) atque id quod Herodianus seruauit. Etymologi uero mere compilantis oscitationem uel hoc ipso loco proditam quis est qui a nominibus propriis arceat? Itaque si Heraclides s. u. κέλευθος Characis commeminerat, fieri non potest quin eius aequalis fuerit. Namque Apollonius Dyscolus tribus locis Heraclidae librum laudauit [7]), Charax autem testimonio Suidae et Herodiani ad quos accedit Antoninus Liberalis (VIII, 25) ad Traiani et Hadriani tempora relegatur.

Cum ex uniuersa fragmentorum, quae seruauit Eustathius,

---

1) Biogr. p. 229.

2) Muelleri fr. hist. graec. uol. III p. 641 sqq. fragm. 22. Breuiore titulo ἱστοριῶν utuntur Malala et Eudocia.

3) Cf. Anall. Alexandr. p. 139 not.

4) Addas uelim 'parum diligenter scripto'; ut enim Lehrsii uerbis utar, in Herodiani monadicis nullus fere adiri uersus potuit, quin haerendum esset editori et circumspiciendum, quid stare posset quid non (Lehrs, Herodiani scripta tria emendatiora praef. p. V).

5) Uncis inclusimus acuminatis ⟨⟩ quae ad resarciendos locos mutilos reponenda, quadratis [ ] quae reprobanda uidebantur.

6) Cf. Charac. fr. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 9. 11. 23. 26; de urbibus Italicis (22). 41. 42. 56. 58. Muell. l. c.

7) Apollon. de adu. in Bekkeri Anecd. Graec. II p. 585, 14 = p. 174, 1 R. Schneider. Osann. fr. 29; Apoll. synt. IV, 10 p. 332 Bekk. Ἡρακλείδης ... ἐν τῷ περὶ καθολικῆς προσῳδίας· Osann. fr. 33; Apoll. de synt. IV, 10 p. 334 B. Osann. fr. 34.

indole ac natura, tum grauissimis Apollonii et Ammonii [1]) testimoniis comperimus prosodiae catholicae scriptorem exstitisse Heraclidem. Hoc tantum quaeritur, quos inter Aristonicum et Apollonium grammaticos nomine Heraclidae insignitos fuisse nouimus, utrum Heraclidae Pontico minori an Milesio, quem solus Herodianus (Il. pros. Θ 178) commemorat, attribuenda sit catholica.

Fac enim Eustathium de suo addidisse Characis adnotationem: iam quid obstat, quin Heraclidem Claudii, Neronis, Vespasiani temporibus ad studia grammatica incubuisse ponamus? Audi igitur Suidam: *Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ὅστις Διδύμῳ τῷ πάνυ κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐφοίτησεν· οὗτος ἐπεὶ ἤκουσεν Ἄπερος τοῦ Ἀριστάρχου μαθητοῦ εὐδοκιμοῦντος κατὰ τὴν Ῥώμην πολλά τε τὸν Δίδυμον διασύροντος, ἔγραψε μέτρῳ Σαπφικῷ ἤτοι Φαλαικίῳ βιβλία γ' δυσερμήνευτα καὶ πολλὴν τὴν ἀπορίαν ἔχοντα προβαλλομένων τῶν ζητημάτων, ἅτινα λέσχας ἐκάλεσεν· εἰς Ῥώμην δὲ κομίσας καὶ τοῦ Ἄπερος καταφανεὶς κατέμεινεν σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος· ἔγραψε δὲ ποιήματα ἐπικὰ πολλά.* Eiusdem Heraclidae meminit Diogenes Laertius V, 93: *δεύτερος* (scil. *Ἡρακλείδης*) *πολίτης αὐτοῦ* (scil. *τοῦ Ποντικοῦ*) *πυρρίχας καὶ φλυαρίας συντεταγμένος.*

Doctorum igitur uirorum colloquium [2]) instituerat Ponticus Heraclides, quale uidemus apud Athenaeum, 'ubi alter alteri de rebus grammaticis, historicis, mythologicis spinosas proponerent soluerentque quaestiones', neque exiguas partes, ut egregie coniecit Meinekius [3]), ipse sustinuit Aper, ita tamen ut a ceteris inscitiae argueretur. Hoc uero neminem, ut de metro Sapphico taceam, fugiet, quam diuersa fuerit natura

---

1) Apollonii locos modo citaui; Ammon. de differ. 124 p. 120 ed. Lips., Osann. fr. 31.

2) *Λέσχη, φλυαρίαι·* cf. Hierocl. apud Apostol. XI, 90 *οἱ τόποι, ἐν οἷς εἰώθεσαν ἀθροιζόμενοι φιλοσοφεῖν, λέσχαι ἐκαλοῦντο·* Athen. II, 59, F. Eurip. Philoct. ap. Stob. eth. II, 4. Valckenaer, animadu. in Ammon. 212 (III, cap. 10).

3) Meineke, Anall. Alex. p. 377 sq.

atque indoles huius operis grammatici (neque alterum nouimus Pontici) atque prosodiae catholicae, quam Apollonius, Ammonius, Eustathius oculis inspexerunt. Enimuero nullum fragmentum, quod diserte tribuitur Pontico Heraclidae, in explorandis accentibus, spiritibus, ceteris ad prosodiam pertinentibus uidemus occupatum. Quae cum ita sint, miraberis ne uno quidem uerbo Apollonium tetigisse Heraclidem Ponticum? Et hoc uelim attendas. Herodianus qui peculiari studio persecutus, quae de rebus grammaticis uiri docti disseruissent superiores, ad prosodias catholicam et homericam conscribendas se accinxit, pauca tantum frustula modo iure Herodiano adscripta a Lentzio e lescharum libris protulit, ubi tamen non grammaticum, sed scriptorem respexit, qui singularibus usus esset uocibus: Herodian. apud Steph. Byzant. *Μοψοπία· ὁ πολίτης Μοψοπιεὺς καὶ Μοψόπειος διὰ διφθόγγου· Ἡρακλείδης δὲ ὁ Ποντικὸς ἐν α' λέσχῃ Μοψοπίτης φησὶ καὶ ἔδει Μοψοπιώτης· ἴσως δὲ κατ' ὕφεσιν τοῦ ω̄·* nonne innuit Herodianus nomen illud proprium Heraclidem usurpasse pro *Μοψοπιώτης*, ubi de incolis Mopsopiae tradidit, minime uero de scriptura disceptauit? Iam uidesis Bekk. An. gr. 1196 *σπανία ἐστὶν ἡ χρῆσις τῆς βοῦς εὐθείας τῶν πληθυντικῶν, μᾶλλον δὲ οἱ βόες εὕρηται· ἐπὶ δὲ τῆς ὁμοφωνούσης αὐτῇ αἰτιατικῆς λέγω δὲ τῆς τὰς βοῦς πλατεῖά ἐστιν ἡ χρῆσις ὡς ἐν Κόλαξιν Εὐπόλιδος*

θὲς νῦν ἀγροὺς καὶ πρόβατα καὶ βοῦς
καὶ παρὰ τῷ Ἡρακλείδῃ ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς ⟨α'⟩ λέσχης
ὦ βόες καὶ ὦ βοῦς

ὁμοφώνως τῇ εὐθείᾳ, quae ad Herodianum redire docet Choerob. 242, 16. Conferas praeterea Herodian. I, 250, 25; II, 893, 17; 534, 6; 690, 1.

Quapropter omnino segregandus est ab hac quaestione Heraclides Ponticus neque aliud restat, nisi ut Heraclidem, qualem compertum habemus ex Apollonio et Eustathio, eundem esse dicamus atque quem Herodianus Il. pros. Θ 178 Milesium [1])

1) Eadem ex commentariis Apionis et Herodori dedit Eustathius p. 705, 60; cf. Lehrs de Arist. p. 387. 370².

nuncupauit[1]): *ἀβληχρά· Ἡρακλείδης ὁ Μιλήσιος βαρύνει ὡς ἄσιτα· λόγῳ δὲ χρῆται τούτῳ κ. τ. λ.*; cf. Anecd. Oxon. I, 95, 8 *βληχρόν· Πίνδαρος μὲν βληχρὸν τὸ ἰσχυρόν ʽπρόφασι[ν]⟨ς⟩ βληχροῦ γίνεται νείκεος' φησί ... ἔνθεν Ἡρακλείδης ὁ Μιλήσιος κατὰ βαρεῖαν τάσιν ἀνέγνω τὸ θηλυκὸν ἀβλήχρην, Ε* 337 *ἡγεῖται γὰρ στέρησιν ⟨εἶναι⟩ οὐ πλεονασμόν· λέγομεν δέ κ. τ. λ.* Quod fragmentum eiusdem esse Heraclidae atque quem Eustathius saepissime laudauit, hanc sententiam non temere arripui, sed quo diutius perpendi eo magis inualuit. Inquirebat igitur Heraclides in catholica prosodia (cf. locum simillimum Apoll. synt. IV, 10, 332 B)[2]) in accentum adiectiuorum *ᾱ* priuatiuo instructorum sibique persuasit *ἀβληχρός* quoque uocem inter haec adiectiua enumerandam esse. Egregie autem et prorsus e mente Heraclidae *Πίνδαρος ... φησίν· ἔνθεν Ἡρακλείδης κ. τ. λ.*, quippe qui summa diligentia curaque singulari poetas ueteres exploraret, unde in rebus grammaticis posset proficere: ita ad Pindarum nos relegat Eust. p. 756, 31, ad Alcaeum p. 1596, 7 (Osann. fr. 75), 1759, 26 (Osann. fr. 59), ad Alcmanem 1787, 45; 1892, 44 (Osann. fr. 62), Corinnam 1654, 26 (Osann. fr. 79), Anacreontem, Hesiodum, Aristophanem alios. Praeterea argumentum illius loci quadrat ad cetera: Ammon. p. 125 (Osann. fr. 31) *Ἡρακλείδης δὲ ὁ ἡμέτερός φησιν. Ἡμαρτῆσθαί μοι δοκεῖ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὀξυτονούμενον τοὔνομα* (scil. *σταφυλή*)*· οὐδὲν γὰρ τῶν εἰς λη ληγόντων θηλυκῶν ὀνομάτων ⟨ἀ⟩μέτοχον γένους τοῦ οὐδετέρου παρατελευτῶντος τοῦ ῡ ὀξυτονεῖται ... οἷον κονδύλη Δαμύλη Φαισύλη* (*δοκεῖ δὲ αὕτη μία τῶν τιθηνησαμένων τὸν Διόνυσον, ἅς ὁ Λυκοῦργος*

Σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον [*Ζ* 133])

ἡδύλη· ὅθεν καὶ τὸ σταφυλη βαρυτονητέον· κτλ.; cf. Herod. I, 323 Lentz., uel Eust. 1724, 36 (Osann. fr. 35) *ἡμάρτηται κατὰ τόνον τὸ ἀήτης· τὰ γὰρ εἰς της ἀρσενικὰ τῷ η παραληγόμενα*

1) Idem contendunt Iohnsius hist. phil. II, 11, 4, Roulezius de Heracl. Pont. in Annall. Lovaniens. 1823/24 p. 112, Osannus, q. h. IV p. 14.

2) *Ἡρακλείδης ἐπιμερίζων τὰς οὐ δυναμένας λέξεις ὀξεῖαν ἐπιδέξασθαι ἐν τῷ περὶ καθολικῆς προσῳδίας φησὶν ὡς ἀσύστατον εἴη τὸ εἰσό ἐπίρρημα ἐν ὀξείᾳ τάσει καταγίνεσθαι κ. τ. λ.* = Osann. fr. 33.

ὀξύνεται· οἷον ποιῶ ποιητής· ὁμοίως ἠχητής, μιμητής· οὐκοῦν καὶ τὸ ἀῶ ἀήσω τοιοῦτον γεννᾷ· Eust. p. 1475, 45. Sed parcam chartis. Quid? si demonstrauerim, Herodiano non illo uno loco Heraclidae commenta obuersata esse. Heraclides apud Eust. p. 756, 27 re altius repetita οὕτως οὖν ait φθείρω φθέρρω καὶ ἄρσει τῶν πρώτων συμφώνων ἔρρω· καὶ οἱ Ἀριστάρχειοι δὲ (φησὶ) συνᾴδουσι τῇ τοιαύτῃ παραγωγῇ· τὸ γὰρ 'ἔρρ' ἐκ νήσου' κ 72 ἐξηγ⟨οῦν⟩ται 'μετὰ φθορᾶς ἄπιθι'; at Herodianus π. μονήρ. λέξ. II, 948 Lentz. (43, 17 Lehrs.) εἴπερ οὖν Αἰολικὸν τὸ ἔρρω (quod cum aliis Heraclides contenderat allatis κείρω κέρρω ἱμέρρω), ζητητέον τί αὐτοῦ ἦν κοινόν· οὐ γὰρ αὐτὸ τὸ φθείρω ὥς οἴονταί τινες·

Heraclides apud Eust. 1562, 1 (Osann. fr. 63) αὐτὸ δὲ τὸ ἔθω οὐ χρῆσις ἐν τῷ '⟨ἔθων⟩ Οἰνῆος ἀλωήν' Ι 540 ἀπὸ τοῦ ἔδω λέγει ὁ Ἡρακλείδης παρῆ[κτ]⟨χθ⟩αι [1]) Δωριέων ἔθει· sed Herodianus Il. pros. Ι 540 . . . τὴν γὰρ ὑπό τινων φερομένην ἔδων παραιτητέον. Α.

Eust. 853, 5 Τὸ οἶδα Αἰολικῶς πεποιῆσθαί φησιν ὁ Ἡρακλείδης, ὡς καὶ τὸ δέδοικα, λέλοιπα, πέποιθα· τὰ γὰρ κοινὰ τῇ διὰ τοῦ ε καὶ ι διφθόγγου παραλήγεσθαι βούλεται = Eust. 1618, 48 (Osann. fr. 68); negat haec Herodianus apud Choeroboscum: εἰ οὖν τὸ σύνοιδα διαλύουσι (scil. οἱ Αἰολεῖς) συνόϊδα λέγοντες (Herodian II, 777, 13), δῆλον ὅτι οὐκ ἔστιν ἡ οι δίφθογγος Αἰολική.[2])

Quod Eustathius 365, 27 de Heraclidae scriptura uocis Μήονες enotauit, ex Choerobosco petiuit, ut Herodianum sententiam Heraclidae protulisse cum Lentzio II, 550, 18 arbitrer. Nec aliter res se habet Herodian. II, 521, 10, ubi iam Usenerus monuit Heraclidae de θνήσκω, θρώσκω, μιμνήσκω sententiam refringere frustra conari [3]) Herodianum. Quid plura? Tenendum igitur hoc est, Apollonium, Herodianum, Ammonium, Eustathium unius eiusdemque Heraclidae Milesii libros euoluisse. Illud enim minime moramur, quod archiepiscopus no-

1) Fauor. p. 236 παρεῖχθαι. 2) Vide Apoll. de synt. p. 350 Bekk.

3) Anall. Fleckeisen. XCI p. 246, Lentz. ad Herodian. II, 521, 10; 522, 16.

mine Alexandrini interdum ornauit Heraclidem [1]), memores quot uiri docti ea sola de causa inter ciues Alexandrinos a posterioribus sint relati, quod in clarissima illa artium et litterarum sede litteris operam nauauerant. Nonne princeps grammaticorum audit Alexandrinus? [2]) Nonne Zenodotus Mallotes? [3]) Nonne Dionysius Thrax? [4]) Nonne celeberrimus ille Claudius Ptolomaeus Ptolomaide Hermei oriundus? [5]) Neque alia de causa Flauius Philostratus Lemnius apud Eusebium p. 430 ed. Ol. ciuitate Atheniensi donatur, nisi quod Athenis longum per tempus artem sophisticam tradidit.

Quod Heraclidem ab Eustathio citatum eundem esse pronuntiauimus atque quem Apollonius et Herodianus lectitauere, caue respondeas, non ex suo Heraclide sententiam de accentu adiectiui ἀβληχρός enotasse Eustathium [6]), sed ex Apionis et Herodori commentariis. Quis enim ignorat, hos commentarios Eustathio, ut parecbolas conficeret in carmina homerica, atramento calamoue haud minus necessarios fuisse? Et hoc mecum uelim consideres, longum per iter parecbolon ne sensisse quidem Eustathium commentariis Apionis et Herodori eadem contineri, quae uolumine scholiorum, eadem quae libris Herodiani. Quae res impediuitne quaeso, quominus Herodianum Apionis et Herodori scholiis interdum opponeret? [7]) Itaque nihil fere te uelim in Eustathio mirari nisi ambitionem, qua tot scriptorum nomina in commentariis suis uoluit effulgere et socordiam, qua optima grammaticorum testimonia misere uexauit.

---

1) Eust. 734, 47; 840, 51; 872, 19; 1787, 40; Osann. fr. 53, 62 n. 27, 71.

2) Suid. *Ἀρίσταρχος Ἀλεξανδρεὺς θέσει, τῇ δὲ φύσει Σαμόθραξ.*

3) Suid. *Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικὸς ὁ ἐν ἄστει κληθείς*; cf. F. A. Wolfii prolegg. 110. 209 'ab aliis patria Mallotes, ab aliis more aetatis illius Alexandrinus dictus'. Wegener, de aul. Attal. p. 158.

4) Seruius de accent. § 19 in Endlicheri Anall. gram. p. 530 'Dionysius autem Aristarchi discipulus cognomento Thrax, domo Alexandreus' coll. Anecd. Bekk. II, 723 *Ἰστέον δὲ ὅτι Διονύσιος ὁ Θρᾷξ ὁ τὴν τέχνην συγγραψάμενος τὸ μὲν γένος ἦν Βυζάντιος, ἐκαλεῖτο δὲ Θρᾷξ.*

5) Cf. Fabric. Bibl. Gr. IX p. 198 coll. Suid. s. u. *Πτολεμαῖος.*

6) Eust. 705, 59.

7) Eust. 496, 36; 518, 17 coll. Il. pros. *Δ* 452, *Ε* 31.

At enim quae Ammonius una cum Eustathio de uocabulis *νῦν* et *σταφυλή* protulit, hic non ex suo Heraclide sed ex Ammonio mutuatus est. Cum Valckenaerio (praef. Ammon. p. XXII sqq.) haud paucas obseruationes de uocum differentiis ex Ammonio in Eustathii commentarios redundasse ingenue fatemur; arguemus uero praui eum iudicii, qui hanc necessitudinem inter Ammonium Eustathiumque Herennii Philonis ratione non habita soluerit. Etenim Eustathius quattuor adnotationes Ammonianas Herennio Philoni (*οὕτω ῥητῶς ἐν τοῖς Ἐρεννίου Φίλωνος*) acceptas rettulit. Qui uero potuit fieri, ut Eustathius Philonem quam Ammonium, hunc si exscripsisset, nominare mallet? Neque fugit Valckenaerium, ea quae ad uocem *αἶνος* (Her. Phil. p. 162) pertinent, ab Ammonianis uerbis diuersa cum illis conuenire, quae sub Herennii nomine Eustathius protulit. Nam usque ad nostra tempora epitome libri Ammoniani peruenit in fronte gerens nomen Herennii Philonis. Qua de causa hoc tantum concedimus Valckenaerio, Eustathium locupletiorem Ammonii epitomen in scriniis habuisse, quam quae hodie exstat; sed non esse contendimus, quod Eustathium nescio qua ambitione Ammonium pressisse silentio dicamus, Philonem sancte nominasse, ut qui et aliorum multorum nomina celasset, quorum obseruationes ad uerbum transscripsisset, prorsus ut Thomas Magister. Persuasum enim habemus, libro Herennii Philonis ex Ammonio compilato satis illustrari necessitudinem illam inter Eustathium et Ammonium intercedentem, nimioque uidetur metu Valckenaerii iudicium in deteriorem partem flexum esse, ne commentariis Eustathii opus illud de uocum adfinium differentiis Ammonio abiudicatum attribueretur Philoni. Sed ne nodum in scirpo quaerere uideamur, perbene accidit, ut uocabula *παρατέλευτος παρατελευτάω* soli inter grammaticos Heraclidae probata et in Eustathianis fragmentis saepissime occurrant neque in Ammonii, quem examinemus, loco[1]) desint. Qua re omnis tollitur dubitatio. Etenim ultimam uocabulorum syllabam Apollonius,

---

1) Amm. s. u. *σταφύλη* p. 120 ed. Lips.

Herodianus, alii *τελευταίαν* appellauerunt; nusquam uero usi sunt uocabulis *παρατελευτάω, παρατέλευτος* id quod satis mirari non possum in Herodiano, cum de iisdem rebus atque Heraclides exponens plus tria uolumina, qualia uidemus Lentziana, amplissimi ambitus exarauerit.

Scriptorum, quae Heraclides Milesius reliquit, grauissimum atque copiosissimum putauerim prosodiam catholicam, e qua longe plurima fragmenta ab Eustathio seruata suo iure desumpta esse contendit Osannus; neque enim alterum quo referre possis, opus nominatur et ipsa fragmentorum natura probatur sententia. Grammatici ueteres, id quod e celeberrimis Herodiani catholica et homerica prosodiis apparuit, tria potissimum ad prosodiam reuocauere, accentus, spiritus, syllabarum moras, e quibus graecae linguae uocabula examinarent, similia certis normis adstricta componerent adderentque *σημειώδη, ἡμαρτημένα, μονήρη*, quae ceterorum normam sequi non uiderentur. Neque aliter Heraclides, cuius rei nonnulla exempla adstruam: Eust. 1854, 59 (Osann. fr. 72): *τὰ θέματα ἔχοντα μετὰ τὸ προηγούμενον ō ἓν σύμφωνον ἁπλοῦν ἑπόμενον περισπᾶται· νομῶ σοβῶ ῥοφῶ φορῶ· τὸ μὲν κόπτω βαρύνεται ἐπεὶ δύο σύμφωνα ἕπεται αὐτῷ· τὸ δὲ ὄζω καὶ δεσπόζω ἐπεὶ διπλοῦν*, quo cum canone Heraclidae conferas Herod. pros. cath. 432, 18 *περισπῶνται τὰ ἔχοντα ō μικρὸν ἢ ῶ ἐν τῇ παραληγούσῃ σοβῶ στροβῶ λωβῶ κ. τ. λ.*

Heraclides apud Eust. 1625, 56 *τὰ εἰς ω καθαρὸν λήγοντα δισύλλαβα καὶ ἔχοντα φωνῆεν βραχὺ παρατέλευτον δίχα τοῦ ō μικροῦ βαρύνονται, εἰ μή που περισπασθέντα ἑτέραν ἔννοιαν ποιήσει ὡς τὸ μυῶ· τὰ δ' ἄλλα βαρύνοντα δίχα τῶν παραληγομένων τῷ ō οἷον μύω κλύω πλέω νάω ῥέω τίω 'τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ' I* 378, quocum conferas Herod. cath. pr. 453 sqq. Heraclides apud Eust. 764, 30 *ὁ δ' αὐτὸς* (scil. *Ἡρακλείδης*) *περὶ τοῦ ἀνύτω καὶ ἀρύτω εἰπὼν ἀσυνήθως αὐτὰ ἔχειν ὡς μηδενὸς εἰς ω λήγοντος βαρυτόνου ἔχοντος τὸ τ ἀρκτικὸν τῆς τελευταίας συλλαβῆς· πάντα γὰρ περισπῶνται οἷον κρατῶ, πατῶ, αἰτῶ, κροτῶ, φοιτῶ ἐπάγει κ. τ. λ.* qua in re non habuit consentientem Herodianum (cath. pros. 441, 23):

τὰ εἰς $\overline{\tau\omega}$ δισύλλαβα μὴ κατ' ἐπιπλοκὴν τοῦ $\bar{\sigma}$ περισπᾶται ... ιτῶ κροτῶ πατῶ ... βροντῶ· τὰ μέντοι βαρύτονα διὰ τοῦ $\bar{\tau}$ οὐ πολλὰ (Heracl. μηδέν) ὦπται καὶ μὴ ἐνεργητικῶς λεγόμενα· ἀλλὰ τὸ λίτω ὅθεν τὸ λίτομαι καὶ τὸ πέτω ὅθεν τὸ πέτομαι καὶ ἔνια ἃ ἤδη περισπώμενα ἐκλίθη, ὥσπερ τὸ κέντω ἐξ οὗ τὸ 'κένσαι ὁμοκλήσας' Ψ 337 καὶ ἄντω, ὅθεν τὸ 'ἀντόμενος' ρ 165. τὸ δὲ ἀνύτω καὶ ἀρύτω τῷ $\bar{\tau}$ ἐπλεόνασεν ὡς ἐκ τοῦ ἀνύω καὶ ἀρύω.

Videsis praeterea Ammon. p. 125 quem luculentissimum prosodiae locum dixerim, Eust. 780, 33 (Osann. fr. 80); 670, 62 (Os. fr. 52); 734, 57; 1641, 37 (Os. fr. 78); 1647, 32; 1722, 59 (Os. fr. 51); 1724, 36 (Os. fr. 35); 1770, 24.

Quot tamen libris prosodiam catholicam amplexus sit, aut quem ordinem in disponenda materia instituerit Heraclides, omnino non liquet, quamquam non dubito, quin suo iure in praefatione operis praefigere potuerit, quae scholiasta Dionysii Thracis p. 741 Bekk. apposuit: 'ἐπὶ πάντων τῶν ὀνομάτων καὶ τῶν ῥημάτων καὶ τῶν μερῶν [1]) τοῦ λόγου ἀκριβῶς ζητοῦντες καὶ τὰ ὅμοια τοῖς ὁμοίοις παρατιθέμενοι τοὺς κανόνας ἀσφαλῶς ἀποφαινόμεθα'.

Alterius quem nouimus libri Heraclidae [2]) titulum memoriae tradidit Orio p. 54, 1 'οὕτως Ἡρακλείδης ἐν τῷ περὶ δυσκλίτων ῥημάτων'. Sed ne in hoc quidem libro homerica defuisse ostendit Eustathius p. 1815, 4 'Ἡρακλείδης ἐν οἷς περὶ δυσκλίτων ῥημάτων γράφει, 'ἀρισφαλὲς ἔμμεναι οὖδας' ρ 196 φησὶ γράφεσθαι οὐ[κ] ⟨κ⟩αλ[λ]ῶς [3]) ὑπό τινων. Dubitabam quondam an maiora huius operis seruarentur fragmenta a recentioribus grammaticis compilata. E codicis enim Parisini 2600 folio XVII Cramerus (Anecd. Par. II p. 116) haec enotauit: 'περὶ παραγωγῶν δυσκλίτων ὀνομάτων· ὅθεν τὸ σπένδω· ἐκ τοῦ σπείδω κ. τ. λ.' quibuscum conferebam Eust. 1726, 25 (Os. fr. 66) σπένδω οὗ πρωτότυπον τὸ σπείδω κατὰ Ἡρακλείδην κ. τ. λ.; magister tamen inter ὀνόματα et ῥήματα discernere operae pretium non habuit. Qua de re recte me suspi-

1) Conieci: καὶ τῶν ⟨ἄλλων⟩ μερῶν. 2) Cf. Osanni fr. 38, 39.
3) Correxit La Roche, adn. crit. ad Odyss. ρ 196.

catum esse uidebis, si legeris initium opusculi Pseudo-Herodiani, qui inscribitur *παραγωγαὶ δυσκλίτων ῥημάτων· πόθεν τὸ σπένδω· ἐκ τοῦ σπείδω, οὗ ὁ μέλλων σπείσω καὶ ὁ ἀόριστος ἔσπεισα. ἐξ οὗ τὸ παρὰ Ὁμήρῳ ʽσπείσαντες ἔβαν κλισίηνδε ἕκαστοςʼ. ἐκ τοῦ οὖν σπείδω γέγονε κατ᾽ Ἀργείους καὶ Κρῆτας ... σπένδω. οὗτοι γὰρ πολλάκις ἐξαιροῦντες τὸ ῑ τάττουσι τὸ ν̄· κ. τ. λ.* Huius uero opusculi, quod inspiciendi peropportunam facultatem debeo bibliothecae regiae ac publicae Monacensi, singulas deinceps obseruationes grammaticas ex Heraclide profectas esse mox accuratius exponam.[1]) Sed et ipse Eustathius luculentissimum illius operis fragmentum seruauit. Elucet enim ex Orionis loco etymologiam quam dicunt grammatici recentiores aduerbii *εὐράξ* in libro *περὶ δυσκλίτων ῥημάτων*, ubi de formis *γέντο*, *κέντο*, *ἀλᾶσθαι*, *πλανᾶσθαι*, *ἔρρε* aliis disseruit, ea de causa protulisse Heraclidem, ut *ἔρρω* per aeolicum *φθέρρω* a *φθείρω* repeteret. Nobis uero cum perbene accidisset, ut Eustathium tribus locis de eadem re ex Heraclide proferentem uideremus, ab omni parte emendatum proponere licuit fragmentum.

Tradit compilator Etymol. M. 248, 53 haec: *Ἡρακλῆς ἐν τῷ περὶ τοῦ χρὴ καὶ δεῖ σχηματίζει παρὰ τὸ δέω δέλος καὶ δοῦλος ὁ ἐλλείπων τῇ ἀρετῇ ὥς φησιν ὁ ποιητής ρ* 322

Ἥμισυ γάρ τ᾽ ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεύς
Ἀνέρος, εὖτ᾽ ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Librariorum compendium *ἡρ* siue *ἡρ̊α* iam Sylburgius *Ἡρακλείδης* interpretatus est; sed enim noluimus leuissimo illo argumento nisi rem diiudicare, quod Milesium de *χρῆν* forma quaestionem instituisse comperimus ex Eustathio [2]), praesertim cum facillime etiam aliorum grammaticorum nomina in illo possint latere compendio neque raro Herodiani et Heraclidae compendia permutentur: Or. 146, 35; 147, 5; 189, 31; Zonar. lex. 1655; Etym. Magn. 654, 3 *Ἡρωδιανός; ἡρ̊α* D, *Ἡρακλείδης* P; 654, 18 *Ἡρωδιανός· ἡρ̊α* D, *Ἡρακλείδης* PV.

1) Cf. p. 114. Pseudo-Herodiani *παραγωγὰς δυσκλίτων ῥημάτων* publici iuris fecit Ald. Manutius in cornu copiae inde a fol. 204b—206a.

2) p. 1647, 32.

Difficillimam de etymologiarum libro Heraclidae [1]) quaestionem uix satis miraberis quanta socordia instituerit Osannus, quippe qui argumentis nisus fere nullis [2]) non dubitet, quin Pontici cognomen in Etymologicis magno, Gudiano, Orioneo nimis sedulae compilatorum industriae Heraclidis Pontici intempestiue recordantium debeatur. [3]) Tantum uero afuit, ut hanc sententiam penitus in animo figeret teneretque, ut etymologiarum Orionis, quibus praeiudicatam opinionem labefactari arbitratus est, alteram ne proponere quidem quaestiones homericas perlustraturis auderet [4]), altera ueterem Ponticum defraudari nollet (fr. 44). Qua quidem causa Orionis lemma *οὐρανός* omiserit, profecto non assequor. Nonne perperam adici pronuntiauerat nomen Pontici? Quid quaeso intercedit inter hanc ceterasque in ordinem fragmentorum receptas etymologias? Nihil uero esse, quod Heraclidi Milesio tribueretur uocis *ὀβελός* etymologia, cum non grammaticum, sed historicum redolere uideretur [5]), recte sibi persuasit Osannus.

Enimuero prorsus alia, ut dicam quod sentio, uia ac ratione hanc quaestionem suscepturo ingrediendum est. Atque primum quidem solis fere fragmentis Eustathianis totius quaestionis substernitur fundamentum certissimum, quae si cum lemmatis Orioneis contuleris, patebit et Milesii et Pontici libros ab Orione in usum uocatos esse. Adde quod syllogen illam etymologiarum ita instituit Orio, ut in singulis litteris ex certo, si pauca excipiuntur, ordine etymologorum commenta componeret, id quod primus indagauit Kleistius, Lentzius [6]) retractauit Herodiani potissimum ratione habita.

Recta igitur uia ducimur ad fontes, e quibus hauriendum

---

1) Or. p. 185, 3 et lex. Angelic. ed. Ritschelian. p. 6 *Ἡρακλείδης ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογιῶν·* Or. Exc. 186 *Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν ⟨τῷ⟩ περὶ ἐτυμολογιῶν* Osann. fr. 1.

2) Sentit mecum H. Kleistius, de Philox. grammat. stud. etym. p. 22 n. 7.

3) Quaest. h. IV p. 11. 4) Quaest. h. III p. 11, 4.

5) Redit enim meo iudicio ad Heraclidis Pontici librum *περὶ νήσων* cf. Steph. Byz. s. u. *Ὤλιαρος*.

6) Kleistius l. c. p. 15 sqq.; Lentzius in censura libri Kleistiani inserta Anall. Fleckeis. 1865 uol. 91 et praef. Herod. CCVIII.

fuit, examinandos, quorum agmen ducat Orio. Atque ut etymologiarum ab Orione conflatarum ordinem cognosceret, egregie profectus est Kleistius a commentis Sorani medici, cuius neque nomen in etymologico prorsus euanuit, et etymologiae ab aliorum lemmatis facile possunt distingui: cf. Or. p. 143, 37—44 *σπλὴν σπλάγχνον, σφυρόν, σίαλος, σκύβαλον, σύφαρ* (*σῶμα* etymol. Platon.), *στέρφος, σκῆνος, σήραγγες* etc., *στῆθος* (*οὕτως Σωρανός*), *σπλάγχνα, σκέλη* (*οὕτω Σωρανός*). Sequitur *στυγνὸς* . . . *οὕτως Φιλόξενος* et, nonnullis aliis nescio unde additis iam incipit regnum Heraclidae *σύριγξ* (*Ἡρακλείδης· E. M. Ἡρωδιανός*), *σείριος?, σπάθη?, σπάδων* (*Ἡρακλείδης*), *σελήνη* (*Ἡρακλείδης*), *σκότος* (*Ἡρακλείδης. ὁ δὲ Ἡρωδιανός κ. τ. λ.*), *σκιά* (*Ἡρακλείδης*), *σάρκα* (*Ἡρακλείδης*), quae etymologiae inde a *σάτυρος* Philoxeno probatis excipiuntur. Neque aliter rem instituit Orio in littera *O* p. 115, 4; etymologias enim Sorani *ὄμφαλος, ὀδύναι, ὄρθρος,* [*ὀβελός* . . . *Ἡρωδιανός· οὖλος*], *οὐρά, ὀδμή, ὄρνις, ὄσχεος, ὄρχις, οὖρον ὀρτάλιχος* . . . *ὀδόντες, οὖλον* (*οὕτως Σωρανός*) secuntur nonnulla ex Herodiano et Philoxeno petita, quae excipiuntur commentis Pontici Heraclidis *ὀβελός, οὐρανός, ὀπώρα.* Sorani igitur etymologias excipi iussit Orio lemmatis Heraclidae, interpositis plerumque quibusdam ex Herodiano aut Philoxeno depromptis, ut in littera *Γ* p. 40, 12 Sorani *γαστήρ, γλουτοί, γόνυ,* praemissis adiecit nonnulla ex Herodiano, quae secuntur etymologiae Philoxeni et Heraclidae Milesii *⟨γ⟩έντο* (*γωνία?*) *γινώσκω, γνώμη*, ab Osanno quidem, cum nomen Heraclidae non inuenisset, praetermissa; at quin sint Milesii, omnino dubitare non potest, qui Eustathii p. 756, 30 et 1064, 6 inspexerit. Osannus igitur exceptis, ut rettuli, lemmatis *ὀβελός* et *οὐρανός* Orioneis, omnes etymologias in Orionis lexico Heraclidis nomine insignitas attribuit Milesio, quod Suidas s. u. *Ἡρακλείδης Ποντικός* etymologiarum libri mentionem non iniecisset. At eiusmodi argumentum aliis debebat confirmare, nisi, quod nomen Pontici e lexico Orionis Suidae lemmate multo superiore furca expulerit, socordiae et leuitatis merito argui uellet. Enimuero iam ueterem illum Heraclidem Ponticum artem etymologicam,

cuius inde a temporibus Prodici sophistae studium effloruit, exercuisse ipse Osannus negare ausus non est noluitque quae Photius de uocabulis *λινόν* et *λύσιοι τελεταί* tradidit, Peripateticum defraudari, cuius ad libros de re musica alterum fragmentum rettulit Roulezius.[1]) Testantur praeterea Heraclidem Ponticum Or. p. 147, 5 = Exc. Or. 189, 31 ubi codex Parisinus 346 et Zonar. lex. p. 1665 *οὕτως Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός* exhibent. Atque huic codici Parisino, qui aliis quoque locis emendatiora seruauit, et Zonarae 'diligentissimo', ut Ritschelii uerbis utar[2]), 'in hoc genere etymologo' fides utique habenda est. Neque Orio p. 19, 5 cum Etym. Gudiano 99, 50 et Exc. Or. 186, 10 in uoce *ἀχλύς* deriuanda de Heraclide Pontico non consentit, quod eo magis ualet, cum ex meliore Orionis codice hauserint, quam quem nunc habemus. Accedit quod ne unum quidem eorum quae Pontico his in lexicis tribuuntur, collatis Eustathii commentariis ab Heraclide Milesio profectum esse docemur. Nec profecto compilatores illud '*ὁ Ποντικός*' addere quam omittere dicemus proniores. Prorsus uero a nostra re alienum uidetur, quod Osannus ad sententiam suam stabiliendam protulit, similiter in Ammonii libro nomini auctoris male adiectum esse nomen patris Hermeae; hoc enim in uno tantum codice Angelicano exstat idque in titulo libri factum esse uix est quod mireris.[3])

Meo igitur iure mihi pronuntiasse uideor, perperam Osannum e lexico Orioneo erasisse Heraclidem Ponticum; utrum uero maioris (id quod uerisimilius duco) an minoris Pontici etymologias receperit Orio, adhuc non liquet. Minime tamen Milesium omnino ad partes uocatum esse ab Orione negauerim; etenim iam supra aliquot etymologias e lexico Orioneo in medium protuli, quas ex illo depromptas esse dixi. Iuuat igitur nonnulla collatis Eustathianis componere aduersis frontibus:

---

1) L. c. p. 103. Vellem insuper addidisset suo Heraclidi, quod Orio s. u. *ὀβελός* ex Heracl. P. enotauit.

2) De Oro et Orione, opusc. I p. 608.

3) Cf. Valckenaer, praef. Ammon. p. XXV sqq.

Or. 42, 11 ⟨γ⟩έντο· ἕλετό ἐστι καὶ κατὰ συγκοπὴν ἕλτο καὶ τροπῇ τοῦ λ̄ εἰς ν̄ ἕντο, ὡς τὸ ἦλθεν [καὶ] ⟨μετα⟩ποιοῦσιν οἱ Δωριεῖς ⟨εἰς⟩ ἦνθεν· καὶ πλεονασμῷ τοῦ γ̄ γέντο.

Eust. 756, 30 τῷ λ̄ ἀντιστοιχοῦσι Δωριεῖς ἐν τῷ φίλτατος φίντατος, ἦλθεν ἦνθεν, φίλτις φίντις παρὰ Πινδάρῳ Ol. VI, 22 ἕλετο ἕντο καὶ [δωρ] ⟨αἰολ⟩ικῶς γέντο [1])· κέλετο κέντο παρὰ Ἀλκμᾶνι (ex Heraclide).

Or. 42, 16 γινώσκω· νοῶ νοΐσκω καὶ τροπῇ τοῦ ο̄ εἰς ω̄ καὶ ἀποβολῇ τοῦ ῑ νώσκω καὶ κατὰ Ἠπειρώτας γνώσκω [καὶ] πλεονασμῷ τοῦ γ̄· καὶ διπλασιασμῷ [2]) ⟨γιγνώσκω· εἶτα κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἑτέρου γ̄⟩ γινώσκω· Or. 25, 29 ἀγνοῶ· γνοῶ οἱ Αἰολεῖς (φασὶ) λέγουσιν ...

Eust. 1064, 6 (ex Heraclide) ἐκ τοῦ νοῶ γίνεται νοΐσκω καὶ κατὰ συναίρεσιν νώσκω καὶ προθέσει τοῦ γ̄ Αἰολικῶς γνώσκω· ἐπεὶ καὶ τὸ νοῶ φασιν Αἰολεῖς ... καὶ κατ' ἀναδιπλασιασμὸν γιγνώσκω· λέγει δὲ ὁ αὐτός (scil. Ἡρακλείδης), ὡς οἱ Ἠπειρῶται προστιθέασι καὶ αὐτοὶ τὸ γ̄ ἐν ταῖς λέξεσιν κ. τ. λ.

cf. Or. 19, 17 = Eust. 1724, 35 (Os. fr. 35); Or. 95, 24 = Eust. 1398, 31 (Os. fr. 73); Or. 18, 1 = Eust. 1648, 8; Or. 49, 17 (25, 30) = Eust. 1383, 20; Or. 54, 1 (οὕτως Ἡρακλείδης ἐν τῷ περὶ δυσκλίτων ῥημάτων) = Eust. 756, 27; Or. 74, 9 = Eust. 1064, 4; 1722, 40; Or. 135, 7 = Eust. 1654, 14; Or. 168, 14 = Eust. 452, 21. Taedet plura proferre; hoc tamen uel ex iis, quae oculis subieci, perspicies, quam diuersa sit natura eorum quas collatis Eustathianis Heraclidi Milesio adscribere cogimur atque futilium illarum ac ne minimam quidem speciem ueritatis gerentium etymologiarum, quas Orio Pontico tribuit, neque usquam Milesii tractandi uocabula rationem non agnoscimus, ut qui scriptorum dialectorumque haud immemor hinc uocabula repetat, hinc uarias eorum formas explicet.

Totam de Orionis lexico quaestionem minime absolui; neque enim ad studia Heraclidae homerica cognoscenda mul-

---

1) Correxi ex Eust. 1064, 6 cf. p. 101.

2) Larcherus, qui cetera emendauit ad Or. 42, 16 scribere debebat ⟨ἀνα⟩διπλασιασμῷ.

tum conferunt etymologiae illae praesertim cum tam mutilae ac corruptae legantur, ut semper fere medela opus sit. Neque multum proficies solius Heraclidae in examinandis lexici Orionei fontibus habita ratione, sed Herodiani, Didymi, Apollonii, Philoxeni, Etymologicorum magni, Gudiani, aliorum thesauris comparatis atque collatis sua cuique iusta manu reddendo par eris, quod munus uelim post Ritschelii, Kleistii, Lentzii aliorum summa laude dignas commentationes a philologis nostris suscipiatur atque perficiatur. Inuiti quidem tam diu hac in re sumus commorati; sed enim aperiendum uidebatur, qua de causa impeditos nos esse arbitraremur, quominus cum Osanno faceremus.

Paucis nunc attingam, quae Sturzius e codice Darmstadino (append. Etym. Gud. et Or.) publici iuris fecit inde a p. 660, 40. In tria igitur fragmenta omnia mecum facile diuides, quorum prius 660, 40 — 661, 30 ex Herodiano petiuit compilator; tertium Apollonio et Herodiano attribuendum est (662, 8—50), quibus interpositum est fragmentum Heraclidae Milesii (661, 30 — 662, 8); quamquam enim auctoris nomen suppressum est, collatis commentariis Eustathii Heraclidae sua reddi possunt. — Atque unum adscripsisse locum satis habui: Exc. Or. 661, 37 *τὸ ἐλαύνω παρὰ τὸ ἐλάω καὶ Αἰολικῇ προσθέσει τοῦ ῡ ἐλαύω καὶ κατὰ Δωριεῖς προσθέσει τοῦ ν̄ ἐλαύνω· οἱ γὰρ Δωριεῖς τὰ εἰς ῶ καθαρὸν λήγοντα ῥήματα διὰ τοῦ ν̄ προφέρονται· οἷον δύω δύνω, θύω θύνω· ὡς παρ' Ὁμήρῳ 'θῦνε γὰρ ἀμπεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικώς' Ε 87*; quibuscum conferas Eust. 831, 62: *πεποίηται δὲ ἡ λέξις αὕτη καθ' Ἡρακλείδην διαλέκτοις τρισίν· Βοιωτῶν μὲν γὰρ τὸ ἐλάω καθὰ καὶ τὸ πεινάω, διψάω καὶ τὰ ὅμοια· Αἰολέων δὲ ἡ προσέλευσις τοῦ ῡ, ὡς ἐν τῷ ψαύω, χραύω, αὔω· Δώριος δὲ ὁ πλεονασμὸς τοῦ ν̄ καθὰ ἐν τῷ δύνω, θύνω ⟨θῦνε γὰρ ἀμπεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικώς Ε 87⟩*; cf. praeterea Exc. Or. 661, 31 = Eust. 54, 18; Exc. Or. 661, 34 = Eust. 756, 33; Exc. 661, 43 = Eust. 1562, 41; Exc. 661, 48 = Eust. 1064, 4; 1722, 35; Exc. 661, 51 = Eust. 1654, 13—27; Exc. 661, 58 = Eust. 756, 30; Exc. 661, 63 = Eust. 1643, 2.

Orionem cum demonstrauerim ex Heraclidae Milesii libris grammaticis etymologias uocumque deriuationes enotasse, et in Etymologico magno eiusque ut ita dicam editione minore, Etymologico Gudiano, grammatici nostri uestigia cognosci posse apparet. Etymologus tamen non solum totum fere Orionis lexicon ut commodam praedam abstulit, sed etiam, Orioneis minime contentus, ipse libros Heraclidae, Apollonii, et imprimis Herodiani adiit, unde molem illam etymologiarum rerumque grammaticarum amplissimam conflaret, hic grammatici unius commentum apponens, illic duorum pluriumue testimonia per ἤ uel *καί* contaminans. Nec non ex iisdem fontibus Byzantinus quidam epimerismos homericos (uide Crameri Anecdot. Oxon. uol. I) compilauit, etymologica tamen minus curans quam explicationes formarum epicarum. Velim igitur componas Etym. M. 661, 51 (Et. Gud. 460, 25; Anecd. Ox. I, 353, 11) cum Heraclidae sententia apud Eust. 1098, 13 (1654, 34 Osann. fr. 79); Et. M. 667, 29 (Anecd. Oxon. I, 366, 20) cum Heracl. apud Eust. 1643, 1 (Os. fr. 70); Et. M. 608, 43 (Et. Gud. 412, 31) cum Heracl. apud Ammon. p. 99 (Eust. 1840, 1). Iuuat unum subicere locum: Eust. 1643, 2 (Fauor. 310 Dind., Os. fr. 70), quocum conferas (Et. M. 667, 29, Fauor. 355, 33) Anecd. Oxon. I, 366, 20: *πεφυζότες Φ 6 κατὰ διάλεκτον· ἔστι γὰρ ὁ παρακείμενος πέφυκα, οὗ ἡ μετοχὴ πεφυκώς· ὁ γοῦν Ἀλκαῖος [μετατιθεὶς τὸ ϛ εἰς τὸ ν κατὰ πλεονασμὸν τοῦ ἑτέρου γ] φησὶ ‘πεφύγγων’ οἱ δέ νεώτεροι Ἴωνες τῷ ζ ἀντὶ τοῦ γ χρῶνται ὅθεν καὶ τὸ φύγω φύζω καὶ τὸ πέφυγα πέφυζα καὶ τὸ πεφυγότες πεφυζότες [καὶ τὸ πεφυκώς]· κατὰ τὴν αὐτὴν ἀντιστοιχίαν καὶ τὸ ὀλίγον ὄλιζον λέγουσιν· ⟨ἢ ὥσπερ ἀπὸ τοῦ κίσσα κισσῶ οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ φύζα φυζῶ φυζήσω πεφυζηκώς καὶ συγκοπῇ πεφυζώς⟩ πεφυζηκότες καὶ συγκοπῇ πεφυζότες· ⟨οὐ δύναται γὰρ μέσος παρακείμενος εἶναι· οὐδέποτε γὰρ μέσος παρακείμενος διὰ δύο συμφώνων κατὰ σύλληψιν ἐκφέρεται οὐδὲ διὰ διπλῶν χαρακτηρίζεται⟩.* ‘Tenor expositionis’, addit Lentzius Herod. II, 265, ‘Herodianum prodit; epitomator epimerismorum in eo Herodiani sententiam de *πεφύγγων* peruertisse uidetur, quod dicit *μετατιθείς κ. τ. λ.*; nam

Herodianum de *πεφύγγων* non aliter atque Heraclidem apud Eust. 1596, 5 iudicasse ex Il. pros. *M* 125 apparet; ceterum causa cur *πεφυζότες* perfectum medium esse non possit, accessit ex Et. M. 667, 29' (Fauor. 355). Vellem tamen non omnia adscripsisset Herodiano; collatis enim Eust. 1643, 2 Fauor. 310 nemo non uidet, Etymologici magni compilatorem Heraclidae et Herodiani sententias uerbis *ἢ ὥσπερ* discernere uoluisse, reqtique quid suboluisse Lentzium, cum de participio *πεφύγγων* [1]) ad Heraclidem nos relegaret. Atque ut omnes dubitationes tollam, adeas quaeso Fauorinum, qui Heraclidae commentum p. 310, 3 apposuit, Herodiani uero, qui Heraclidem refellere conatus est, explicationem p. 355, 33 tradidit (cf. Schol. Ven. *B* ad Il. XXII, 1). Iam addo Heracl. Eust. 1389, 31 = Et. M. 562, 15 (Et. Gud. 367, 12; Exc. Or. 661, 31; Anecd. Oxon. I, 262, 26; Anecd. Par. III, 336, 16); Heracl. Eust. 1648, 9 = Or. 185, 11 (Et. M. 38, 26; Et. Gud. 21, 19).

De Fauorino et Philemone, qui uocatur, uix est quod disseram, cum ille Heraclidae fragmenta *αὐτολεξεὶ* e commentariis Eustathii descripserit [2]), Philemon uero omnia Fauorino debere ut nos celaret, frustra elaborauerit. [3])

1) Emenda hinc Eust. 1596, 5: *κατὰ Ἀλκαῖον πεφύγγω⟨ν⟩·* Ceterum quod Iones recentiores *ὄλιζον* pro *ὀλίγον* usurpasse contendit Heraclides, Lycophronem (627) et Nicandrum (Ther. 212, 372) respicere uidetur; Aeoliis tribuit Ael. Dionysius apud Eust. 1160, 18, cuius obseruationis fontem nobis aperuit Stephanus Byz. s. u. *Ὀλιζών· Θεσσαλοὶ δέ, ὡς ἱστορεῖ Δημοσθένης ἐν κτίσεσι, τὸ μικρὸν ὄλιζον καλοῦσιν·* qua re egregie firmatur Lentzii sententia, Herodianum a Stephano compilatum esse. Idem enim enotauit Eust. 329, 14 ex Apionis et Herodori (i. e. Herodiani) commentariis. — Paroxytonon retinui auctore Aelio Dionysio l. l. *δοκεῖ δὲ* (scil. *τὸ ὄλιζον*) *ἡ λέξις Αἰολέων εἶναι· διὸ καὶ προπαροξύνεται τὸ ὄλιζον.*

2) Valet hoc et de Varini Fauorini Camertis 'magno dictionario' (praesto mihi fuit editio Veneta anni CIƆIƆCCXII), et de eclogis, quas ex 'hortis Adonidis' uulgauit Dindorfius in grammat. graec. uol. I, Varini Camertis. Quae necessitudo, si ex me quaesieris, intercedat inter utrumque Fauorini librum, respondebo, ex iisdem fontibus repetitas esse eclogas atque 'dictionarium magnum', non uero ex altero opere alterum.

3) Vide Lehrsii commentat. de Philemone, Anall. Fleckeis. uol. CV p. 486 sqq. et quae supra monui.

Quae grammaticorum fragmenta Aldus Manutius in 'Hortis Adonidis' edidit Venetiis CIↃCCCCLXXXXVI, noli suspicari me, cum raro laudata inueneris, accurata examinatione indigna duxisse. Ut enim Fauorini eclogas missas faciamus, opusculum illud, quod inscribitur 'παραγωγαὶ δυσκλίτων ῥημάτων' iam supra commemoraui non Herodiani esse sed Heraclidae Milesii. Iam aliquot uersus oculis subiciam: fol. 205ᵃ, 13 *πόθεν τὸ ἐλαύνω· παρὰ τὸ ἐλῶ δευτέρας συζυγίας τῆς περισπωμένων· καὶ παρὰ Βοιωτοῖς ἐλάω καὶ κατ' Αἰολεῖς προσθέσει τοῦ ῡ ἐλαύω καὶ κατὰ Δωριεῖς προσθέσει τοῦ ν̄ ἐλαύνω· οἱ γὰρ Δωριεῖς τὰ εἰς ῶ λήγοντα ῥήματα καθαρὰ τῷ ν̄ προφέρουσιν· οἷον δύω δύνω, θύω θύνω· ὡς παρὰ τῷ 'Ομήρῳ 'θῦνε γὰρ ἀμπεδ⟨ί⟩ον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικώς'* *E* 87, ut subinde memineris, te eadem in Excerptis codicis Darmstadini, eadem apud Eustathium [1]) legisse. Quamquam uero toto opusculo de doctrina Heraclidae nihil comperimus nisi quae iam ex Eustathio nouimus, tamen minime paenituit me hanc quoque partem hortorum Adonidis perlustrasse, quod non solum scripturas quasdam ibi repperi emendatiores sanioresque, sed etiam dilucidius apparuit, quam recto Ahrensius his de fragmentis grammaticis iudicio usus sit [2]), quam caute Lentzius multa Herodiano ibi iniuria tributa reliquerit Heraclidae reddenda. En singularum obseruationum indiculum:

Hort. Ad. 204ᵇ, 22—28 = Eust. 722, 59; 1726, 24; Os. fr. 66.
H. Ad. 205ᵃ, 1—3 = Eust. 54, 18 (774, 54; Os. fr. 73).
H. Ad. 205ᵃ, 4—7 = Eust. 32, 36; 764, 30; 842, 63; Os. fr. 50.
H. Ad. 205ᵃ, 8—12 = Eust. 756, 32; 842, 46; 1647, 64.
H. Ad. 205ᵃ, 13—18 = Eust. 831, 62 (154, 13); 670, 62; Os. fr. 52.
H. Ad. 205ᵃ, 19—25 = Eust. 1714, 54; 28, 44; Os. fr. 61.
H. Ad. 205ᵃ, 26 — 205ᵇ, 3 = Eust. 23, 28; Os. fr. 67.
H. Ad. 205ᵇ, 3—6 = Eust. 1562, 41 (1561, 60 = Os. fr. 63); 773, 34.
H. Ad. 205ᵇ, 7—11 = Eust. 1654, 28 (Os. fr. 79).
H. Ad. 205ᵇ, 12—15 = Eust. 1722, 35; Os. fr. 51; Eust. 1064, 4.

1) P. 111 dissert. nostrae; Exc. Or. 661, 37; Eust. 831, 62.

2) Ahrens, de dial. aeol. 210 n. 5 'grammaticus ille in H. Ad. plerumque cum Heraclide accurate conspirans'.

H. Ad. 205ᵇ, 16—20 = Eust. 756, 31.
H. Ad. 205ᵇ, 21—23 = Eust. 1643, 1 (An. Ox. 366, 20; Et. M. 667, 29); Os. fr. 70.
H. Ad. 205ᵇ, 23—26 = Eust. 1383, 20.
H. Ad. 205ᵇ, 26—30 = Eust. 734, 51; Os. fr. 54.
H. Ad. 206ᵃ, 1—6 = Eust. 1596, 2; Os. fr. 75.

In scholiis ad Iliadem celeberrimis codicis Veneti *A* uno tantum loco Heraclides laudatur, ubi Herodianus (Il. pros. *Θ* 178) Heraclidae de adiectiuo *ἀβληχρός* sententiam refutat. Scholiasta codicis Veneti *B* nonnulla alia seruauit, non diserte quidem grammatici illius nomine apposito nisi *I* 378, quocum consentit Heraclides apud Eust. p. 28, 44; 1714, 56; Os. fr. 61; cetera collatis Eustathianis indagaui: *Λ* 103 BL = Heracl. apud Eust. 1383, 20; *Λ* 104 BL = Eust. 54, 18; *Λ* 133 BL = Heracl. apud Apoll. Anecd. Bekk. II, 585, 16; *E* 504 V = Eust. 1596, 2 (Os. fr. 75); *Λ* 124 B = Eust. 734, 58; 780, 34 (Os. fr. 80), alia. Sed noui nihil fere his ex scholiastarum B, L, V adnotationibus lucramur, neque ulla fere eis fides habenda est [1]), cum suo Marte grammaticorum testimonia amplificauerint, decurtauerint, uera falsis miscuerint. Illo ipso loco, quo scholiasta *B* mentionem iniecit Heraclidae, deprehendimus uera fabulosis augentem: *I* 378 *Λυσανίας ὁ Κυρηναῖος . . . καὶ Ἀρίσταρχος 'ἐν κηρὸς αἴσῃ' φησὶ λέγειν τὸν ποιητὴν δωρικῶς μεταβαλόντα τὸ η̄ εἰς ᾱ . . . Ἡρακλείδης δὲ φησὶν ὅτι τὰ ἐκ τοῦ η̄ εἰς βραχὺ ᾱ μεταγόμενα ἰωνικά εἰσιν, ἀλλ' οὐ Δωριέων συστολαί B*. Quid uero Aristarchus? *ἡ διπλῆ*, inquit Aristonicus, *ὅτι συνέσταλται Ἰακῶς 'ἐν καρὸς αἴσῃ' ἀντὶ τοῦ 'ἐν κηρός'· ὅμοιον γάρ κ. τ. λ. A*. Prorsus uero abiudicanda sunt Heraclidae Milesio, quae scholiasta *B* adnotauit *B* 649, *Γ* 236 [2]); habebat enim in scriniis Peripate-

1) Cf. Lehrs. de Arist. stud. hom. p. 38.

2) *B* 649 *Κρήτην ἑκατόμπολιν· διὰ τί ἐνταῦθα μὲν πεποίηκεν 'ἄλλοι θ' οἱ Κρήτην ἑκατόμπολιν ἀμφενέμοντο' B* 649, *ἐν δὲ τῇ Ὀδυσσείᾳ εἰπὼν ὅτι ἐστὶ Κρήτη καλὴ καὶ πίειρα . . . ἐπάγει 'ἐν δ' ἄνθρωποι πολλοὶ ἀπειρίσιοι, καὶ ἐννήκοντα πόληες' τ* 174 . . . *Ἡρακλείδης οὖν καὶ ἄλλοι λύειν ἐπεχείρουν οὕτως . . . B*; uide praeterea schol. *ν* 119.

tici librum ‘‘Ὁμηρικῶν λύσεων’ a Diogene Laërtio commemoratum.[1])

Peruenimus ad Eustathium, cui omnia fere, quae de studiis grammaticis Heraclidae Milesii comperta habemus, debentur. Itaque accuratius in hanc farraginem mole sua quam doctrina et eruditione multo grauiorem nobis inquirendum fuit. Atque in fontibus Eustathii ad examen uocandis hac potissimum difficultate irretimur, quod ueterum grammaticorum commenta tam male amplificata, amputata, in deterius detorta, adeoque corrupta leguntur, ut ambigui haereamus, utrum Eustathio melioris notae libros usurpare non licuerit, an ipsum neglegentiae atque socordiae coarguamus. Habebat in scriniis libros quosdam Herodiani[2]); at melius ei uisum est uti commentariis Apionis et Herodori[3]) ut pote ad singula Homeri carmina digesta.[4]) Quibus si addideris quae scholiorum Venetorum uolumine continentur, nullum alium notae interioris librum ab Eustathio ad partes uocatum esse pronuntiauit La Rochius[5]) male oblitus Stephani Byzantii; egregia enim lexica[6]) rhetorica Aelii Dionysii et Pausaniae, quorum plus trecenta quinquaginta fragmenta seruauit Eustathius[7]), ut mere compilata La Rochius, quae obiter stringeret, satis duxit.

Inter grammaticos locum ab Herodiano proximum Eustathius obtinere iussit Heraclidem. Neque uero ullius grammatici excepto Herodiano scholiisque Apionis et Herodori ex eodem petitis testimonia tanta liberalitate, tam peculiari cupiditate in commentarios rettulit dignaque habuit quibus aequum

---

1) Diog. Laert. V, 88.

2) Eust. p. 265, 43 καθολικὴ προσῳδία, 154, 19 συμποσίων.

3) Quem pro Heliodoro substituisse uidetur; cf. Ritschl, Alex. Biblioth. p. 141 = Opusc. I p. 118.

4) Eust. 1257, 53 Ἡρόδωρος καὶ Ἀπίων ἐν τοῖς εἰς Π σχολίοις.

5) La Roche, Hom. Textkritik im Alterthum p. 170—174.

6) Cf. Ritschl de Oro et Orione p. 34 = opusc. I p. 617 sq. Naber, praef. in Phot. lex. § 4 p. 28, 30.

7) Cf. Naber l. l. § 24 p. 192 sqq.; Rindfleisch, de Aelii Dionysii et Pausaniae lexicis rhet. diss. Regimont. 1865.

concederet spatium.[1]) Dolendum tamen est quod grammaticorum commenta modo inique contraxit, modo languidis operosisque additamentis inquinauit, id quod maxime cognouimus ex quo Villoiso praestantissima illa scholia Veneta aperuit, Lehrsius monuit, ne plus aequo fidei haberemus Eustathio. Interdum tamen ipsa Heraclidae uerba seruauit: p. 1410, 56 *ἔτι δὲ λέγει σφοδρῶς καὶ ὅτι 'ἔγωγε ἄνοιαν καταδικάζω τῶν οἰομένων ἐπέκτασιν τῆς-ὢν εἶναι τὴν ἐὼν μετοχήν κ. τ. λ.'*; p. 1625, 56; 1892, 32—36, ibid. 38—44; 1946, 24—29; 1407, 60—64 (Os. fr. 58, 62, 59). Atque ceterorum quidem grammaticorum nomina sescenties suppressit contentus inanissimo illo *οἱ παλαιοί, τινές, ἔνιοι, φασί*; neque tamen ita in Heraclide, quem singulari reuerentia *τὸν καλόν, τὸν ἀκριβολογούμενον, πολύνουν, βαθύν, σοφόν* nuncupauit.[2]) Sed ne sic quidem a me impetraui, ut ipsius Heraclidae operibus integris atque incorruptis usum esse ponerem Eustathium. Ut enim Herodiani libri a turba recentiorum grammaticorum[3]) auctoris sui uestigia seruorum in modum prementium dilacerati, excerpti, ipsorum commentis flocci faciendis aucti ad nostra peruenerunt tempora, ita Heraclidae quoque libros corruptos et iam in breuiorem formam redactos ea aetate exstitisse cum Osanno pro certo affirmarim. Sic factum est, ut ne titulum quidem prosodiae catholicae compertum haberet Eustathius, eademque de causa non Milesium, quod cognomen in codice non inuenit, sed Alexandrinum nominauit. Iisdem compilatoribus tribuendum est, quod catholicae prosodiae speciem et indolem haud raro in fragmentis euanuisse grauissimaque eis

1) Cf. Eust. 1654, 13—34; 1700, 32—50; 1755, 54 — 1756, 20; 1722, 33—65; 1759, 6—41; 1885, 40—58; 1892, 30—46; 1557, 34—48 (Os. fr. 79, 57, 64, 51, 59, 65 al.).

2) Eust. 1383, 20; 1722, 59; 1770, 31; 1641, 35; 1892, 37; 1759, 5 (Os. fr. 35, 78, 59, 62). Ioculare in malum incidit Nicolaius (Griech. Litteraturgesch. II, 1 p. 340). Qui cum ab Osanno hanc rem tractante Dionysii Halic. locum (Art. Rhet. p. 365 Reisk.) appictum inuenisset, eum temere in commentarios suos transtulit, Heraclidem suspicatus laudari a Dionysio Halicarnassensi.

3) Choeroboscum dico, Arcadium, Stephanum Byzantium.

uulnera illata uidemus, quae caueas omnia Eustathio referas accepta. Neque uero Eustathius abstinuit, quin, qua erat incuria, corrupta redderet corruptiora. Quemadmodum enim copiis suis usus sit, et collatis scholiis Venetis egregie docuit Lehrsius, et Strabonis libris luculentissime confirmatum est.[1]) Ut igitur omnia fere, quibus Strabo, Athenaeus, alii Homerica carmina tetigere, in commentariis suis effulgere noluit, eadem ratione quae in catholica Heraclidae prosodia ad Homerum spectabant, fere omissis quos ille inseruerat, uersus homericos, suis quaeque locis adnotans transtulit. At quam neglegenter, quam inconsiderate atque sine ulla sana ratione hic illic fontes usurpauit, grauiora nouaque nihil curans! Enimuero prout cupiditas incessit, aut liber ei oblatus est, modo arripuit, ut complures locos exscriberet, modo dimisit et per longum commentariorum spatium oblitus intactum reliquit, id quod maxime in parecbolis ad Iliadem factum uidemus, ubi in carmine *Α* sexies, *Β* ter, *Δ* semel, *Η* semel, *Θ* ter, *Ι* sexies, *Λ* bis *Π* semel, *Ρ* semel Heraclidae mentionem iniecit, in ceteris uero *ΓΕΖΚΜΝΟ* et inde a *Σ* ne uno quidem loco diserte Heraclidem commemorauit. Iuuat Eustathii rationem compilandi exemplo illustrare. Exscripsit p. 1724, 30 (Fauor. p. 80 Dind.) quae de *ἄω ἄημι ἀήτης* adnotauerat Heraclides, quorum frustula seruauerunt Or. 19, 17; Et. M. 23, 2; schol. V. *Ε* 526. Licet igitur hunc fere in modum Heraclidae commentum restituere: *ὥσπερ ἐκ τοῦ φιλῶ γίγνεται Αἰολικῶς φίλημι, οὕτως ἀπὸ τοῦ ἀῶ ἄημι· ʽἩσίοδος* Theog. 875 ⟨ʽ*ἄλλοτε δ᾽ ἄλλοι ἄεισι*[2]) *διασκιδνᾶσί τε νῆας᾽ καὶ ʽἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων᾽* Opp. 625 *καὶ Ὅμηρος*⟩ ʽ*διασκιδνᾶσιν ἀέντες᾽ Ε* 526. *καὶ ἀκολούθως ὡς παρὰ τὸ φιλῶ γίγνεται ἐφίλει διὰ τῆς* $\overline{\varepsilon\iota}$ *διφθόγγου καὶ Αἰολικῶς ἔφίλη τρίτον ἑνικόν, οὕτως καὶ παρὰ τὸ ἀῶ ἄει καὶ κατ᾽ Αἰολεῖς ἄη· Ὅμηρος μ* 325 ʽ*Μῆνα δὲ πάντ᾽ ἄλληκτος ἄη νότος᾽ καὶ ὡς φίλητον δυϊκὸν οὕτως ἄητον* ⟨ʽ*τώτε Θρῄκηθεν ἄητον᾽ Ι* 5⟩ *συλλαλεῖ δὲ κ. τ. λ.*[3])

1) Cf. La Roche, Hom. Textkritik p. 172 sq.

2) De hoc accentu cf. Flach ad Hes. Theog. 875.

3) Alia suis locis notaui. Haud temere in Eustathii fragmenta uete-

Haec habui quae de Heraclidae Milesii temporibus et scriptis, fontibusque ex quibus dissertationem nostram hausimus, praemitterem. Nunc ipsam quaestionem de Heraclidae studiis homericis aggrediar, ita quidem, ut primum recensione quam Osannus ex Eustathio elicitam tribuit Heraclidae, carminum homericorum examinata proferam ea, quibus textum quem uocamus homericum interpretatus est aut temptauit. Tum in prosodica eius studia, quatenus cum homericis carminibus cohaereant, inquiram; etymologica uero et epicarum formarum explicationes grammaticas dialecticasue locum obtinere iussi postremum.

rum scriptorum, inprimis Homeri testimonia reduxi, quippe quae compilatores resecuerint modo omnia tollentes, modo unum relinquentes.

Post Zenodotum Aristophanemque Aristarchus, cum per tot annos in examinandis interpretandisque carminibus Homeri aliorumque ueterum poetarum uersatus esset, confisus subtilitate ingenii natiuoque ueri falsique sensu mire ductus nec non rationibus innixus critico et philologo aeque dignis ad fidem potissimum meliorum codicum carmina homerica denuo recensuit. Atque consentientibus totius antiquitatis suffragiis munere suscepto egregie perfunctus opus omnibus numeris absolutum posteris tradidit neque quisquam exstitit, qui post Aristarchum hoc sibi munus denuo subeundum esse censuerit. Hoc enim potissimum restare arbitrabantur Aristarchei recentiorisque aetatis grammatici, ut magistrum de Homero optime meritum ab aduersariis quam acerrime defenderent, iisdem quibus Aristarchus nisi rationibus res ad antiquitatem homericam pertinentes mythicas, historicas, geographicas ex ipso Homero indagarent, uocabulorum glossarumque notiones legesque prosodicas (id quod maximae fuit grammaticis curae), spiritus dico, et syllabarum quantitates et accentus, retractarent. Hinc tot grammaticorum, quorum sat magnum numerum Herodianus in prosodia homerica ad partes uocauit, libri *περὶ Ὁμηρικῆς προσῳδίας, περὶ προσῳδιῶν* nomen traxerunt. In primis nominandi sunt Philoxenus Augusti aequalis, quem libro *περὶ προσῳδιῶν* (Nicanor ad Il. *Λ* 231) uniuersam accentuum doctrinam explorasse suo iure contendit Friedlaender [1]), et Trypho aetatis Tiberianae grammaticus celeberrimus, quem studia homerica in ampliores regiones detulerunt, ubi philosophicis et praecipue dialectologicis, quas dicunt, quaestionibus operam nauauit. Idem relicta ceteris grammaticis prosodia homerica ad

1) Nicanoris reliqq. Regimont. 1850 prolegg. p. 15.

Atticam sese conuertit [1]) fundamentum substraturus, in quo prosodiae totum sermonem graecum complectentis aedificium exstrueretur, quod munus primus suscepit Heraclides Milesius, retractatum absoluit Herodianus.

Atque hac et in catholica prosodia et in libro περὶ δυσκλίτων ῥημάτων Homericorum studiorum fructus Heraclidem proposuisse exploratum habeo. Neque enim de aliis, quibus carmina Homerica tetigerit, libris aliunde constat ipsisque fragmentis docemur omnis eruditionis fundum rerumque grammaticarum agrum feracissimum carmina illa recte habuisse cum ceteros grammaticos tum Heraclidem. Itaque cum et leges prosodiacas ad uniuersum sermonem spectantes inuestigandi consilium iniisset et animo studiis dialectologicis exculto ad grammaticas etymologicasque quaestiones se conuertisset, haud postremum locum destinauit carminibus Homeri. Studia igitur Heraclidae Homerica non critici ut Aristarchi, sed grammatici, quales nouimus Apollonium, Herodianum, esse dixerim animo uersans illud Cratetis [2]) ὁ γραμματικὸς ἁπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικὸς καὶ προσῳδίας ἀποδοτικὸς καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων εἰδήμων. Egregie haec in Heraclidem. Etenim hunc nusquam fere uidemus artis criticae munus sustinentem, qui poetae sententiam inuestiget, sententiarum conexum adumbret, hos uersus a praeproperis reprehensionibus defendat, illos ut poeta parum dignos reiciat, res ad antiquitatem pertinentes aliaque eiusmodi exploret atque illustret. Quin immo haec omnia mirum quantum ab Heraclidae consilio, si quid uideo, afuisse persuasum habeo et nubem pro Iunone amplexus est Osannus, qui ex Eustathii uerbis infra afferendis carminum Homericorum recensionem ab Heraclide confectam sibi eliciisse uisus est [3]), cuius nec uola apparet nec uestigium. Qua in re adstipulamur Sengebuschio [4]) et La Rochio [5]) paucis hanc

1) Herodian. π. μονηρ. λεξ. II, 42, 15.
2) Apud Sext. Empir. adu. Math. I, 3 § 79.
3) Quaest. hom. III p. 1—5; IV p. 17 sqq.
4) Homer. dissert. prior. p. 82 (in Dindorfii edit. Iliad. IV).
5) Hom. Textkrit. p. 79. Sed quae idem p. 80 apposuit, haec profecto

quaestionem tractantibus. Sana enim ratione ex loco illo Eustathiano posse concludi nihil aliud, nisi Heraclidem ut Cratetem, Tyrannionem, Ptolomaeum Ascalonitam, alios in libris grammaticis constituendae apud Homerum lectionis rationem habuisse. Sed ipsi quid statuamus, eruere accingimur. Ut igitur ponamus carminum homericorum diorthoten exstitisse Heraclidem Milesium, profecto suo iure mirum habuit Osannum, ne ab uno quidem antiquo scriptore hanc recensionem esse commemoratam. Certe debebat exspectare, diligentissimum superiorum grammaticorum perscrutatorem in prosodia homerica mentionem huius recensionis iniecisse. Hercle uero eodem iure Tyrannionem, Ascalonitam, Herodianum, omnes denique qui unum alterumue uersum homericum constituisse perhibentur, diorthotas atque editores poterat pronuntiare. Sed enim nihil aliud protulit Eustathius nisi fragmentum libri *περὶ δυσκλίτων ῥημάτων*, ubi Heraclides de *ἄημι ἄη ἄητον* sententia exposita canonem e prosodia catholica petitum de *ἀήτης* allegauit. Audi enim haec: *λέγει Ἡρακλείδης τοιαῦτα*[1]*· πεποίηται ὁ ἀήτης ὡς ἀπὸ περισπωμένου τοῦ ἀῶ ἀήσω· διὸ ἡμάρτηται κατὰ ⟨τὸν⟩ τόνον· τὰ γὰρ τοῖς εἰς ω̃ περισπωμένοις ῥήμασι παρασχηματιζόμενα εἰς της ἀρσενικὰ τῷ η̄ παραληγόμενα ὀξύνεται· οἷον ποιῶ ποιητής· ὁμοίως ἠχητής, μιμητής· οὐκοῦν καὶ τὸ ἀῶ ἀήσω τοιοῦτον γεννᾷ· ὁ δὲ ἀήτης οὐχ οὕτως ἀλλὰ βαρύνεται· λέγει δὲ τοιοῦτον ἁμάρτημα εἶναι καὶ ἐν τῷ χηρωσταί· τοῦ γὰρ ῥήματος χηρῶ ὄντος περισπωμένου τοὔνομα οὐκ ὀξυτονεῖται ἅμα δὲ τοῦτο περισσὸν ἔχει τὸ σ̄· καὶ σημει⟨ῶσαι⟩ τὸ τοιοῦτον καινῶς παραδοθὲν ὑπὸ τοῦ Ἡρα-*

non assequor: 'Osann setzt das Zeitalter dieses Heraclides in das erste Jahrhundert unserer Zeitrechnung, versteht also den darunter, von welchem Suid. erwähnt: *ὅστις Διδύμῳ τῷ πάνυ κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐφοίτησεν.* Das war wohl kein anderer als Heracl. von Milet, den auch die schol. Veneta erwähnen'. Vereor ne praestrictis ille oculis Osanni dissertationem inspexerit. Quid enim? Sat accurate Osannus inter Ponticum et Milesium distinxit. Et apertis uerbis Suidas: *Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός, ὅστις Διδύμῳ κ. τ. λ.* Sed certe non euoluit La Rochius.

1) Nisi mauis Eustathium haec frustula cum uerbis illis suspectis *συλλαλεῖ δὲ κ. τ. λ.* (cf. Os. q. h. III p. 4) male coniunxisse.

κλείδου· ἡ γὰρ Ἰλιὰς διορθωθεῖσα ὡς ἔοικεν ὕστερον οὐ γράφει χηρῶσται περισπωμένως ἀλλ' ὀξύνει οἷον 'χηρωσταὶ δὲ διὰ κτῆσιν δατέονται' *E* 158. Heraclides igitur primae declinationis substantiua in $\overline{τῆς}$ exeuntium atque a uerbis contractis repetita noluit esse oxytona; sed ex hac norma excipi ἀήτης et χηρώστης (ἡμαρτημένα), cum contra analogiam paenultima accentu notaretur. Quae cum legisset Eustathius, suo iure miratus est χηρωστής non aliter quam ἀήτης pro barytono omnibus probato ab Heraclide uenditari, codicibus oxytonon exhibentibus. Itaque pro suo ingenio Iliadem post Heraclidem, quippe cuius aetate χηρώστης genuina habita esset lectio, denuo esse recensitam coniecit, quamquam e scholiis Didymi et Herodiani *E* 158 iam Aristarchum χηρωσταί excudisse licuit colligere.

Aliter rem expedire conatus est Osannus; persuasit enim sibi uir doctus, Heraclidem scripto aliquo eos castigasse, qui ἀητής et χηρωστής Homero obtruderent[2]), postea tamen in recensenda Iliade ipsum dedisse χηρωσταί mutata sententia.

---

1) Eust. 1724, 35; Osann. fr. 35.

2) Hac ex falsa interpretatione (iuuabit enim statim intercessisse) prodiit error Osanni. Age sit disceptatum ea aetate de uocis χηρωστής accentu: (quam litem de ἀήτης coortam esse neque scimus neque uerisimile ducimus) at Heraclides, cum uerba illa conscriberet, supposuit, ἐπικρατῆσαι, ut uerbis Heriodani utar, ἀνάγνωσιν βαρύτονον, neque agnosci χηρώστης nisi barytonon perinde atque ἀήτης. Quodsi secus interpreteris, non solum uerbi ἁμαρτάνειν notio apud grammaticos peculiaris, de qua mox disputabimus, neglegitur, sed etiam noua suboritur difficultas e uerbis Heraclidae ἅμα δὲ τοῦτο περισσὸν ἔχει τὸ σ. Nonne enim luce clarius esse dicemus et accentum et sigma abundans pariter uideri Heraclidae ἡμαρτημένα i. e. analogiae sermonis graeci aduersaria? At si quis a se impetrauerit, ut credat grammaticos in Homerum χηρωσταί reducentes ab Heraclide castigatos esse, fieri non poterit quin 'χηρώτης' Heraclidae antea probatum censeat. At castigandi notionem Osannus sine ulla causa intulit in uerba Heraclidae: ... τοὔνομα οὐκ ὀξυτονεῖται (non ὀξυτονητέον)· ἅμα δὲ περισσὸν ἔχει τὸ σίγμα· Addo locum Heraclidae persimilem: Eust. 1457, 45 (Osann. fr. 81) 'Ημάρτηται καθ' Ἡρακλείδην τὸ ἐστέ· ὡς γὰρ οὐ λέγομεν δεικνυστε ἢ φαστε, οὕτως οὐδὲ ἐτέ ἐστέ· ἔτι δὲ καθότι ὀξύνεται· οὐδὲν γὰρ τῶν εἰς $\overline{τε}$ ληγόντων κ. τ. λ. ... ἑτέρωθι λέγει, ὅτι τὸ ἐσμὲν ἐστὲ εἰσί, εἰ καὶ ἡμάρτηται ὀξυτονούμενα, ὅμως ἔπαθον τοῦτο.

Ut recte disputauerit Osannus, Eustathium sua ipsius manu non solum Heraclidae scripta grammatica, sed etiam Iliadis ipsam editionem inspexisse quin statuat fieri non potest. Credat Iudaeus Apella! Neque enim eo quem tractamus loco scripsit Eustathius *ἐν τῇ Ἰλιάδι . . . διορθωθείσῃ γράφει Ἡρακλείδης*, neque ullo loco *ἐν τῇ Ἡρακλείδου φέρεται*, *ἡ Ἡρακλείδου γράφει*, similia. At nihil omnino est, cur ad *διορθωθεῖσα* subaudiamus *ὑφ' Ἡρακλείδου*, aut Eustathium, duodecimi p. Chr. n. saeculi commentatorem, ita intellexisse putemus; id unum ille suspicatus est post Heraclidem carmina homerica esse recensita diorthotamque exstitisse, qui pro *χηρῶσται* *E* 158 reposuisset *χηρωσταί*. Unde quaeso comperit Osannus Heraclidem de *χηρωσται* sententiam mutasse? Cum uero Osannus concesserit, illa Heraclidae editione Eustathium non esse usum, sed ex alio fonte tradidisse episcopum, Heraclidem postmodum in Iliade a se recensita *χηρωσταί* edidisse mutata sententia, coniecturam proposuit, cuius fundamenta in uerbis Eustathii nisi oculis praeiudicata opinione praestrictis inuestigare non possis. Nos uero ipsa uerba prementes multo uerisimilius ducimus, Eustathium nihil aliud nisi suam sententiam aperuisse suspicatum, post Heraclidem, qui *χηρῶσται ἡμαρτημένον* (accentu scilicet et litterae sigma pleonasmo) *ἡμαρτημένον παρ' Ἕλλησιν* eaque de causa non temptandum censuisset, accentum uocis *χηρῶσται* immutatum esse. Velim enim inspicias mecum haec: Eust. 1410, 59 (Os. fr. 58) *Μέμφεται* (*Ἡρακλείδης*) *δὲ καὶ τὸν Σιδώνιον Διονύσιον εἰπόντα διαλέκτῳ Ἀτθίδι πεποιῆσθαι ὅσα πλεονάζει τὸ ε κατ' ἀρχάς· ὧν ἐστι καὶ τὸ ἐῳνοχόει Δ 4 καὶ τὸ ἑών· ἀγνοεῖ δέ, φησί, ἐκεῖνος τὸ ἔργων 'ἐέργων' M 201, καὶ τὸ 'ἀλλὰ σύ πέρ μοι ἔειπε' δ 379, 468, ἀντὶ τοῦ εἰπέ· ὃ καὶ σημείωσαι ὡς καινόν· τὰ πλείω γὰρ τῶν Ὁμηρικῶν ἀντιγράφων 'ἀλλὰ σὺ πέρ μοι εἰπέ' γράφουσιν.* Dubitabisne quin Eustathius de suo addiderit *τὰ πλείω κ. τ. λ.*? Quid? si inspexeris schol. δ 379: *Ζηνόδοτος ἔειπε κακῶς H*, quae cum uerba legisset Eustathius, suo iure potuit asseuerare: *τὰ πλείω γὰρ τῶν Ὁμηρικῶν ἀντιγράφων . . . 'εἰπέ' γράφουσιν.* Ceterum quid iudicauerint Aristarchus

et Herodianus de harum uocum accentu, uidesis Herod. Il. pros. *Δ* 454, *N* 382, *X* 67.

Quod pro certo affirmaui, non consulto Heraclidem in interpretandis edendisque carminibus homericis, si quidem iudicio uti uolumus ipsis fragmentis stabilito, uersatum esse, sed ubi occasio offerretur, inter explorandas res grammaticas huius generis nonnulla protulisse, prorsus ut ab Herodiano[1] rem institutam uidemus in catholica prosodia, nescio an illustretur luculentius quam fragmento prosodiae catholicae ab Ammonio s. u. *σταφυλή* seruato: *πάντα τὰ ὑπὲρ δύο συλλαβὰς βαρυτονεῖται* (scil. substantiua feminina in *λη* exeuntia) *οἷον κονδύλη, Δαμύλη, Φαισύλη* (p. 100). Neque profecto a sententia nostra abludit Eust. 1815, 3 (Os. fr. 39) *Ἡρακλείδης δὲ ἐν οἷς περὶ δυσκλίτων ῥημάτων γράφει, 'ἀρισφαλὲς ἔμμεναι οὖδας' ρ 196 φησὶ γράφεσθαι [οὐκ ἄλλως] ⟨οὐ καλῶς⟩*[2]) *ὑπό τινων*, scil. pro '*ἀρισφαλέ' ἔμμεναι οὐδόν*'. Atque ipsum substantiuum *οὖδας* (codd. omnes nostri *ρ* 196 exhibent *οὐδόν*) recte reprobauit Heraclides. *Οὖδας* enim apud Homerum idem significat, quod Latinorum 'solum', 'pauimentum', quod pedibus terimus, et opponitur sublimi, in quod erigimur: cf. *ϑ* 376 *ὃ δ' ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἀερθεὶς ῥηϊδίως μεθέλεσκε, πάρος ποσὶν οὖδας ἱκέσθαι· ψ* 46 *οἵ δέ μιν ἀμφὶ κραταίπεδον οὖδας ἔχοντες κείατ'*. Itaque de cadentibus potissimum *οὖδας ὀδὰξ ἑλεῖν, οὖδας ἐρείσθη, οὖδάσδε*, quae notio minime ad nostrum locum pertinet, ubi de uia, qua urbem petituri sunt Ulisses et Eumaeus, nocturnis imbribus (*ξ* 457—59) male mollita ac lubrica et collibus hinc illinc adsurgentibus (*π* 204) impedita sermo est.

Continua nunc serie producam Heraclidae fragmenta, quibus uersuum homericorum lectionem constituere uel interpretari conatus est, reliqua, quorum numerus haud magnus exstat.

Schol. Od. *α* 320 *ὄρνις δ' ὣς ἀνόπαια· ὁ μὲν Ἀρίσταρχος ἀνόπαια προπαροξυτόνως ἀναγινώσκει ὄνομα ὄρνιθος λέγων·*

1) Cf. schol. Venet. *A* ad Il. *Δ* 190; An. Ox. I, 370; *Δ* 498, *B* 592, *Δ* 480, *Δ* 160, *Ψ* 698.

2) Corr. La Roche, in adnot. crit. *ρ* 196.

ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ἀνοπαῖα ἀντὶ τοῦ ἀοράτως ἵν' ᾖ οὐδέτερον πληθυντικὸν ὡς τὸ 'πυκνὰ μάλα στενάχων' Σ 318. [καλῶς] ⟨κακῶς⟩ [1]) δὲ ὁ Ἡρακλείδης φησὶν ἐν ταῖς ὁμοιότησι μὴ ἐπιφέρεσθαι ⟨τῷ⟩ ὄρνις τὸ κύριον· ἔλαθε γὰρ αὐτὸν τὸ 'ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος' Ξ 290 EHQR. At minime refutauit scholiasta sententiam Heraclidae adstructo exemplo Ξ 290 ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος ⟨ἥντ' ἐν ὄρεσσι χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύμινδον·⟩. Etiamsi enim posuerimus scholiastam non λιγυρῇ pro nomine proprio uenditasse, sed recte de 'Χαλκίδα' enuntiati relatiui cogitasse, ne sic quidem erroris culpa potest absolui, cum uerba Heraclidae ἐν ταῖς ὁμοιότησι male perspexerit. Bono enim iure contra Aristarchum Heraclides monuit, in comparationibus homericis uocabulorum collocationem, qualis esset α 320 ὄρνις ὣς ἀνόπαια, si nomen proprium ἀνόπαια sequeretur appellatiuum, non inueniri interposita particula ὥς. Homerus enim aut simplex substantiuum Λ 383, Ε 78, Κ 33, δ 160 particula ὡς excipi iussit, aut substantiuum cum enuntiato relatiuo Δ 482, Θ 306, Ν 173; aliis locis particulam ὡς interposuit inter substantiuum et adiectiuum Β 781, Υ 164, λ 143, σ 29, nusquam uero inter appellatiuum et nomen proprium.[2])

Haud eadem diligentia discrimen inter ἱκέσθαι et ἀφικέσθαι explorauit; cf. Ammon. p. 73 (Herenn. Phil. p. 205 ed. Valcken.) = Osann. fr. 32. Nihil enim profecto est, quod in ἀφικέσθαι notionem redeundi inesse dicamus[3]), quamquam hoc libenter concedo, notionem perueniendi quo quis tetenderit, paulo grauius uerbo composito significari, Ν 645, κ 420, μ 345, quam simplici ἱκέσθαι Ζ 367, ψ 151.

Sed infelicissime haec excogitauit: Eust. 1885, 40 (Osann.

1) Corr. A. Mai; male retinuit καλῶς Osann. fr. 47.

2) Cf. Wörner in Curtii Stud. uol. VI p. 358.

3) Caue dicas repugnare ἀποδιδόναι, quo in uerbo praepositio ἀπό ea tantum de causa notionem uernaculi 'zurück' adsumpsit, quod solitum huius uerbi obiectum est τὰ ὀφειλόμενα (Plat. rep. I, 332, a) τὸ ὄφλημα (Iustin. apol. II, 11) et similia ut χάρις, τὸ προσῆκον; significat igitur ἀποδιδόναι abtragen, abbezahlen scil. debita, i. e. zurückerstatten.

fr. 65) "Ἐν Ἰλιάδι τὸ εἵαται ἐν μεγάροις ποτιδέγμεναι" *B* 136 ψιλῶς καθ' Ἡρακλείδην προενεκτέον· οὐ γάρ κάθηνται, φησί, ἀλλ' ὑπάρχουσιν ... Ἴωνες γὰρ τοῖς παρακειμένοις ἀντὶ ἐνεστώτων χρῶνται, οἷον διανενόημαι κ. τ. λ. (Codex Venet. *A* exhibet εἵατ' ἐν quod ut corrigeret alter librarius ex alio codice adnotauit γρ. εἵατ' ἐνί; sed parum recte Bekkerus et La Rochius [Text, Zeichen, schol. Venet. *A* Il. *B* 136] hanc correcturam inter Didymi scholia rettulerunt.[1])) Num Aristarcho quoque εἵαται probatum fuerit, dubito; de solo enim imperfecto εἵατο loquitur Herodianus Il. pros. *O* 10 ... ὁ Ἀρίσταρχος ψιλοῖ τὸ εἵατο ὁμοίως καὶ ἐπὶ τοῦ 'εὗρε δ' ἐπὶ σπῆϊ γλαφυρῷ Θέτιν, ἀμφὶ δέ τ' ἄλλαι εἵαθ' ὁμηγερέες' *Ω* 83 κ. τ. λ. *A*; cf. Herodian. *Z* 336. Attamen persuasum habeo Aristarchi auctoritate seductum[2]) Heraclidem εἵαται *B* 136 genuinum poetae obtrusisse. Sane concedimus in perfectis quibusdam notionem praesentis inesse, praesertim cum de necessitudine quae perfecta inter ac praesentia graeca intercedit, accuratius nunc possit indicari[3]); sed neque Ionibus hoc proprium tribuimus, neque διανενόημαι Xen. mem. III, 6, 2, ἐντεθύμημαι anab. III, 1, 43; Thuc. I, 120; Plat. Phaedr. 227d omnino eiusdem atque praesentia notionis esse dicimus. Perfectum uero ἧμαι pessime indagauit Heraclides, cum Aristarchus εἵατο ex imperfecto ἥμην repetendum censeret. Neque de coniugatione periphrastica cogitasset, si maiore diligentia usum homericum uoluisset inuestigare. Nonne ipse dixerat apud Eust. 1885, 56 τὸ ἧνται ἕαται ἐν τῷ 'οἳ δὴ νῦν ἕαται σιγῇ' *Γ* 134. Addo praeterea *β* 403 Τηλέμαχ' ἤδη μέν τοι ἐϋκνήμιδες ἑταῖροι εἵατ' ἐπήρετμοι τὴν σὴν ποτιδέγμενοι ὁρμήν' *ψ* 90 'ὁ δ' ἄρα πρὸς κίονα μακρὴν ἧστο κάτω ὁρόων ποτιδέγμενος' *η* 161, *ω* 396. Sed ne Aristarcho quidem con-

---

1) Cf. Wachsmuth in Mus. Rhen. uol. XVIII p. 183 et A. Ludwich in Mus. Rhen. uol. XXXII p. 7.

2) Quam haud multo post (1885, 54 = Os. fr. 65) ad partes uocauit contra Zenodotum, qui dederat *Π* 243, ἐπιστέαται pro ἐπίστηται: ἡ Ἀριστάρχειος ἔκδοσις οὐκ οἶδεν Ὅμηρον τῇδε τῇ διαλέκτῳ χρώμενον.

3) Cf. Curtius, das Verbum, uol. II, 154.

cedam legendum esse ‘*εὗρε δ’ ἐνὶ σπῆϊ γλαφυρῷ Θέτιν ἀμφὶ δέ τ’ ἄλλαι εἵαθ’ ὁμηγερέες ἅλιαι θεαί*’ *Ω* 83; uide enim quae secuntur 88 *ὄρσο Θέτι* et 98 *εὗρον δ’ εὐρύοπα Κρονίδην, περὶ δ’ ἄλλοι ἅπαντες εἵαθ’ ὁμηγερέες μάκαρες θεοί . . . ἣ δ’ ἄρα* (scil. *Θέτις*) *παρ’ Διῒ πατρὶ καθέζετο, εἶξε δ’ Ἀθήνη*; cf. uu. 125, 160: Priami filii *πατέρ’ ἄμφι καθήμενοι ἔνδοθεν αὐλῆς δάκρυσιν εἵματ’ ἔφυρον*. Quid? nonne his omnibus locis poetam tritissimo illi *εἶναι* luculentius *ἧσθαι* praetulisse arbitrabimur? Neque uero cum Aristarcho *υ* 106 suo esse loco contenderim. Mola enim ueterum e duobus composita erat lapidibus, catillo pondere multo grauiore et abaco ex ampliore in modum cunei escendente, altero metae nomine uocato et paulo leuiore, quem seruae inmisso molili mouerent. Atque Homerus, ut ingens Aiacis describeret robur *λίθον εἵλετο*, inquit, *χειρὶ παχείῃ* (scil. *Ἕκτωρ*) *μέλανα τρηχύν τε μέγαν τε*·

δεύτερος αὖτ’ Αἴας πολὺ μείζονα λᾶαν ἀείρας
. . . εἴσω δ’ ἀσπίδ’ ἔαξε βαλὼν μυλοειδέϊ πέτρῳ *H* 264 sqq.

cf. *M* 161: *βαλλόμεναι μυλάκεσσι*. Ergo recte interpretaberis *μύλαι κάθηντο, ἵδρυντο* in solo fixae [1]), quam notionem in uerbo *ἧσθαι* inesse ex his colligas exemplis Herod. IX, 57 *ἱρὸν ἧστο*, VIII, 44 *τὸ ἱρὸν ἵδρυται* (cf. Il. *B* 191 *αὐτός τε κάθησο καὶ ἄλλους ἵδρυε λαούς*); Arist. polit. V, 12 *ἀνδριάντα ἐν τῇ ἀγορᾷ καθήμενον*; Plat. symp. 215a *οἱ Σειληνοὶ ἐν τοῖς ἑρμογλυφείοις καθήμενοι*; Thuc. II, 49 *τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυνθὲν κακόν*.

Ceterum nobiscum fecit Herodianus Il. pros. *O* 10 . . . *μεταλαμβάνει* (scil. *Ἀρίσταρχος*) *τὸ* ‘*εἵαθ’ ὁμηγερέες*’ *Ω* 83 *εἰς τὸ ὑπῆρχον*· *ἔχει δὲ ἐπίστασιν εἰ τοῦ εἰμὶ παθητικοῦ δύναται κατὰ σημαινόμενον ἢ χρῆσιν* ‘*Ἑλληνικὴν* (quorum *τὸ σημαινόμενον* nos ipsi illustrauimus, *τὴν* uero *χρῆσιν* Herodianus Il. pros. *Z* 336 *τὸ ἥμην . . . σπανίως κατὰ τὴν χρῆσιν τῶν Ἑλλήνων*· . . . *ὁ μέντοι ποιητὴς οὐκ ἐχρήσατο A*) *διὸ ἄμεινον δασύνειν καὶ ἐκδέχεσθαι ἐνδιέτριβον καὶ ἐκάθηντο*· *καὶ γὰρ*

1) Idem sensit Buttmann ‘Ausf. Grammat.’ p. 528 n. **.

ἁρμόζον τοῖς ὑποκειμένοις O 10 *κεῖσθαι μὲν Ἕκτορα, περικαθέζεσθαι δὲ αὐτὸν τοὺς ἑταίρους συγκάμνοντας* A. Restat ut moneam diphthongum hoc in perfecto haud magis genuinam esse, quam in *εἶος*, atque grammaticorum siue superiorum librariorum errori tribuendam, qui traditum HEOC, HEATAI *εἶος, εἵαται* transscripsere, ubi poeta primam syllabam produxit.[1]) Atque iam Heraclides *ἥαται* agnouit apud Eust. 1895, 46 *ἥαται διὰ τοῦ ἦτα.*

Melius Aristarcho rem gessisse uidetur Heraclides apud Eust. 1457, 46 (Os. fr. 81) . . . *καὶ Ἀρίσταρχος ἁμαρτάνει,* (*φησίν*), *ἐγκλίνας ἐν Ἰλιάδι* Γ 280 *τὸ ὑμεῖς μάρτυροί ἐστε· οὐ γὰρ ἀνῄρηταί τι μὴ πρότερον ὀξυτονούμενον· εἰ δὲ ἀνῄρηται τὸ ὀξυτονούμενον, ἄτοπος* (*φησί*) *καὶ ἡ ἔγκλισις κ. τ. λ.* Sed qua assolet neglegentia Eustathius pessime turbauit uerba Heraclidae[2]), qui primum de indicatiuo uerborum in *μι*, praecipue uerbi substantiui disseruerat, et *φατέ* et *ἐστέ ἡμαρτημένα* esse propter accentum indagauerat. At caue Heraclidem ea de causa reprehendisse Aristarchi enclisin censeas, quod *ἐστέ* contra analogiam acuto notaretur; etenim '*εἰ καὶ ἡμάρτηται ὀξυτονούμενα ὅμως ἔπαθον τοῦτο*'. Pessime uero interposuit compilator *καὶ Ἀρίσταρχος κ. τ. λ.* Res patet. Indicatiuo examinato transiit Heraclides ad secundam imperatiui cui eandem esse formam atque indicatiui pluralis secundae exceptis *ἔστε* et *φάτε*. At Eustathio melius uisum solita *ἀνακεφαλαιώσει* has formas confundere cf. Herod. cath. pros. 464, 20 edit. Lentz. Iam quaeritur, num Heraclides recte Aristarchi lectionem reprobauerit, quod ut facilius possis diiudicare, infra subieci uersus homericos Γ 276—282.[3]) Ubi multo aptius praemissis

1) Cf. Curtius, Mus. Rhen. N. S. IV p. 242; Verb. I p. 94; Nauck, Bulletin de l'acad. de St. Pétersb. uol. VI p. 17.

2) Cf. Apoll. (synt. III, 27 p. 263) Heraclidae uestigia prementem.

3) *Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων . . .*
ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις,
καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ,
ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε, φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά·
εἰ μέν κεν Μενέλαον Ἀλέξανδρος καταπέφνῃ
αὐτὸς ἔπειθ' Ἑλένην ἐχέτω κ. τ. λ.

uocatiuis addi imperatiuum quam indicatiuum neminem fugiet, qua de re totus cum Herodiano consentio Il. pros. *Γ* 280 *μάρτυροι ἔστε· παροξύνεται τὸ ἔστε ἵνα προστακτικὸν γένηται ὁμοίως τῷ φυλάσσετε· πιθανώτερον γὰρ ἡ τοιαύτη ἀνάγνωσις· πολλὰ γὰρ ἔστι προστακτικὰ καὶ ὡς πρὸς τοὺς θεούς· 'Ζεῦ πάτερ ἀλλὰ σὺ ῥῦσαι ὑπ' ἠέρος υἷας Ἀχαιῶν ποίησον δ' αἴθρην, δὸς δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι' P* 646 *A.*; adicio *H* 76 *'Ζεὺς δ' ἄμμ' ἐπιμάρτυρος ἔστω'*. Memorandum et hic La Rochium cum Bekkero errasse, qui codicis Veneti adnotationem marginalem, *ἄλλοι γρ. μάρτυροί ἔστε* pro Didymi scholio uenditauerunt.

Cum Aristarchus eis quae topicis dialectis propria fuerunt, non tantum tribuendum censeret, ut consuetudine totius Graeciae commendatas atque occupatas in edendis carminibus homericis respueret nominum propriorum scripturas legesque prosodicas, Heraclides ad dialectos potissimum oculos conuertens indeque uocabulorum orthographiam repetens grammaticorum normas primas agere iussit partes. Eustathius enim p. 365, 27 tradidit haec: *'Ηρακλείδης δέ, φασίν, ἄνευ τοῦ ῑ γράφει τοὺς ἀπὸ τοῦ Μαίονος κληθέντας Μήονας λέγων Βοιωτίαν εἶναι τὴν τοιαύτην μεταβολὴν ὡς τῶν Βοιωτῶν τὴν ὅλην αι δίφθογγον εἰς η καταμόνας μεταβαλλόντων, ὥς που καὶ Χοιροβοσκὸς παρασημειοῦται ἐν οἷς ἐξηγεῖται τὸν 'Ηρωδιανόν.* Mutuatus est hunc locum e commentariis Apionis et Herodori innuitque Choerobosci dictat. 403, 10 (Anecd. Bekk. 1215), ita ut Herodianum Heraclidae sententiam protulisse cum Lentzio Herod. II, 550, 18; 352, 10 statuamus.

Sine dubio ea re permotus est Heraclides, ut iota subscriptum reiceret, quod a poeta *Δ* 395 dux Thebanorum uocatur *Μαίων Αἱμονίδης*. Maeones uero socii Troiani non sunt Boeoti sed Lydi *ὑπὸ Τμώλῳ γεγαῶτες B* 866. Nec si essent Boeotorum coloni, contra consuetudinem Graecorum scriberemus *Μήονες*, memores praecepti illius Aristarchei apud Herod. Il. pros. *M* 20 *Κάρησος· Τυραννίων ὀξύνει τὸ Κάρησος ὡς Παρνασσός. οὕτω γὰρ ὑπὸ Κυζικηνῶν ὀνομάζεσθαι τὸν ποταμόν· ὁ δὲ Ἀρίσταρχος βαρύνει ὡς Κάνωβος· εἴπομεν δὲ ἐν*

ἑτέροις ὅτι οὐ πάντως ἐπικρατεῖ ἡ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν χρῆσις καὶ ἐπὶ τὴν Ὁμηρικὴν ἀνάγνωσιν, ὁπότε περὶ τοῦ Γλισᾶντα *B* 504 διελάβομεν, εἴ γε Διονύσιος ἱστορεῖ τοὺς ἐγχωρίους συστέλλειν τὸ ῑ καὶ μὴ περισπᾶν· τό τε Λύκαστος ὁ αὐτὸς ἱστορεῖ ὀξύνεσθαι, ἡμῶν ἀναγιγνωσκόντων βαρυτόνως *B* 647. οὕτως οὖν εἰκὸς καὶ ἐπὶ τοῦ Κάρησος μὴ πεισθῆναι τὸν Ἀρίσταρχον ὁμοίως τοῖς ἐγχωρίοις προενέγκασθαι τὴν λέξιν· τάχα δέ suspicatur Herodianus, ἐπεὶ ἑώρα τὰ εἰς ος λήγοντα ὑπὲρ δύο συλλαβὰς ὀξυνόμενα τῷ η παραληγόμενα ἕτερον ἔχοντα σ, τοῦτο δὲ ἓν ἀναδεξάμενον, διὰ τοῦτο ἐξήλλαξεν αὐτὸ τῆς ἐκείνων τάσεως, εἴγε τὸ Ἁλικαρνησσὸς δισσὸν ἔχει τὸ σ, Λυκαβησσός, Ταρτησσός, τὸ μέντοι Κάρησος ἓν ἔχει τὸ σ· *A.*; cf. praeterea Il. pros. *B* 498, 504 et praecipue *K* 266 emendatum a Lehrsio.[1]) Iota adscriptum inuenimus Hippon. tr. I, 2 Μηονιστί, 16, 1 Μηΐονες, Hesych. Μηονίς Λύδη· καὶ Μηονία·

Sed transeamus ad rem multo grauiorem: Eust. 1064, 4 (1722, 35—47; Os. fr. 51) φησὶν Ἡρακλείδης καθάπερ τελῶ τελίσκω ἰακῶς καὶ θορῶ θορίσκω καὶ μολῶ μολίσκω, ἐξ ὧν τὸ θρώσκω, ἔτι δὲ καὶ τὸ βλώσκω, οὕτω καὶ ἐκ τοῦ νοῶ γίνεται νοΐσκω καὶ κατὰ συναίρεσιν νώσκω· καὶ προθέσει τοῦ γ Αἰολικῶς γνώσκω, ἐπεὶ καὶ τὸ νοῶ γνοῶ φασὶν οἱ Αἰολεῖς· ἔνθεν ἡ στέρησις ἀγνοῶ ⟨καὶ τὸ ἀμφιγνοεῖν καὶ ἡ ξύγγνοια⟩·[2]) λέγει δὲ ὁ αὐτὸς καὶ ὡς οἱ Ἠπειρῶται προτιθέασι καὶ αὐτοὶ τὸ γ ταῖς λέξεσιν τὸν δοῦπον γδοῦπον λέγοντες, ἔνθεν ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης ο 112 καὶ ἀπὸ τοῦ νέφος γνόφος κ. τ. λ. Profecto uim intulit Heraclides uerbo γιγνώσκειν; sed ut intellegas, unde talem formationem indagauerit, inspicias Etym. Mag. 452, 40 (Herod. II, 521, 10 Lentz.), ubi grammatici nostri doctrinam latere primus uidit Usenerus.[3]) Etym. Mag. 452, 40 (An. Ox. I, 203, 30; Eust. 1227, 27; Zon. 1056) θνήσκω· (Didymus iota subscriptum respuit) ἄλλοι δὲ λέγουσιν, ὅτι διὰ τοῦ ισκω γίνεται ἡ παραγωγὴ θνηΐσκω μνηΐσκω ⟨θρωΐσκω⟩· οὐ καλῶς δὲ λέγουσιν κ. τ. λ. Res patet. Ex uerborum θνήσκω

1) Lehrs. de Arist. st. h. p. 273; Herod. script. tr. p. 259.
2) Inserui ex Eust. p. 1722, 43.
3) Cf. Anall. Fleckeiseni uol. XCI p. 246 sqq.

μιμνήσκω θρώσκω orthographia profectus Heraclides uestigia formationis in $\overline{ισκω}$ indagauit, quam uellem iis tantum tribuisset, quibus *κατὰ τὴν παράδοσιν* iota subscribitur genuinum (An. Par. III, 323 *θνήσκοντας . . . ἔχει δὲ τὸ ῑ κατὰ παράδοσιν προσγεγραμμένον·*). Iniuria autem Didymus illud iota uerborum, quae attuli, refellere conatus est e futuro *θνῶ θνήσω* male suspicatus prodire *θνήσκω*; sed multo magis miros nos habet quod Herodianus Didymo assentitur Il. pros. *A* 799 *συγκατατίθεμαι τὸ μὴ δύνασθαι τὰ διὰ τοῦ* $\overline{σκω}$ *ἔχειν πρὸ τέλους δίφθογγον ἐκφωνουμένην ὅτι μὴ τὴν διὰ τοῦ ῡ πιφαύσκω· ὁ δὲ λόγος παραιτεῖται τὴν Αἰολίδα διάλεκτον*[1] *διὰ τὸ μιμναίσκω καὶ τὸ θναίσκω· ὥστε ὅτε λέγει ἴσκω κατὰ διαίρεσιν, ὑγιῶς ἀποφαίνεται, εἴγε παρὰ τὸ εἴδω ἐξέπιπτε μέλλων ὁ εἴσω, ὃς ὤφειλεν ἐπενθέσει τοῦ κ̄ ποιῆσαι τὸ εἴσκω, ὡς μεθύω μεθύσκω δράσω δράσκω . . . A.*

Sed ne nos quidem facile expediemus, qui factum sit ut *θνήσκω, μιμνήσκω, θρώσκω* et fortasse *κικλήσκω* (ita Cod. Venet. *A* Il. *K* 300) per $\overline{ισκω}$, cetera ut *γιγνώσκω βλώσκω*[2] *διδράσκω* alia per solum $\overline{σκω}$ formata sint, nisi cum Curtio[3] de prototypis **μναίω* **θναίω* **θρῴω* cogitaueris. Sed dubito an rectum uiderit Siegismundius[4]), qui Aeolica *μιμναίσκω θναίσκω* e *μι-μαν-ι-σκω θαν-ι-σκω* deriuauit, cum et Usenerus l. l. ex *θρῴσκω* eruerit prototypon *θορϝισκω* collatis *ἔ-θορ-ον θοῦρος* pro *θορϝος* ut *γούνατα* pro *γονϝατα*. Ceterum larga manu Usenerus codicum testimonia de *θνήσκω μιμνήσκω θρῴσκω* adstruxit petita e Veneto *A*, Mediceo Aeschyli, Laurentiano Sophoclis Bodleiano Platonis, ad quae te relegasse satis habui; hoc unum addo, uirum doctum minus recte obiecisse Heraclidae, quod in *γιγνώσκω βλώσκω* aliis iota adscriptum non postulauerit. At si quid uideo, ob eam rem laudandus est. Quid enim? Negabisne *μιμνήσκω θνήσκω θρώσκω* eiusdem esse formationis ac *διδράσκω, γιγνώσκω, βλώσκω*?

1) An. Ox. I, 196, 39 *τὸ . . . θνήσκω καὶ μιμνήσκω ὁ μὲν Δίδυμος ἄνευ τοῦ ἰῶτα· ἡ μέντοι παράδοσις οὐκ ἐπείσθη αὐτῷ, ἐπεὶ οἱ Αἰολεῖς θναίσκω καὶ μναίσκω λέγουσιν.* 2) *Μολίσκω* enim finxit Heraclides.
3) Verb. I, 271; I², 278. 4) In Curtii Stud. V p. 207.

Minime illud iota incohatiuorum characteris esse contendimus.[1]) Modeste igitur ueterem Graecorum usum codicumque auctoritatem plus ualere maluit, quam ingenio indulgere, tradita respiciens et linguae graecae normas e traditis sibi eruendas arbitratus. Neque id silentio praetermiserim, de *θρῴσκω, θρωσμός*[2]) (Eust. 1227, 27; 326, 10; Etym. Mag. 456, 47) praeter Heraclidem et Apollonium Archibii filium idem sensisse teste epitomatore An. Ox. I, 203, 18 *καὶ τὸ θρῳσμὸς σὺν τῷ ῑ ὥσπερ καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ἀρχιβίου*; sed soli debemus Heraclidae Epirotas non *γιγνώσκω* sed simpliciore *γνώσκω* usos esse, quod cum Latinorum gnōsco optime congruit.

Iam difficillimam subire cogimur quaestionem de uerborum barytonorum praesentia tertia $\overline{ησι}$ $\overline{ῃσι}$. Etenim Heraclides apud Eust. 1576, 55 *τὰ τρίτα*, inquit, *τῶν ὁριστικῶν περισπωμένων τῆς ᾱ συζυγίας καὶ τῶν βαρυτόνων δὲ ῥημάτων κατὰ τὸ ἑνικὸν εἰς τὴν $\overline{σι}$ συλλαβὴν περατοῦται τοῦ η παραλήγοντος* in Rheginorum dialecto. *τὸ γὰρ φιλεῖ καὶ λέγει φίλησι φασὶ καὶ λέγησι καὶ φέρησι· τοιοῦτον δὲ καὶ τὸ 'λαμπρὸν παμφαίνησι' Ε 6 παρ' Ὁμήρῳ ἅπαξ* (*φησὶ*) *χρησαμένῳ τῇ διαλέκτῳ ἐπὶ τούτου.* [*καλεῖται καὶ τὸ σχῆμα Ἰβύκειον ὑπὸ τῶν γραμματικῶν διὰ τὸν μελοποιὸν Ἴβυκον φιληδήσαντα τοιαύτῃ γλώσσῃ κ. τ. λ.*]; cf. Os. fr. 69. Eadem exstant in Etym. Mag. 650, 7 mire tamen confusa cum Herodianeis (II, 563, 16 Lentz.) *παμφαίνῃσι ἔχῃσι·* secuntur uerba Herodiani . . . *ἢ ἔστι παμφαίνω· διαλέκτῳ δὲ Ῥηγίνων γράφεται τὸ γ' πρόσωπον διὰ τοῦ η* [*μετὰ τοῦ ῑ*] *τὸ γὰρ νοεῖ καὶ φιλεῖ ⟨νόησι καὶ φίλησι⟩ λέγουσιν ἐκεῖνοι πλεονασμῷ τῆς $\overline{σι}$ συλλαβῆς· οὕτω καὶ τὸ παμφαίν⟨η⟩σι Ἰλιάδος Ε 6* (codd. *νόησι φίλησι παμφαίνησι*).[3])

Atque Aristarchus uerborum barytonorum formas in *ησι*

---

1) Cf. Curt. uerb. I, 272.

2) Apoll. Rhod. *Β* 823 optimus codex Laurent., qui ubique iota adscr. accurate addit, exhibet *θρωισμούς*.

3) Male Osannus in adnot. ad fr. 69 = Eust. 1576, 55 de eisdem formis cogitasse Herodianum Il. pros. *Α* 129 opinatus est librarii deceptus errore; agitur enim *Α* 129 de coniunctiuo *φέρῃ φέρῃσι*, ut recte edidit Lehrsius.

iota adscripto adiudicauit coniunctiuo: Aristonic. *E* 6 *ἡ διπλῆ ὅτι παμφαίνῃσι ἀντὶ τοῦ παμφαίνῃ· πλεονάζει δὲ Ἴβυκος τῷ τοιούτῳ Α.* *Ἰβύκειον* autem *σχῆμα ... ἀντίστροφόν ἐστι τῷ Κορινθίῳ, ὑποτακτικῷ χρώμενον ἀντὶ τοῦ ὁριστικοῦ.*[1] Neque alia ratione Aristarchus *δάμνῃσι* *E* 746 *λάζετο δ' ἔγχος* (Athene) *τῷ δάμνῃσι στίχας ἀνδρῶν* (= *Θ* 390, *α* 100) genuinum arbitratus est teste Didymo *E* 746 (Et. M. 247, 11) *ὁ Σιδώνιος ἄνευ τοῦ ῑ τὸ δάμνησι, ὁ δὲ Ἀρίσταρχος τῷ ῑ*, uix recte; nam poeta *ε* 47 *εἵλετο* Hermes *δὲ ῥάβδον, τῇτ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει* et Pindarus Ol. IX, 34 *οὐδ' Ἀΐδας ἀκινήταν ἔχει ῥάβδον, βρότεα σώμαθ' ᾇ κατάγει κοιλὰν πρὸς ἀγυῖαν θνασκόντων*: est igitur tertia uerbi *δάμνημι* *E* 893 '*τὴν μὲν ἐγὼ σπουδῇ δάμνημ' ἐπέεσσιν*'.

Ut ad Heraclidem reuertar, grammatici de his indicatiuis in *ησι* exeuntibus testimonium misere inquinauit Eustathius schemate Ibyceo, quod ab Heraclidae sententia [2]) omnino alienum est, qui non coniunctiuum pro indicatiuo sed ipsum indicatiuum his in formis agnouit. Atque nostrae aetatis potissimum uiri docti adstipulati sunt Heraclidae, quorum Corssenus ex historia linguae graecae, alter Naegelsbachius, cui obtemperat Baeumlinus, e quaestionibus syntacticis profectus indicatiuos uerborum barytonorum in *ησι* apud Homerum defendere studuerunt. Cum uero G. Curtius Corssenum refutauerit [3]), accuratius Naegelsbachii [4]) sententiam examinasse satis habeo.

Atque primum monendum est, hos indicatiuos ad unum omnes apud Homerum in enuntiatis aut a relatiuo aut ab *ὁ δέ*, *ὁ δέ τε* exordientibus atque ad comparationem pertinentibus inueniri. Relatiuorum autem enuntiatorum naturam cum attendisset, hanc ille normam indagauit, Homero in relatiua constructione si quid necessario constanterque subiecto tribueretur eique quasi natura inhaereret, probari indicatiuum, coniuncti-

1) Cf. Lesbon. de schemat. p. 166 § 179 ed. Valck.

2) Cf. Schneidewin, Ibyc. reliqq. 3) Verb. I, 203 collata p. 58.

4) Excurs. IX ad Hom. Iliad.; assentitur Baeumlinus in praef. Iliad. p. XL. De Hesiod. Erg. 712 *ἐθέλῃσι* (Koechlyus -*ησι*) cf. Rzach in Fleckeis. ann. phil. uol. supplet. VIII p. 438.

uum, ubi adderentur natura cum subiecto non coniuncta et fortuito libereque adiecta. Sane concedimus, nobis quoque in uniuersum probari hanc sententiam: *P* 133 ἑστήκει ὥς τίς τε λέων . . . ᾧ ῥά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσωνται . . . ἄνδρες et *ν* 93 εὖτ' ἀστὴρ ὑπερέσχε φαάντατος, ὅστε μάλιστα Ἔρχεται ἀγγέλλων φάος Ἠοῦς ἠριγενείης. Fallitur tamen uir doctus, quod hac norma enuntiatorum apud Homerum relatiuorum constructionem ab omni parte illustrasse et ad liquidum perduxisse sibi uidetur, enuntiata comparationi adnexa nihil moratus. Velim igitur conferas haec:

N 62 Αὐτὸς δ' ὥστ' ἴρηξ ὠκύπτερος ὦρτο πέτεσθαι,
ὅς ῥά τ' ἀπ' αἰγίλιπος πέτρης περιμήκεος ἀρθεὶς
ὁρμήσῃ πεδίοιο

et *ε* 51 Σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς,
ὅστε κατὰ δεινοὺς κόλπους ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
ἰχθῦς ἀγρώσσων πυκινὰ πτερὰ δεύεται ἅλμῃ·

Nonne eadem necessitudo inter subiectum et relatiuum enuntiatum priora et posteriora intercedit? Minime tamen dicemus his Naegelsbachii sententiam firmari. Idem ualet in

M 299 Βῆ ῥ' ἴμεν, ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅστ' ἐπιδευής
δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ

et *χ* 401 Εὗρεν Ὀδυσσῆα . . . αἵματι . . . πεπαλαγμένον ὥστε λέοντα,
ὅς ῥά τε βεβρωκὼς βοὸς ἔρχεται ἀγραύλοιο.

Iam compara

M 421 Ἀλλ' ὥστ' ἀμφ' οὔροισι δύ' ἀνέρε δηριάασθον
. . . ὥ τ' ὀλίγῳ ἐνὶ χώρῳ ἐρίζητον περὶ ἴσης

et *Π* 756 . . . Λέονθ' ὣς δηρινθήτην
ὥτ' ὄρεος κορυφῇσι περὶ κταμένης ἐλάφοιο . . . μάχεσθον;

O 579 . . . ἐπόρουσε κύων ὥς, ὅστ' ἐπὶ νεβρῷ
βλημένῳ ἀΐξῃ

et *O* 586 ἔτρεσε θηρὶ . . . ἐοικὼς
ὅστε κύνα κτείνας . . . φεύγει; *P* 725 et *Ω* 80 alia.

Taedet plura aduersis frontibus componere. In relatiuis igitur enuntiatis ad comparationem pertinentibus (nam haec sola nunc

curamus) interdum poeta indicatiuum usurpauit haud addita re cum subiecto coniuncta necessario, sed institutae comparationis fines libere transgressus non rem fieri solitam, sed hoc ipso momento fieri fictam uoluit sensui nostro subministrare [1]), cetera nihil curans: cf. *χ* 302

οἳ δ' ὥστ' αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι
. . . ἐπ' ὀρνίθεσσι θόρωσι,
ταὶ μέν τ' ἐν πεδίῳ νέφεα πτώσσουσαι ἵενται,
οἳ δέ τε τὰς ὀλέκουσιν ἐπάλμενοι οὐδέ τις ἀλκὴ
γίγνεται οὐδὲ φυγή· χαίρουσι δέ τ' ἀνέρες ἄγρῃ, ὥς κ. τ. λ.

Contra res subiecto necessario tribuendae haud raro in enuntiatis relatiuis per coniunctiuum adiciuntur, a poeta certum tempus respiciente aut certas condiciones quibus res describenda cum subiecti natura arte coniuncta ostendatur: *E* 6, de quo uersu mox exponemus, et *O* 410

Ἀλλ' ὥστε στάθμη δόρυ νήϊον ἐξιθύνει
τέκτονος ἐν παλάμῃσι δαήμονος, ὅς ῥά τε πάσης
εὖ εἰδῇ σοφίης. Negabitne Naegelsbachius hic rem cum subiecto artius dici coniunctam? Quis enim nouit *τέκτονα δαήμονα*, qui non bene calleat? Minime tamen coniunctiuum reprobabimus. Iam singulos adeamus uersus, in quibus indicatiuum in *ησι* exeuntem agnouere Naegelsbachius et Baeumlinus. Atque *E* 4 leguntur haec: *Δαῖέ οἱ . . . πῦρ*

Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο.

Sane eandem innuit poeta stellam, quam dicit *X* 25

---

1) Iuuat hic uerba Autenriethii apponere uers. *ϑ* 523 illustrantis (Ameis, Anh. zu Hom. Od. ed. C. Hentze 1872 p. 44 Heft II): Interessant ist es, dass durch das längere Verweilen bei dieser nur gedachten Scene dieselbe im weitern Verlauf für den Griechen solche Lebendigkeit gewinnt, dass das Bild gleichsam wirkliches Leben wird (526), daher nachher besonders in dem Hauptmoment desselben der Modus der Bestimmtheit 527 *κωκύει*, 529 *ἀνάγουσι* hervortritt. Es ist für das Gemüth des Hörers wohl ansprechend, dass nicht die anfängliche Reflexion das Feld behauptet, sondern der kalte Verstand dasselbe dem theilnehmenden Gemüthe räumen muss; cf. Lessing, Laoc. XVI.

Τὸν δ' ὁ γέρων . . . ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν
παμφαίνονθ' ὥστ' ἀστέρ', ἐπεσσύμενον πεδίοιο,
ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ·
ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν.

At uel ipsa poetae uerba *λελουμένος Ὠκεανοῖο* uellem monuissent Naegelsbachium, ne eandem esse diceret loci huius naturam atque *μ* 289

Ἢ νότου ἢ Ζεφύροιο δυσαέος οἵ τε μάλιστα
νῆα διαρραίουσι θεῶν ἀέκητι ἀνάκτων aut *ν* 93, *α* 283, *ξ* 284.

Nam in uersibus quos nominaui proximos, inprimis *μ* 289 solam subiecti naturam indolemque insitam respiciens poeta descripsit, unde subiectum ipsum accuratius cognosceremus (*θεῶν ἀέκητι ἀνάκτων*), priore uero loco *E* 6 hypothetica uel temporali ratione usus id addidit, quod certo tantum tempore certaue condicione ortum in subiecto inesse dicemus. Quapropter interpretaberis: *ἀστέρι ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον ὅταν λελουμένος Ὠκεανοῖο μάλιστα παμφαίνῃσι* (ut *P* 755 *ὥστε ψαρῶν νέφος ἔρχεται . . . οὖλον κεκληγῶτες ὅτε προΐδωσιν ἰόντα κίρκον*) 'dem Sterne des Herbstes vergleichbar, wenn er, dem Bade des Oceanos entstiegen, im hellsten Glanze erstrahlt': cf. *O* 416, *P* 725 *ἴθυσαν δὲ κύνεσσιν ἐοικότες οἵτ' ἐπὶ κάπρῳ βλημένῳ ἀΐξωσι πρὸ κούρων θηρητήρων.*

Neque *X* 23 cum uiris doctis agnosco indicatiuum

Σευάμενος ὥσθ' ἵππος ἀεθλοφόρος σὺν ὄχεσφιν,
ὅς ῥά τε ῥεῖα θέῃσι τιταινόμενος πεδίοιο, cum ipsi coniunctiuum ediderint *Ψ* 517

Ὅσσον δὲ τροχοῦ ἵππος ἀφίσταται, ὅς ῥά τ' ἄνακτα
ἕλκῃσιν πεδίοιο τιταινόμενος σὺν ὄχεσφιν; cf. *Π* 386.

Paullo difficilius expeditio *K* 360

ὡς δ' ὅτε . . . δύω κύνε . . . λαγωὸν ἐπείγετον . . .
χῶρον ἀν' ὑλήενθ', ὁ δέ τε προθέῃσι μεμηκώς κ. τ. λ., ubi editorum plerique *ἐπείγετον* pro coniunctiuo uenditant. Verum uidit Curtius, qui *ὁ δέ τε*, quod in Aristarchea editione legi testatur Didymus ⟨*ὑλήεντα,*⟩ *ὁ δὲ*, egregie mutauit in *ὅτε*, Verb. II p. 73.

K 362 *Χῶρον ἀν' ὑλήενθα, ὅ τε προθέῃσι μεμηκώς·* collatis *N* 62, quem p. 135 attuli et *ρ* 518:

ὡς δ' ὅτ' ἀοιδὸν ἀνὴρ ποτιδέρκεται, ὅς τε θεῶν ἐξ
ἀείδῃ δεδαὼς ἔπε' ἱμερόεντα βροτοῖσι. Ut Curtio adstipulemur eo magis compellimur, quod apud Homerum enuntiata ab *ὁ δέ τε* exordientia constanter nouam atque directam ineunt constructionem: uidesis *Λ* 419. *Π* 389, 633. *P* 133, 742. *Σ* 318. *X* 93.

Sed ut nos uel inuitissimos coarguant indicatiuis in ῃσι homericis, relegamur ad *τ* 107 sqq.:

ὦ γύναι, alloquitur Ulixes Penelopam,
σεῦ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει
109 *ὥστε τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδής*
ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισι ἀνάσσων
εὐδικίας ἀνέχῃσι, φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
112 *πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ,*
τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς
ἐξ εὐηγεσίης, ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτῷ
115 *τῷ ἐμὲ νῦν τὰ μὲν ἄλλα μετάλλα σῷ ἐνὶ οἴκῳ*
μηδ' ἐμὸν ἐξερέεινε γένος καὶ πατρίδα γαῖαν κ. τ. λ.

ubi Naegelsbachius contra codices omnes iota subscriptum omisit *ἀνέχησι, φέρησι, βρίθησι.* At uero omnes editores coniunctiuos edidissent *ἀνέχῃσι, φέρῃσι, βρίθῃσι* si deessent uersus 114, 115 haud aliter atque *O* 410. Tenendum uero est ipsum Platonem rep. II, 363 B. coniunctiuos habuisse non solum *ἀνέχῃσι, φέρῃσι, βρίθῃσι,* sed et *τίκτῃ, παρέχῃ* uers. 113. Neque est quod propter particulam *δέ* uers. 111 nouam directamque requiras constructionem: conferas Od. *ι* 5

Οὐ γὰρ ἐγώ γέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι
ἢ ὅτ' εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κάτα δῆμον ἅπαντα
δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ
. . . . . παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι . . . . . .
οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι.

Neque uero propter *τίκτει παρέχει* (si quidem recte indicatiui eduntur) etiam *ἀνέχῃσι, φέρῃσι, βρίθῃσι* inter indicatiuos rettulerim: cf. *Π* 384

ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν
ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ, 386
οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας
ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες·
τῶν δέ τε πάντες μὲν ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες
πολλὰς δὲ κλιτῦς τότ' ἀποτμήγουσι χαράδραι 390
ἐς δ' ἅλα πορφυρέην μεγάλα στενάχουσι ῥέουσαι
ἐξ ὀρέων ἐπὶ κάρ, μινύθει δέ τε ἔργ' ἀνθρώπων
ὣς ἵπποι Τρώων μεγάλα στενάχοντο θέουσαι. 393

Hoc unum interest, quod inde ab ὁ δέ τε (uers. 389 *Π*) constanter, saepe ab ὁ δὲ, ὅτε nouam constructionem instituit poeta. Minime igitur impedimur quominus τ 111 sqq. ἀνέχῃσι, φέρῃσι, βρίθῃσι coniunctiuos esse dicamus cum Platone, Aristarcho, omnibus codicibus. Sed ut concedamus Baeumlino, genuinos esse eo quem tractamus loco indicatiuos (nam huiusmodi formas indicatiui a scriptoribus graecis recentioris aetatis prolatas esse constat) quid aliud lucramur nisi nouum argumentum quo uerss. τ 109 sqq. uati posthomerico tribuendi sunt: quo referamus particulam ἤ 109 non habemus; nec enim ἦ Bekkeri arridet; adiectiuum θεουδής ceteris locis non nisi cum νόος, θυμός coniungitur; εὐδικίη uero (uox Graecorum scriptorum nulli probata) et εὐηγεσίη hoc tantum loco apud Homerum inueniuntur. Prorsus nouum εὐδικίας ἀνέχειν (Aristarchus: ἄνω ἔχειν) iustitiam exercere; nusquam nisi hic παρέχειν primam produxit syllabam, misere claudicat ἐξ εὐηγεσίης. Varie uoces εὐηγεσίη et ἔμπεδα interpretes uexauerunt. Neque ἀρετᾶν homericum esse dixeris, quo semel usus est poeta in prouerbio θ 329; alii alias dubitationes hisce de uersibus protulerunt.[1])

Cui praeter Heraclidem de indicatiuis in $\overline{\text{ησι}}$ constiterit, inter ueteres grammaticos reperio ne unum quidem; nostrae

1) Friedlaender, Anall. homm. p. 8 = Annal. philol. III p. 462; Nitzsch, Sagenpoesie p. 339; Volckmannus, comment. epic. p. 110 sqq.; Düntzer, die Hom. Frage p. 223.

quoque aetatis doctissimi quique uiri stabant a grammaticis coniunctiui amantibus donec Valckenaerius Adoniaz. p. 254 lucem attulit.

Neque tamen ulli aetatis nostrae grammatico contigit, ut probabilem proponeret rationem, qua tales formas possent Graeci procudere, cum Schneidewini sententia, quam postea Corssenus aliis uerbis repetiuit, ab Ahrensio et Curtio refutata esse uideatur. Rheginorum autem dialecto tribuuntur ab Heraclide haud alia de causa quam quod Ibycum Rheginum iis usum esse uidit. Qua propter *ἀέκων ἑκόντι γε θυμῷ* eo reuertor quod iam Ahrensius dial. dor. p. 303 suspicatus est, tenendumque censeo has formas a poetis locos nonnullos Homeri male interpretatis per imitationem procusas esse. Pro certo enim possumus affirmare Ibycum neque sua dialecto hisce in formis a Doride alienis usum esse, et ex epicorum potissimum carminibus, quae ipse caneret, repetiuisse. Ab hoc loco non alienum uidetur Ibyci reliquías quasdam proferre: Herod. *μονηρ. λεξ.* 36, 2 *πάθος, τάφος* (neutra in *ος παραληγόμενα ᾱ συνεσταλμένῳ*)· *ὅπερ καὶ ἀρσενικόν ἐστι Ω* 804

ὣς οἵγ' ἀμφίεπον τάφον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο

καὶ θηλυκὸν ἐπὶ τῆς νήσου· ὁπότε δὲ ἐπὶ τῆς ἐκπλήξεως παραλαμβάνεται, γένος ἐπιδέχεται τὸ οὐδέτερον

ἡ δ' ἄνεω δὴν ἧστο, τάφος δέ οἱ ἦτορ ἵκανεν ψ 93.

ἀλλ' ἴσως τοῦτο ἀμφίβολον· ὁ μέντοι Ἴβυκος διέστειλε τὸ γένος ἐν τῷ πρώτῳ, σχεδὸν τὸν Ὁμηρικὸν μεταλαβών· φησὶ γὰρ

Δαρὸν χρόνον ἧστο τάφει πεπηγώς·

οὕτω γὰρ ἔκλινεν ὡς βέλει·

Herod. *μον. λεξ.* 32, 20 *οὐδὲν εἰς ωρ οὐδέτερον ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ἔχει συμπλοκὴν δύο συμφώνων πρὸ τοῦ ω ... νίκωρ ... ὕδωρ ἔλδωρ· οὐ γὰρ συμπλοκὴ ἐνθάδε, ἀλλὰ διάστασις· ὁ δὲ Ἴβυκος ἔσθ' ὅτε καὶ θηλυκῶς προφέρεται*

οὔτι κατὰ σφετέραν ἐέλδω·

καὶ ἐσθλὰν ποτιδεγμένων ἐέλδω·

Herod. *μον. λεξ.* 38, 13 ... *πεπλάνηται οὖν Ἴβυκος εἰπὼν Λιβυαφιγενής.*

Atque relinquendos uel carminibus Homericis illius formationis indicatiuos recentiori aetati necesse est attribuas. Dubitauit autem Bekkerus an huc referendi sint α 349, ζ 189 collatis Δ 37, ν 45, τ 67 (ἐθέλῃσι — ἐθέλει) recentiore aeuo uerba quaedam barytona ad coniugationem in μι pristinam rediisse suspicatus [1]), quamquam concessit apud Homerum tales formas nonnisi in enuntiatis relatiuis ad coniunctiuum quam ad indicatiuum pronioribus reperiri [2]), non uero ut in Bionis epit. Adon. 84

χῶ μὲν ἔλυσε πέδιλον Ἀδώνιδος, ὃς δὲ λέβητι
χρυσείῳ φορέῃσιν ὕδωρ, ὁ δὲ μηρία λούει.

Quos ex hymnis homericis enotauit in ησι indicatiuos Ahrensius l. l., in censum uenire non possunt. Nam hymn. XXXI, 15 lacuna prohibemur quominus certi quid statuamus; altero uero loco, XXXII, 4 codices haec exhibent:

Αἴγλης λαμπούσης, στίλβει δ' ἀλάμπετος ἀήρ

cod. Laurent. fortasse: στίλβει δέ τ' ἀλάμπετος.

Vix est quod moneam, η 196 ἔνθα δ' ἔπειτα

πείσεται ἅσσα οἱ αἶσα κατὰ κλῶθές τε βαρεῖαι
γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ

illud Heraclidae commemoratum κατακλώθῃσι βαρεῖα a uano quodam critico, qui uers. 198 omittere debebat, intrusum esse ex Ψ 128 (Ω 210)

ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται ἅσσα οἱ αἶσα
γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Ex iis quae prima huius commentationis parte disputaui, hoc magis apparuisse arbitror, fragmenta Heraclidae, quae in interpretandis constituendisue uersuum homericorum lectionibus uersantur, ad unum omnia e grammaticis desumpta esse scriptis et leuissimis nisum argumentis de recensione carminum Homeri ab Heraclide instituta cogitasse Osannum. Atque si commeminerimus ad recensenda Homeri carmina aditurum fuisse facile neminem, quin assiduo studio materiam totam

1) 'Hom. Blätter' p. 219. 2) Ibidem p. 66.

pertractasset, res mythicas historicas geographicas explorasset, usum homericum indagasset, certas quibus niteretur rationes constituisset, ne ab hac quidem parte ut sententiam fulciret, contigit Osanno. Nec tamen nostram sententiam relinquimus, qui studia Heraclidae grammatica ex homericis carminibus profecta et aucta eodemque e latioribus, in quos oculos conuertere solitus sit, finibus usque redire statuerimus.

Quod certamen grammaticorum de linguae graecae analogia et anomalia Aristarchus et Crates inierant, susceptum non sine liuore utriusque discipuli acerrima simultate et contentione persequebantur. Atque Aristarchus inductiuam quam dicimus rationem et disciplinam secutus, et quo erat ueri falsique sensu natiuo modestissimum sese praebebat grammaticum, neque usui communique Graecorum consuetudini locum denegabat, id quod Lehrsius e fragmentis Aristarcheae doctrinae egregie indagauit et Varro illustrauit L. L. VIII p. 126 'Aristarchus cum de aequabilitate scribit et de uerborum similitudine, quorundam declinationes sequi iubet quoad patiatur consuetudo'. At Crates 'Chrysippo, homine acutissimo, fretus' philosophus ad studia grammatica incubuit et rationis empiricae reprobatae loco logicam reposuit id monens discipulos, ne formas consuetudinis Protei modo uultus mutantis mallent curare quam categorias logicas in ipso sermone conditas. Et profecto quot irretiebantur laqueis grammatici ueteres? Fere unius tantum linguae cognitione instructi eiusque et patriae, et uarietate dialectorum abundantis formationes modo diuersas saepenumero ad eadem atque aliarum elementa reduxerunt, modo similes cum alienis contulerunt. Quid igitur mirum, quod Cratetem Mallotam 'sex libris *περὶ τῆς ἀνωμαλίας* contra analogiam atque Aristarchum' contendisse penitusque sublata analogia omnem potestatem consuetudini usuique Graecorum communi concessisse tradidit Varro? Nos uero, quibus et ueterum grammaticorum commenta et inde a temporibus renatarum litterarum tot argutissimorum uirorum quaestiones et sententias retractare liceat, adiuti praeterea cognitione tot linguarum et cognatarum et diuersarum, haud facile intellegimus, quemadmodum ueteres in ista re tam amplam certandi materiam in-

uenerint. Cum enim non ea sit disciplina grammatica (utor uero I. Classeni uerbis) quae multa habeat soli ingenio indaganda, sed cuius summa laus cernatur in diligenti obseruatione componendisque iis rebus, quae in linguae usu inueniuntur, ipsa rerum natura certis comprehendit legibus, quantum relinquatur ad analogiae normam inuestigandum quantumue anomaliae tribuamus liberaeque loquendi consuetudini. Verum utcunque de hac contentione iudicamus, Cratetis ratio Stoicorumque in grammaticis auctoritas ualidiori cedebat scholae Aristarchi. Neque tamen negandum est, analogeticos quibus erant impedimentis obstructi erroribusque obnoxii, extortis falsis analogiis in linguam ipsam exstitisse dominos nugisque scholasticis uera obruentes uim exercuisse. Etenim nihil non ad fixas et quibus omnia parerent normas reuocabant, illud obliti, ad certas quidem leges animo humano sermonem esse procreatum, libertati tamen insitae pulchraeque uarietatis discriminumque studio hic quoque haud raro cedendum esse atque multa sibi eripi usum non passurum. Cuius rei luculentum apponam exemplum: Herod. Il. pros. *N* 103 *θώων· Ἀρίσταρχος βαρύνει τὸ θώων καὶ ἐπείσθη ἡ παράδοσις· ὁ δὲ Πάμφιλος περισπᾷ ἐπεὶ τὰ εἰς ες λήγοντα δισύλλαβα ὀνόματα ἐπ' εὐθείας πληθυντικῆς ἔχει γενικὴν περισπωμένην· διὸ καὶ τὸ Τρώων καὶ δμώων καὶ παίδων ἀνεγίνωσκε περισπῶν, ἔτι δὲ καὶ τὸ πάντων καὶ λάων καὶ τίνων, περὶ ὧν λόγον ἔδωκαν καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν καὶ ἡμεῖς Α*; cf. *B* 262. Sane modestiores, id quod ipsum magistrum concessisse modo diximus, anomaliae defensoribus id largiti sunt, ut non ubique analogiae insisterent ipsamque analogiam relatiuae quam dicimus naturae usuque restrictam asseuerarent; sed grammaticorum de his rebus consensus non euasit. Nam ex quo Dionysius Thrax artem grammaticam uocauerat *ἐμπειρίαν* [1]), in hanc uocem inquirentes alii (*ἐμπειρικοί*) grammaticen *ἄλογον ἐμπειρίαν*, alii (*τεχνικοί*) *τέχνην* dixisse Dionysium arbitrati mutatis nominibus

1) Cf. Dionys. Thr. grammat. ed. Bekk. (An. Bekk.) p. 629; Sext. Emp. adu. Math. I, 3 § 57.

eandem litem continuabant [1]); etenim qui *τέχνην* esse uoluerunt (quae formam loquendi ad certam redigit artem), analogiam debebant agnoscere, cum *ἐμπειρικοί* nihil antiquius haberent, quam ut analogiam technicorum refellerent.[2]) Atque inter technicos una cum Apollonio et Herodiano referendus est Heraclides Milesius, quippe qui non *ἐκ τριβῆς παρειληφὼς τὰ σχήματα τῶν λέξεων* sed *ἐκ δυνάμεως τῶν κατὰ παράδοσιν Ἑλλήνων καὶ τῆς συμπαρεπομένης ἐν αὐτοῖς ἀναλογίας* (Apoll. de synt. I, 10) uocabulorum proprietates legesque prosodiacas certis ut adstringeret normis, quibus totius linguae Graecae usus pateret, summopere elaborabat; quare non dubitamus, Heraclidem inducere loquentem, quae scholiasta Dionysii Thracis (An. Bekk. II, 741) comprehendit: *ἐπὶ πάντων οὖν τῶν ὀνομάτων καὶ τῶν ῥημάτων καὶ τῶν ⟨ἄλλων⟩ μερῶν τοῦ λόγου ἀκριβῶς ζητοῦντες καὶ τὰ ὅμοια τοῖς ὁμοίοις παρατιθέμενοι τοὺς κανόνας ἀσφαλῶς ἀποφαινόμεθα.* Nam analogia nihil aliud est nisi *λόγος ἀποδεικτικὸς καθ' ὁμοίου παράθεσιν τῆς ἐν ἑκάστῳ μέρει λόγου φωνῆς ἀκολουθίας, τὸν λόγον συλλέγουσα καὶ ἰδίῳ κανόνι ἀπονέμουσα* (Anecd. Bekk. II, 730).[3]) Haud uero illorum grammaticorum qui ut Pamphilus, usu et communi Graecorum consuetudine posthabita, ubique canonum potestatem solam ualere uoluerunt, pedisequus fuit Heraclides, ut qui inuestigato, ubi contra analogiam accentum, ut certo

1) Sext. Emp. adu. Math. I, 3 § 72 *Ἀσκληπιάδης μέμφεται τὸν Θρᾷκα Διονύσιον ἐμπειρίαν λέγοντα τὴν γραμματικήν*, quam ipse § 74 *τέχνην* appellat. — Ibidem § 60 *ἐγκαλεῖ δὲ αὐτῷ* (scil. *Διονυσίῳ*) *Πτολεμαῖος Περιπατητικός, ὅτι οὐκ ἐχρῆν ἐμπειρίαν εἰρηκέναι τὴν γραμματικήν· αὕτη μὲν γὰρ ἐμπειρία τριβή τίς ἐστι καὶ ἐργάτις τε καὶ ἄλογος· ἡ δὲ γραμματικὴ τέχνη καθέστηκεν·* cf. Theod. Alex. p. 30 Göttling *Τινὲς λέγουσιν ὅτι καταχρηστικῶς ἐκάλεσεν* (*Διονύσιος*) *ἐμπειρίαν* (*τὴν γραμματικὴν*) *ἀντὶ τοῦ γνῶσιν· ἄλλοι δέ φασιν ὅτι, ἐπειδὴ ὁ σκοπὸς αὐτοῦ πρὸς εἰσαγομένους ἦν* (*δεῖ δὲ τὰς εἰσαγωγὰς ἀπέχεσθαι τῶν δυσχερῶν*) *εἰδὼς ὅτι καὶ ἐμπειρία πολλαχῶς λέγεται παρὰ τοῖς ἀρχαίοις· ἔστι γὰρ ἡ ἄλογος τριβή· ἔστι δὲ καὶ ἡ λογικὴ γνῶσις.*

2) Cf. Sext. Emp. I, 10 § 179 *εἰ οἱ γραμματικοὶ ὑπισχνοῦνται τέχνην τινὰ τὴν καλουμένην ἀναλογίαν παραδώσειν ... ὑποδεικτέον ὅτι ἀσύστατός ἐστιν ἡ τοιαύτη τέχνη* id quod amplissima dissertatione conatus est ostendere.

3) Cf. Theodos. ed. Göttl. p. 204.

defungar exemplo, excudisset Aristarchus (et paradosis grammaticorum principis uestigia fere premens) plerumque modeste abstinuit, quominus audacius mutaret. Maluit enim repertae normae addere *ἡμαρτημένα*, siue, ut Herodianeo uerbo utar, *σημειώδη, σημειωτέα, παραιτητέα.*[1]) Atque duplici sensu Heraclides hoc uerbum *ἁμαρτάνειν* usurpauit; et sensu quidem uulgari peccandi, male rem gerendi, ubi certam innuit personam cogitatque de uitio corrigendo, cuius rei exempla uide haec: *Ἀρίσταρχος (φησὶ) ἁμαρτάνει ἐγκλίνας τὸ ἐν Ἰλιάδι 'ὑμεῖς μάρτυροί ἐστε' Γ* 280, quod supra fusius illustraui[2]); Heracl. apud Eust. 1907, 42 *ὅτι τὸ 'ποῖοι κ' εἶτε' φ* 195 *γραψάντων τινῶν 'ποῖοι κ' εἰτέ' ἀντὶ τοῦ 'ἐστέ' ... Ἡρακλείδης τοὺς οὕτως ἀναγινώσκοντας ἁμαρτάνειν φησίν, καθότι ὁριστικὸν ῥῆμα τῷ κε συνδέσμῳ ὑπάγουσιν*; 1907, 48 *ἐλέγχων (Ἡρακλείδης) κακῶς νοῆσαι τοὺς εἰπόντας προστακτικὸν εἶναι τὸ 'βλεῖο' N* 288. Sed plerumque huic uerbo subiecit notionem peccandi contra analogiam normarum, quas in similibus aliis uocabulis secuta erat consuetudo linguae graecae, ubi uox quaedam contra analogiam ceterarum similiter formatarum singulari, ut eodem exemplo fungar, accentu notata inueniebatur. Caue tamen arbitreris Heraclidem alium praecepisse accentum. Vide enim haec: Eust. 1457, 44 *ἡμάρτηται καθ' Ἡρακλείδην τὸ ἐστέ· ὡς γὰρ οὐ λέγομεν δείκνυστε ἢ φαστέ, οὕτως οὐδὲ ἐτὲ ἐστέ· ἔτι δὲ καθότι ὀξύνεται· οὐδὲν γὰρ τῶν εἰς τε ληγόντων ὀξυτονεῖται ἡμαρτημένου τοῦ φατέ.* Contra analogiam igitur ς additum et accentu acuto ultimam notatam esse iudicauit. Quis uero sibi persuadebit, Heraclidem ἔτε scripsisse? quin ipse addit *εἰ καὶ ἡμάρτηται τὸ ἐσμέν, ἐστέ, εἰσί, ὅμως ἔπαθον τοῦτο.*

Eust. 1729, 25 *ἡμάρτηται κατὰ τὸν τόνον (τὸ ἀήτης)· τὰ*

---

1) Egregie huc facit Herod. *μονήρ. λεξ.* I, 4. 9 *τῶν μέντοι λέξεων σπανίως ὁρωμένων ἤτοι κατὰ τὴν λήγουσαν συλλαβὴν ἢ τὴν πρὸ αὐτῆς, ἢ κατὰ ποσότητα μεμειωμένων ἐν στοιχείοις τε καὶ συλλαβαῖς, ἢ διαφόρῳ τόνῳ κεχρημένων καὶ οὐχ ὁμοίως τοῖς ὁμοιοκαταλήκτοις ἔλεγχον ἀπεργάζεται ἡ ἀναλογία οὐκ ἀποδοκιμάζουσα χρῆσθαι, ἀλλὰ σημειουμένη τὸ σπάνιον.*

2) Cf. p. 129 sq.

γὰρ τοῖς εἰς ῶ περισπωμένοις ῥήμασι παρασχηματιζόμενα εἰς της ἀρσενικὰ τῷ η παραληγόμενα ὀξύνεται· οἷον ποιῶ ποιητής, ὁμοίως ἠχητής μιμητής· οὐκοῦν καὶ τὸ ἀῶ ἀήσω τοιοῦτον γεννᾷ; atque ne sibi ἀητής probari coniciamus, addit τὸ δὲ ἀήτης οὐχ οὕτως, ἀλλὰ βαρύνεται· cf. Herod. II. pros. *E* 158. Nolui plura afferre ex Heraclidae libris, ne noctuas portare uiderer Athenas. Quis enim est, qui lecta uel una pagina prosodiae catholicae Herodiani uerba σημειοῦσθαι, μάχεσθαι non inuenerit prorsus eiusdem notionis atque ἁμαρτάνειν· cf. p. 235, 16 μάχεται ἄντικρυς τὸ 'ὄρνυσθ' ἱππόδαμοι Τρῶες' Δ 509. ἐνεργητικὸν γὰρ ὂν καὶ μὴ ὑποπῖπτον κανόνι τῷ προπαροξυτονοῦντι προπαρωξυτονήθη· Apoll. de pron. 33, 17 Schneider: Neque aliunde colligi potest ἄλλος pronomen esse neque ex ea re, quod in ō exit neutrum ut aliorum pronominum. Nam τοῦτο ἁμάρτημα φωνῆς, ὅπερ κατωρθοῦτο ἐν τῷ συνθέτῳ, τὸ ὀφειλόμενον ν προσλαμβάνον· ἔξαλλον γὰρ καὶ περίαλλον.

Substantiuorum igitur et uerborum ceterarumque orationis partium leges prosodiacas siue doctrinam accentuum, spirituum, syllabarum quantitatum [1]) ad certas normas discripturus

1) Praeter accentus, spiritus, syllabarum moras La Rochius (Textkrit. p. 118) ad prosodiae doctrinam quaestiones de iota subscripto et signis διαστολῆς et συνθέσεως (ὑφ' ἕν) rettulit deceptus, ut uidetur, Herodiani homerica prosodia uel Arcadii testimonio. Ut enim iota subscriptum omnino ex hac re dimittamus (cf. Sext. Emp. adu. Math. I, 8 § 169) πάθη illa quae Arcadius p. 191 (Lentz. praef. Herod. XXXIV; schol. Dionys. Thr. in Anecd. Bekk. II, 674, 679) enumerat: ἀπόστροφος, ὑφ' ἕν, ὑποδιαστολή, neque sunt prosodiae et in Herodiani catholica prosodia nisi quatenus cum uniuersa accentuum doctrina cohaereant, prorsus omissa; at cum ad illustrandos scriptorum singulos locos haud raro multum ualeant, quid miramur, Herodianum in prosodia homerica earum rerum rationem habuisse? Neque aliter doctrinam interpunctionis tractauit Herodianus in libro Catholicae subiuncto, qua de re loquitur Lentzius in praef. Herod. p. LIX (cf. p. XXXXIV, LV). Ceterum relego te ad Herod. cath. pros. I, 5. 1, ubi Herodiani de prosodiis sententia a scholiasta Dion. Thr. egregie illustratur (= Anecd. Bekk. II, 677) συνεζευγμένα ὀνομάζει Ἡρωδιανὸς τούς τε τόνους καὶ τοὺς χρόνους ἔτι δὲ μὴν καὶ τὰ πνεύματα, ὅτι ταῦτα πάντα καὶ τὸν τῆς προσῳδίας ὅρον ἐπιδέχονται καὶ προσῳδίαι καλοῦνται· ibid. p. 678, 27 ὅτι οὐ τοὺς τόνους

additis *ἡμαρτημένοις* magnum sane opus suscepit. Nec mirum habebit quemquam, quod lapsus est saepenumero praesertim cum uocum leges prosodiacae apud Atticos atque Homerum ne confunderentur cauendum esset, ut taceam quotiens apud unum Homerum idem uocabulum uariis prosodiis obnoxium enotandum fuerit ut *ᾱ̆νω ᾰ̆νω, τῑ́ω τῐ́ω, τῑ́εσκε τῐ́εσκε* alia, ut nisi quis de linguae graecae progressu atque noua generandi, uetera mutandi studio obseruauerit, frustra in certis prosodiae normis constituendis tempus sumpturus sit. Hic uero silentio minime premendum est, librorum Heraclidae fragmenta tantum eaque a compilatoribus uix accurate transscripta mansisse. Eust. 1434, 20 (Osann. fr. 71) ad Odyss. *β* 58 *Ἰστέον δὲ ὅτι καθ' Ἡρακλείδην ἄμεινον λέγειν ἀνύω ἤπερ ἄνω ἵνα μὴ παραλόγως μηκύνηται τὸ ᾱ· οὐδέποτε γὰρ* (*φησὶ*) *μηκύνεται προηγουμένου τοῦ ῡ ἐπὶ τῶν εἰς* $\overline{\nu\omega}$. *σκοπητέον δέ*, asseuerat Eustathius, *εἴπερ ἠκρίβωται οὗτος ὁ λόγος ἐπὶ πάντων· καὶ ἐνθυμητέον τὸ ἱκάνω ἐκτεῖνον ἐν πολλοῖς* (!) *τὴν παραλήγουσαν*. At quomodo *β* 58 *ἄνω* in *ἀνύω* mutari possit, non assequimur. Iam uero uerborum *ἱκάνω* et *κιχάνω* non meminisse Heraclidem, quae quamcunque carminum homericorum paginam euolueris, ultro offerentur, credat Apella. Neque ambiguus haereo, quae scripserit. Disseruerat de uerbis in $\overline{\alpha\nu\omega}$, quorum *ᾰ* paenultimae plerumque corripitur addiditque ut assolet *ᾱ̆νω* (quod sane cum *λαμβάνω μανθάνω ἁνδάνω* aliis componere non debebat) esse *ἡμαρτημένον* siue *παραλόγως μηκύνειν τὸ ᾱ*; Eustathius autem pro suo ingenio coniecit: *καθ' Ἡρακλείδην ἄμεινον λέγειν ἀνύω ἤπερ ἄνω*. De *κιχᾱ́νω*

μόνον ὡρίσατο (*Ἡρωδιανός*) *καὶ τούτους προσῳδίας ἐκάλεσεν ὥς τισιν ἔδοξεν . . . ἀλλὰ καὶ τὰ πνεύματα καὶ τοὺς χρόνους· καὶ γὰρ καὶ οἱ χρόνοι τάσιν ἔχουσι καθὸ ὁ μὲν ἐκτείνεται, ὁ δὲ συστέλλεται· καὶ τὰ πνεύματα δὲ κ. τ. λ.* prorsus e sententia Herodiani qui libris cath. pros. I—XIX accentuum, XX autem spirituum et quantitatum doctrinam tradidit: cf. Herod. I, 520, 17; 536, 35 Lentz. *Πάθη* autem, quae dicebantur, ad prosodias referendas non esse, fusius docuerunt scholiasta Dion. Thr. An. Bekk. II, 683, 22 *χρὴ δὲ γινώσκειν ὅτι τὰ πάθη οὐκ εἰσὶ κυρίως προσῳδίαι, ἀλλὰ καταχρηστικῶς κ. τ. λ.* et Choeroboscus An. Bekk. II, 705, 5, quibus adstipulatus est Lentzius praef. Herod. p. XXXIV.

et ἱκάνω quid senserit Heraclides, postea docebo. Ipse igitur minime contenderim in constituendis canonibus ubique satis accurate et circumspecte rem egisse Heraclidem. At hoc a me impetrare non potui, ut hunc uerborum ubiuis obuiorum oblitum esse crederem.

Iam adnotaui haud ita raro grammaticos ueteres ueram analogiam non indagasse multaque eam ob causam (ut ἐσμέν ἐστέ cuius uerbi thema uel ut nostro more loquar radicem primus coniecit Herodianus II, 833, 8 Lentz. δύναται δὲ τὸ ἐσμὲν ἀπὸ τοῦ ἔσμι εἶναι) inter ἡμαρτημένα, σημειώδη, σημειωτέα rettulisse. Nec mirum. Solius enim linguae graecae rationem habentes atque schematismo illo qui uocum naturam minime tangit usi grauissimis obnoxii erant uitiis, quamquam et hac in re multo cautius progressum esse Herodianum nemo nescit. Quo schematismo quam inique irretiatur interdum Heraclides eo uel maxime patet, quod res natura dissimillimas ac dissociabiles inuitae necessitudinis uinculo religat.

Quodsi non negauimus Heraclidem interdum haud ea qua par erat diligentia atque circumspecta ratione in canonibus constituendis uersatum esse, contra singularem atque cautissimam Herodiani disciplinam admiramur, qui id mihi recte sensisse uidetur, uocabulorum graecorum prosodias apud Homerum ceterosque scriptores parum apte uno eodemque uolumine posse comprehendi (id quod Heraclides instituisse uidetur), sed totam materiam inter catholicam et homericam prosodiam esse dispertiendam. Quibus Heraclidae rationem illustraui p. 104 sqq. fragmentis nunc addo Ammon. p. 99 (Herenn. Phil. 171; Et. Gud. 412, 31; Eust. 1840, 1) Νῦν καὶ νυνὶ διαφέρει, φησὶ κατά τινας Ἡρακλείδης ἐν πρώτῳ περὶ καθολικῆς προσῳδίας· τὸ μὲν γὰρ νῦν χρονικὸν ἐπίρρημα τάσσεται ἐπὶ τριῶν χρόνων, ἐνεστῶτος παρῳχημένου καὶ μέλλοντος· οἷον ὅτι ἀγὼν νῦν ἐστι ⟨νῦν παρῆλθεν⟩ νῦν ἔσται· τὸ δὲ νυνὶ ἐπὶ μόνου τοῦ ἐνεστῶτος. Probari uidetur Heraclidae hic canon, cum Ammonius, quibus refellatur, non enotauerit, id quod fecit s. uu. σταφύλη et τροχός. At qui Aristophanis fabulas peruestigauerit, non assentietur cum Wolfio ad Leptin. p. 242 Heraclidae: equit. 482 νυνὶ διδάξει;

uesp. 151 *νυνὶ κεκλήσομαι*; eccles. 630 *νυνὶ φρονήσει*; Plat. Hipp. min. 372c *νυνὶ περιελήλυθε* Ar. nub. 825.

Quod ad Homerum attinet, nec multa nec grauioris momenti ad sola Homeri carmina spectantia enotauit Eustathius; non tamen pigebit Heraclidae studiorum prosodiacorum fragmenta ad carmina poetae pertinentia subiecisse ac paucis illustrasse.

Atque de formis *εἵαται εἵαται* iam supra disputauimus; quibus si addideris ea quae Eust. 1641, 45 memoriae prodidit *τὰ ἐκ δασυνομένου τοῦ ε̄ θέματα προσλαμβάνει τὸ ῑ ἐν τῇ κινήσει· οἷον ἕρπω εἷρπον, ἕλκω εἷλκον, ἕπομαι εἱπόμην· ἐπιφέρει (Ἡρακλείδης) καὶ τὸ ἔχομαι εἰχόμην· καὶ γὰρ καὶ ἐν τῷ ἔχω δασὺ ἦν τὸ ε̄, ἐψιλώθη δὲ διὰ τὴν τοῦ χ̄ ἐπιφορίαν· διὸ ἐδασύνθη ὁ μέλλων ἕξω, διδάσκων ἀπὸ τῶν αὐτῶν τοῖς ἐνεστῶσι πνευμάτων ἄρχεσθαι τοὺς μέλλοντας*, en habes spirituum doctrinam Heraclidae, quantum a fragmentis pendet. Atque recte illa quae modo apposui indagauit Heraclides; sed quod in constituendis canonibus minus accurate interdum rem gessisse eum monuimus, hic quoque accidit, cum *ἐργάζομαι ἐάω ἐθίζω* alia praetermiserit.

De *χρόνων* doctrina quid Heraclides disputauerit, non comperimus ex Eustathio, qui haec tantum seruauit p. 1625, 56 *τὰ δισύλλαβα εἰς ω̄ καθαρὸν λήγοντα καὶ ἔχοντα φωνῆεν βραχὺ παρατέλευτον δίχα τοῦ ο̄ βαρύνονται, εἰ μὴ περισπώμενα ἑτέραν ἔννοιαν ποιήσει ὡς τὸ μυῶ· τὰ δ' ἄλλα βαρύνονται δίχα τῶν παραληγομένων τῷ ο̄· οἷον μύω, κλύω, πλέω, νάω, τίω 'τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ'· I 378 ὅθεν (φησὶ) καὶ τὸ ἄω ἤγουν πνέω τῶν βαρυτόνων ἐστὶ καὶ οὐ περισπώμενον.* At usum Homericum si exponere uoluisset, haud accurate obseruasse diceremus grammaticum. Occurrit quidem *νᾱω* Φ 197, ζ 292; sed *νᾶον* ι 222 (Aristarchus *ναῖον*); *νᾱόμενος* Nic. apud Athen. XIV, 684; *ἔναιεν* Archestr. apud Athen. IV, 136 B; *νᾶεν* Callim. Dion. 224; cf. schol. Ap. Rhod. I, 1146 *νᾶε· τὸ νᾶεν ἀντὶ τοῦ ἔρρει ὡς καὶ Ὅμηρος 'νᾶεν δ' ὀρῷ ἄγγεα πάντα' ι 222 ὡς οὐ δεῖ γράφειν [καὶ] ⟨ναῖεν⟩· τοῦ νάω γὰρ μακρὰ ἡ παραλήγουσα.*

Codicum, ut dicam quod sentio, auctoritate permotus ναῖεν reposuit Aristarchus stirpisque haec fuit progenies *ΣΝΑϜΙΩ — ναίω — νάω — νᾰω — prorsus ut *δεϜjω — δείω (cf. δεῖν = δεῖον) δέω. *ΣΝΑϜΩ — ναύει· ῥεῖ βλύζει Hesych. — *δέϜω — δεύω ι 540; cf. κλαίω = *κλαϜjω (κλαυσοῦμαι), ἀγαίομαι ἀγάομαι (ἄγαμαι) = *ἀγαϜjομαι (ἀγαυός), καίω = *καϜjω (καύσω) κάω uide Curt. Verb. II², 433. Neque miramur illud ναίω iam sat antiquo tempore euanuisse, quod tritissimum illud ναίω 'incolo' eundem sonum habebat. Similiter se habet τίω: τῐουσι (in thesi) ξ 84; τῐωσι Ι 258; τῐέμεν ο 543; ἐτῐομεν λ 483; τῖον Ψ 703; τῐω Ι 378. Ψ 705; τῐνειν Γ 289; τῐνυμαι Γ 279. Itaque haec proposuit Curtius (Verb. I², 168; I, 225)

1) τινύω *τίννω τῐνω τῖνω (Pind. P. II, 24)

2) τῐω τῖω (cf. ἀπυτειέτω = ἀποτιέτω in inscript. arcad. Annal. Fleckeis. LXXXIII, 585). Τῖνεσθαι inde a Pindari temporibus et τῖω apud Atticos radicantur. Paucis attingam μύω: μῠσαν Ω 637; Eur. Med. 1123; Soph. Antig. 417; μέμῡκε Ω 420; μυῶ Herod. II, 51; Arist. pac. 278; plut. 845; et κλύω, quod constanter priorem syllabam corripit apud Homerum excepto imperatiuo κλῦθι. Reuertendum est ad uerba in ανω exeuntia, de quibus Eustathium uix recte nobis rettulisse iam supra monui. Didicimus enim diffidere Eustathio et memores tortuosi illius et nescio quam ridicule seueri (σκοπητέον δέ, εἴπερ ἠκρίβωται οὗτος ὁ λόγος· καὶ ἐνθυμητέον! τὸ ἱκάνω ἐν πολλοῖς! ἐκτεῖνον τὸ ᾱ) generis dicendi Eustathiani pro certo affirmamus uerbum ἄνω ἡμαρτημένον uocatum esse ab Heraclide, praesertim cum ἀνύω nullo loco homerico reponi possit pro ἄνω. Mirum et hoc: schol. Vindob. 5 Od. γ 496 ἦνον ὁδόν· γράφεται ἤνυον ἀντὶ τοῦ διήρχοντο; ἦνον· ἀντὶ τοῦ ἤνυον BQ.

Atque ἄνω priorem producit syllabam excepto Σ 473 ἔργον ἄνοιτο, ubi Buttmannus ac Doederlinus ἄνῦτο ut optatiuum uerbi ἄνυμαι commendant, quam formam fragm. Mosc. et codices Lips. Barroc., itemque Etym. Gud. 61, 47 confirmant; in Anecd. Oxon. I, 16, 30 reperio ἔργ' ἀνύοιτο; sed Heraclidem non ἄνω sed ᾱνω ut παραλόγως μηκυνόμενον respuisse tradit Eustathius. Veteres grammatici ἄνω inter δίχρονα receperunt

Et. M. 115, 13; An. Ox. I, 16, 25; Et. Gud. 61, 44; *ἀνύω* autem *ἀεὶ ἐν συστολῇ ὁ ποιητὴς παραλαμβάνει.* Iam si quaeras, quae necessitudo intercedat inter *ἄνω* et *ἀνύω*, non cum Lobeckio (Pathol. El. I, 324) facimus, qui Heraclidem (An. Ox. I, 16, 25; Eust. 32, 39; 764, 33) secutus ex *ἄνω* repetiuit *ἀνύω*; sed assentimur Doederlino (gloss. 699) et Curtio (Verb. I, 244) qui ex *ἀνύω* prodiisse docuerunt *ἥνω ἄ̄νω* non aliter atque *τῑνυμαι *τινύω τίνω τῑ́νω* et *ὄρνυμι ὀρνύω* [1]) **ὀρινύω *ὀρινϝω ὀρίννω ὀρίνω*, ut hanc propaginem agnoscamus: *ἀ̆νύω *ἄνϝω *ἄννω* [2]) *ἄ̄νω ἄ̆νω.* Apud Atticos uero *ἀνύω* peperit *ἀνύτω* ut *ἀρύω ἀρύτω*; recte enim his de uerbis disseruit Heraclides apud Eust. 32, 39; 764, 33.[3]) Neque Heraclides uerborum *κιχά́νω* et *ἱκά́νω* oblitus est; cf. Eust. 1525, 16 (Os. fr. 60) *ἀναλογώτερον τὸ κιγχάνω καὶ ἱγκάνω* [4]) *τοῦ κιχάνω καὶ ἱκάνω, ἵνα καὶ αὐτὰ λείπωνται τρισὶ γράμμασι τοῦ κίχω καὶ ἵκω* (ut *ἅδω ἀνδάνω*). Quid uero de *α* paenultimae producto statuerit, nescimus; licet tamen suspicari, non aliter eum sensisse atque Herodianum dichr. II, 10, 5 Lentz. *τὰ διὰ τοῦ ανω ῥήματα ὑπὲρ δύο συλλαβὰς βαρυνόμενα ἔχει τὸ ᾰ συνεσταλμένον λιμπάνω, μανθάνω ... τὸ μέντοι ἱκάνω καὶ τὸ κιχάνω ἄλογον ἔχοντα τὸν πρῶτον χρόνον τοῦ ἀορίστου ἐκτείνει τὸν δεύτερον.*

Quod supra diximus Heraclidem in accentibus ponendis Aristarchi potissimum et modestiorum grammaticorum uestigia legisse, uel inde elucet, quod duobus tantum locis rem aliter atque Aristarchus gessisse ab Herodiano commemoratur: Il.

---

1) Quod cur stellula notauerit Curtius, non assequor; apud Pindarum enim (Ol. XIII, 12) *ὀρνύει* consentientibus mss. et *ὤρνυε* Pyth. IV, 170 cod. R, *ὄρνυε* IPQ, rell. *ὄρνυ*, cui comparandum est *ὄλλυμι ὀλλύω*, Archil. fr. 27, 2 *Ἄναξ Ἄπολλον ... σφέας ὄλλυ' ὥσπερ ὀλλύεις.*

2) Cf. Pind. Ol. XIII, 10 *ἄ̄νεται*; *ἄννεται* Q.

3) Cf. Aesch. Ag. 1123 *ξυνανύτει*; Eurip. Ion 1066 *ἐξανύτω*; Xen. Cyr. V, 4, 18; *ἀρύω* Hes. scut. 301, opp. 548; *ἀρύτω* Arist. Nub. 273; Plat. Criti. 120a; Ion 534a; Xen. Cyr. I, 2, 8.

4) Dindorfius *κιγχάνω* e codd. uestigiis indagauit restituitque Aesch. Choë. 622 *κιγχάνει δέ μιν Ἑρμῆς.* Soph. O. C. 1450 *εἴ τι μοῖρα μὴ κιγχάνει* (cod. Med. *τυγχάνηι* correctum in *κιχανηι*). Eur. Hel. 597 *Μενέλαε, μαστεύων σε κιγχάνω μόλις.*

pros. Θ 178 = Cr. Anecd. Ox. I, 95, 8; Eust. 705, 59 (Os. fr. 35) *Ἡρακλείδης ὁ Μιλήσιος βαρύνει (τὸ ἀβληχρά Θ 178) ὡς ἄσιτα· λόγῳ δὲ χρῆται τούτῳ ὡς ὅτι βληχρόν ἐστι τὸ ἰσχυρὸν ⟨οἷον παρὰ Πινδάρῳ· πρόφασις βληχροῦ γίνεται νείκεος* 245[4] Bergk; inserui ex An. Ox. 95, 8⟩ *ὅπερ κατὰ στέρησιν ὀφείλει λέγεσθαι ἄβληχρος ὡς ἄκακος· σημαίνει γὰρ τὸ ἀσθενές· ἡ μέντοι παράδοσις ὀξύνει τὸ ἀβληχρά* Θ 178 *καὶ ἀβληχρήν* Ε 337 *κ. τ. λ. Α.*

Egregie Herodianus sententiam Heraclidae Il. pros. Θ 178 refutauit; uellem tamen etiam Pindari locum, ad quem Heraclides prouocauit, accurate examinasset. Duobus autem locis occurrit uox *βληχρός* in Pindari fragmentis, quorum alterum Heraclides attulit An. Ox. I, 95, 9 *Πίνδαρος μὲν βληχρὸν τὸ ἰσχυρὸν ʻπρόφασις βληχροῦ γίνεται νείκεοςʼ* fr. 245 Bergk[4]. Neque tamen quidquam certi ex hoc lucramur fragmento. Alterum igitur subministraui fragmentum a Plutarcho (130 Bergk[4]) seruatum *ἡ δὲ τρίτη τῶν ἀνοσίως βεβιωκότων καὶ παρανόμων ὁδός ἐστιν εἰς ἔρεβός τε καὶ βάραθρον ὠθοῦσα τὰς ψυχὰς*

Ἔνθεν τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον
Βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί.

Hos uersus Boeckhius II p. 621 et Bergkius accurate dixerunt respondere ultimis binis uersibus, quos in describenda sanctorum beatitudine posuit Pindarus fr. 129 Bergk[4]

Ὀδμα δ' ἐρατὸν κατὰ χῶρον κίδναται
Αἰεὶ θύα μιγνύντων πυρὶ τη|λεφανεῖ παντοῖα θεῶν ἐπὶ βωμοῖς

causis scilicet metricis, quibus ad nostram quaestionem nihil proficimus. Praeterea in eo haeremus utrum dixerit poeta ipsa tartari flumina tenebras exhalantia, an per metaphoram nubes caliginosas Orcum ignaue permeantes cf. Pind. Pyth. I, 20.

Αἴτνα πάνετες χιόνος ὀξείας τιθήνα·
τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἁγνόταται
ἐκ μυχῶν παγαί· ποταμοὶ δ' ἁμέραισιν μὲν προχέοντι
ῥόον καπνοῦ αἴθων'. Sed secunda interpretatio ad uerum maxime mihi uidetur accedere, quae et Pind. Pyth. I, 23 et ceterorum scriptorum auctoritate, Alcaeum dico, Hippocratem,

Apollonium Rhodium (II, 205 sqq. coll. λ 135)[1]), Plutarchum, comprobatur. Ita Hippocrates *πυρετὸς βληχρός, σφυγμοὶ βληχροί* (pulsus debiles, languidi), *νοῦσος βληχροτέρα* (cf. Aphrod. Alex. problem. I, 83 p. 272 Sylbg. ubi *ἀβληχρὸς πυρετός* opponitur *ὀξεῖ* et *ὀλιγοχρονίῳ*).

Quod enim Plutarchus (de occ. uiu. 7 = fr. 129 Bergk[4] = Boeckh II p. 621) sedem beatorum e Pindari carmine describens addidit: *καὶ ποταμοί τινες ἄκλυστοι καὶ λεῖοι*, dubito an de suo inseruerit, cum in consol. ad Apoll. c. XXXV idem Pindari fragmentum accuratius repetiuerit fluuiorum lenium mentione non facta. Quin etiamsi ipse Pindarus fluuiorum sedis beatorum eorumque lenis strepitus mentionem iniecerit[2]), non tamen est, quod utique oppositos dicas uersus fr. 130 *ἔνθεν τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί*, quippe quibus tenebras potius Orcum replentes ignaueque permigrantes nubes opposuerit poeta splendidissimae luci sedem beatorum collustranti.[3]) Neque uocis *βληχρός* originatio patitur Heraclidae interpretationem. Redit enim *βληχρός* ad stirpem *μλα* siue *μαλ* (cf. Curt. El.[5] p. 326), quam reperimus in *μαλ-ακο-ς, μαλ-θ-ακο-ς, μῶλυς, μεμαλαγμένος* et in Latinorum uoce 'mollis'; ut *βλάξ* pro *μλάξ*, ita *βληχρός* pro *μληχρός*. Atque cum *ἀ-βληχρός* conferas uelim *ἀ-μαλ-ό-ς* = tener; itaque *ᾱ* priuatiuum omnino missum faciemus, ut in *ἀμβλύς, ἀ-μαρύσσειν*, collatis *μαρ-μαίρειν, μαρ-μαρυγή*. Neque id silentio praetermittendum est, omnia uocabula e stirpe *μαλ* (*μλα*) enata in deteriorem uergere partem, ut *βλάξ* ignauus, mollis,

---

1) Merkel in praef. Ap. Rhod. p. CLXXVI Pindari fragmentum *βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί* suspicatus est Apollonium ante oculos habuisse scribentem

V 152 *οἷον ὅτε βληχροῖσι κυλινδόμενον πελάγεσσι*
κῦμα μέλαν κωφόν τε καὶ ἄβρομον ...,

quod tamen utrobique uarios habere explicatus contendit.

2) Cf. Pind. Ol. II, 70 *ἔνθα μακάρων νᾶσον ὠκεανίδες αὖραι περιπνέοισιν· ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει, τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ' ἀγλαῶν δενδρέων, ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει.*

3) Cf. Pind. fr. 129, 1 Bergk[4]; Ol. II, 61 *ἴσαις δὲ νύκτεσσιν αἰεὶ ἴσον ἐν ἁμέραις ἅλιον ἔχοντες, ἀπονέστερον ἐσλοὶ δέκονται βίοτον.*

με-μαλαγμένος, μῶλυς iners. Qua de causa recte mihi uideor uertere cum Boeckhio Pindari fragmentum 130: ubi immensas eructant tenebras ignaui caliginosae noctis fluuii.

Itaque apud Homerum, qui semper forma *ἀβληχρός* usus est, *α* intensiuum agnoscimus; quod ad Pindarum attinet, res extra dubitationem poni non posse uidetur, quod neque fragmenta prolata unam certamque interpretationem facile patiuntur, neque grammaticus An. Ox. I, 95, 8 rem confecit.

Acriter eos increpuit Heraclides, qui uocabuli *σταφυλή* accentum ut normis grammaticis commendatum defenderant. Qua de re explicatum fragmentum seruauit Ammonius p. 124, quod breuiore forma Etymologici magni auctor in sua transtulit 742, 44, pessime corrupit Eustathius 341, 30—38 (Osanni fr. 31).[1]) Neque Ammonius omnia praebet concinna: *Ἡμαρτῆσθαι δοκεῖ*, inquit Heraclides, *παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὀξυτονούμενον*[2]) *τοὔνομα (σταφυλή)· οὐδὲν γὰρ τῶν εἰς ⟨λ⟩η ληγόντων θηλυκῶν ὀνομάτων ⟨ἀ⟩μέτοχον*[3]) *γένους τοῦ οὐδετέρου, παρατελευτῶντος τοῦ ῡ, ὀξυτονεῖται, ἀλλὰ πάντα ὑπὲρ δύο συλλαβὰς βαρυτονεῖται* [*κατὰ τὸ ῡ* addidit glossator; alteri melius uisum explicare *μὴ ὀξυτονούμενα, ἀλλὰ βαρυτονοῦντα τὸ ⟨ῡ⟩ στοιχεῖον ἔχει*] *οἷον κονδύλη, Δαμύλη . . . . . Τινὲς δὲ βοηθοῦντες τῇ συνηθείᾳ καὶ ὀξυτονεῖν βουλόμενοί φασιν ὅτι ὅσα τοῦ αὐτοῦ ἀπαραλλάκτως ἔχεται σημαινομένου, ὁμοτονεῖ· ὅσα δὲ διαλλάσσει* [*τῶν*] ⟨*τῷ*⟩ *σημαινομένῳ*[*ν*], *οὐκέτι· ὁ μὲν οὖν φίλος καὶ φίλη καὶ ξένος καὶ ξένη καὶ τὰ προκείμενα ἀπαράλλακτά ἐστιν· διὸ ὁμοτονεῖ· τὰ δὲ διαφέροντα οὐκέτι· καθάπερ γὰρ χόλος χολή, καὶ τρόπος τροπή . . . δόμος δομή·* [*περὶ τούτου οὖν ἐν ἄλλοις ἐντελῶς εἴρηται ὅτι διαφέρει* secludenda uidentur] *εἰ οὖν ἔστι στάφυλος ἀρσενικόν, διαφέρει δὲ τῷ σημαινομένῳ ἡ σταφυλή, ὀπώρα δέ, ὄντως ὀξύνεται. Τὸ μέντοι προκείμενον* addit Ammonius *τοῦ Ἡρακλείδου παρα-*

1) Qua ex re luculente apparet, quot facile erroribus implicemur ubi soli Eustathio fides habenda sit.

2) Herod. cath. pros. 323, 21 *σταφύλη τὸ τεκτονικὸν ἐργαλεῖον, σταφυλὴ δὲ ὁ καρπός· τὸ μέντοι Ἀγκυλὴ καὶ Ἀγρυλὴ ὀνόματα δήμων ὀξύνεται.*

3) Non apte Osannus *μετέχον*.

τήρημα ἰσχυρόν, καθ⟨ὸ⟩ παραγγέλλεται [*ὀξ*] ⟨*βαρ*⟩*υτονεῖν, οὐ μόνον διὰ τὰ παρακολουθοῦντα τῷ ὀνόματι* (scil. *Στάφυλος σταφύλη*), *ἀλλ' ὅτι καὶ ὑπὲρ δύο ἐστὶ συλλαβάς· τὰ γὰρ προκείμενα* (scil. *χόλος χολή, δόμος δομή* alia) *δισύλλαβα· ὥστε οὐδὲ τὴν ὀπώραν ὀξυτονεῖν ἀναλογία ἐπιτρέπει κ. τ. λ.*

Docuit igitur Heraclides contra analogiam substantiuum *σταφυλή* acuto notari, neque si repeteretur a *στάφυλος* esse quod ultima acueretur. Atque qui *βοηθοῦντες τῇ συνηθείᾳ* ex eo probarent oxytonesin, quod a masculino *στάφυλος* femininum *σταφυλή* ut *τρόπος τροπή* notione differret, ne hos quidem Heraclidae canonem refregisse ostendit Ammonius [1]), cum non trisyllaba sed disyllaba in medium protulissent. Quae uero Ptolomaeo responderit Heraclides accentum *σταφυλή* tuenti ut discrimen oriretur inter *σταφύλη* (*ἡ καθιεμένη μόλυβδος*) et *σταφυλή* (*ὀπώρα*) Ammonius non enotauit: *ἀλλὰ καὶ ἡ Πτολεμαίου παρατήρησις ἀθετεῖται* (*ὑφ' Ἡρακλείδου?*), *καθ' ἣν διαφέρειν φησί κ. τ. λ.* Sed utut est (nam quae Heraclides disputauerit, quae de suo addiderit Ammonius, num Heraclides Ptolomaei sententiam sibi compertam refutauerit, diiudicare non possumus), hoc tantum nobis licet affirmare, Graecorum consuetudinem in *σταφυλή* a recta uia aberrasse arbitratum Heraclidem; num uero Homero utique censuerit restituendum *σταφύλη*, praesertim cum uocis *ἁμαρτάνειν* notionem attendam, mihi quidem non cum Osanno uidetur extra dubitationem positum esse.

Cum de nominum *ἀήτης* et *χηρωστής* antea disputauerimus accentu, restat ut uerba *φᾶσθαι* et *ἀῶ ἄημι* paucis attingamus. Atque libenter ueniam dabimus Heraclidae, qui cum aliis hac in re peccauit. Cum enim uerbi *φημί* praesens medium *φαμαί* nusquam repperisset (Eust. 1641, 39 = Os. fr. 78) ceteraque uerba in *μι* trisyllabum exhiberent indicatiuum, infinitiuum *φάσθαι* ad coniugationem uerborum purorum (*φᾶσθαι*)

1) Parum recte Osannus Valckenaerii notam repetiuit. Verbis enim *οὐ μόνον διὰ τὰ παρακολουθοῦντα κ. τ. λ.* si in Heraclidae libro negaueris quidquam respondisse, qui superiora inde a *τινὲς βοηθοῦντες κ. τ. λ.* Heraclidae poteris uindicare?

rettulit; immemor imperfecti *ἐφάμην*; cf. Herod. Od. pros. ζ 200 *Τυραννίων συστέλλει (τὸ φάσθε) ἀπὸ τοῦ φημὶ ὁμοίως τῷ 'καὶ ἀγγελίην ἀπόφασθε'. I* 649 *τινὲς δὲ ὁμοίως τῷ νικᾶσθε, ὡς καὶ ἐπεκράτησεν.* H. Q. et Od. pros. ε 129 *ἄγασθε ὡς δύνασθε τοῦ δευτέρου ᾱ συστελλομένου· δυνατὸν δὲ καὶ ὡς ἠ⟨γᾶσθε⟩· οἶδε γὰρ αὐτοῦ καὶ τὸ κατὰ διαίρεσιν ὡς τὸ 'θεαῖς ἀγάασθε'* ε 119 *καὶ 'τόφρα οἱ ἠγάασθε'* ε 122 *P.*

Recentioris aetatis scriptoribus probatum '*ἄω ἤγουν πνέω*' (cf. Ap. Rhod. I, 605 '*αὐτῆμαρ μὲν ἄεν νότος*') dubitationem iniecit Heraclidae, utrum *ἄω* an *ἀῶ* genuinum esset: Eust. 1625, 61 *γράψας ὁ Ἡρακλείδης, ὅτι τὰ εἰς ῶ καθαρὸν λήγοντα καὶ τῷ ᾱ βραχυπαραληγόμενα περισπώμενά τε καὶ βαρύτονα Αἰολικά εἰσιν, μόνον περιλείπεσθαι λέγει τὸ ἄω ἀμφισβητούμενον κατὰ τὸν τόνον.* Rem paullo altius repetamus. Etenim si huius uerbi stirpem *ἀϜε* ponamus, ad duas coniugationes huius uerbi, quae apud ueteres poetas occurrunt, formas reuocemus necesse est. Atque aliae uerborum non thematicorum in $\overline{\mu\iota}$ exeuntium flexionem secuntur: *ἄησι* Hes. opp. 516. 552, *διάησι* Hes. opp. 514. 517, *ἀέντες* Hom. Il. *E* 526. ε 478, Hesych. *ζαέντες (διαέντες) πνέοντες*, quare aequationem proponimus *τίθημι : θε = ἄημι : ἀϜε*; aliae analogiam uerborum denominatiuorum (suffixo uerbali ja auctorum) ostendunt. Collatis enim *ἀήμεναι* γ 176 (*τιθήμεναι Ψ* 83, *φιλήμεναι X* 265), *ἀήμενος Ψ* 214. ζ 131 (*τιθήμενος K* 34, Delphorum *ποιείμενος καλείμενος αἱρείμενος*)[1]), *ἀῆναι* γ 183. κ 25 (*φορῆναι B* 107), *ἄηται* Pind. Isthm. III, 27, *ἄη* μ 325. ξ 458, *διάη* ε 478. τ 440, quam formam huc traxi collatis *ἄητον I* 5, *ἄητο Φ* 386, Hes. scut. 8, negari non potest[2]), flexionem uerbi *ἄημι* ut aliorum multorum, inter quae et *τίθημι* est, fluctuari inter coniugationem uerborum non thematicorum et uerborum denominatiuorum id quod hac mihi liceat aequatione oculis sumministrare:

---

1) Cf. Curtius, Act. societ. litter. Saxon. 1864 p. 221; Hinrichs, de hom. elocut. uestigiis aeoll. p. 126.

2) Eodem loco recenseo *ἄεισι* pro *ἄεντι* aeolico notandum accentu, cui comparo Boeot. *φίλεντι, οἴκεντι* Heracl. ap. Eust. 1557, 44; uide quos laudauit u. u. d. d. Flachius ad Hesiod. Theog. 875.

ἄημι (τίθημι) : ἀϝε- (τιθε-) = φίλημι : φιλ-ε-, quamquam non ignoro, φίλημι prodiisse ex φιλ-ε-je-μι, ἄημι autem eandem atque τίθημι habere formationem. Qui uero cum Leskieno stirpem ducunt[1]) genuinam ἀϝες (ut aequatio euadat τελεσjω: τελέω = ἀϝεσjεμι : ἄημι), his omnes, quas apposui, formae uerbi ἄημι referendae sunt ad coniugationem contractorum ipsumque uerbum 'luculentissimum est exemplum antiquioris consuetudinis uerba contracta in μι flectendi', id quod suo more grammatici ueteres pronuntiant ἄημι et φίλημι ut ex ἀέω et φιλέω orta ad Aeolicam dialectum reuocantes: Heracl. Eust. 1407, 63 καὶ τὸ ἀήμεναι δὲ μαρτυρεῖ τῷ ἀῶ περισπωμένῳ; 1724, 33 ὡς ἐκ τοῦ φιλῶ φίλημι Αἰολικῶς, οὕτως καὶ ἀπὸ τοῦ ἀῶ ἄημι καὶ ... ἄη μ 325; 1724, 35 πεποίηται τὸ ἀήτης ὡς ἀπὸ περισπωμένου τοῦ ἀῶ ἀήσω. Neque alia de causa idem Heraclides[2]) participium ὀνήμενος Eust. 1432, 35 ex Aeolica dialecto repetiuit pro ὀνούμενος suoque iure inter praesentia rettulit, qua de re te relego ad Curtium, de uerbo gr. I, 356.

Disceptauere grammatici de accentu futuri Dorici quod uocant ἐσσεῖται; quod circumflexo notandum esse sibi persuasit Heraclides; hic enim 'uetus ille technicus', quem legit Eustathius p. 655, 10 λέγει τις παλαιὸς τεχνικός, ὅτι δοκεῖ μοι μέμφεσθαι τῇ συνηθείᾳ ἔσται λεγούσῃ· οὐδέποτε γὰρ τὸ γ' πρόσωπον τῶν τοιούτων μελλόντων χρεωκοπεῖται παραλήγεσθαι φωνήεντι ἵνα τις εἴπῃ καλέσεται καλέσται ἢ τὸ τελέσεται τελέσται· λέγει δὲ καὶ Σικελικὸν εἶναι τὸ ἔσσεται οὐ μὴν Αἰολικόν. (Velim enim conferas Heracl. apud Eust. 718, 4 Ἡρακλείδης πεποιῆσθαι λέγει τὸ ἔσομαι ἀπὸ μονοσυλλάβου τοῦ ὦ ἤγουν ὑπάρχω, ἵνα ᾖ ὥσπερ καλῶ καλέσω καλέσομαι

1) Cf. Hinrichs l. l. p. 133, qui ad Leskienum prouocat in Curtii Stud. II, 101.

2) Eust. 1432, 35 Αἰολεῖς (φησὶ Ἡρακλείδης) τὴν ου δίφθογγον παρατέλευτον οὖσαν ... εἰς η μετατιθέασιν, οἳ καὶ τὸ ἐκαλούμην καὶ ἐνοούμην καὶ ὅσα ὅμοια τῆς πρώτης συζυγίας τῶν περισπωμένων ἐκαλήμην καὶ ἐνοήμην λέγουσι καὶ ἐπὶ μετοχῶν καλήμενος νοήμενος ... δίδωσιν οὖν ... Ἡρακλείδης καὶ τοῦ 'ὀνήμενος' Αἰολέων διαλέκτῳ ἀρχὴν εἶναι τὸ ὀνούμενος.

οὕτω καὶ τὸ ὦ ἔσω ἔσομαι, ὃ καὶ πλατύνει ἐκεῖνος καινότερον) Σικελοὶ γὰρ διπλάζουσιν ἐν τοῖς τοιούτοις τὸ σ, Δωριεῖς δὲ τοὺς τοιούτους μέσους παρενθέσει τοῦ ι προφερόμενοι περισπῶσιν πλευσεῖται ῥευσεῖται· οὕτω γοῦν καὶ τὸ ʽἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν᾽ B 393. *Δίων μέντοι προπαροξυτόνως* quod ne in *σφέων σφείων, σπέους σπείους* quidem mutetur accentus, futurum *ἐσσεῖται* legendum censet; *νικῶσι δὲ ὅμως τὸν Δίωνα οἱ περισπῶντες τὸ ἐσσεῖται.* Iuuat et haec exscripsisse: Eust. 1557, 34 *Δωριεῖς ἐν τῷ λεξεῖται ποιησεῖται μετατιθέντες*[1]) *τὴν παρατέλευτον ει δίφθογγον εἰς τὴν ου παρενθέσει τοῦ υ ποιησοῦντι φασὶ καὶ τελεσοῦντι καὶ ἐσσοῦντι· πᾶς γὰρ μέλλων καθ᾽ Ἡρακλείδην τοιοῦτος ἐπὶ τρίτου πληθυντικοῦ Δωρικῶς εἰς τὸ τι λήγει τῆς ου διφθόγγου παραληγομένης . . . ποιησοῦντι γὰρ καὶ ὀρθωσοῦντι καὶ τὰ ὅμοια· ἐπὶ μέντοι δευτέρας διὰ τοῦ α μηκυνομένου καὶ τοῦ υ γελασοῦντι καὶ γελᾶντι καὶ βοασοῦντι καὶ βοᾶντι· ἐπὶ δὲ βαρυτόνων ἡ ον συλλαβὴ παρατελευτᾷ οἷον λέγοντι ἀντὶ τοῦ λέγουσι· τῶν δ᾽ αὐτῶν Δωριέων καὶ τὸ φρονεῦντι . . . (ἅπερ ἐξάρσει τοῦ ν λεγόμενα αἰολικά ἐστιν οἷον φρονεῦτι), ἔτι δὲ καὶ τὸ ἐν⟨ν⟩τι*[2]) *ἀντὶ τοῦ εἰσίν, ὅπερ ἄλλως ἐντὶ λέγεται Δώριον ὁμοῦ ὂν καὶ Αἰολικόν· κ. τ. λ.*

Heraclidae qui Doriensibus *ἐσσεῖται* tribuit, auctoritate repudiata Ahrensius[3]) ad schol. Theocr. I, 83 et Herodian. Il. pros. *B* 393 prouocauit *ἐσσεῖται* pro Dorico uenditantes. Atque Herodiani quidem testimonium uel inuito Ahrensio typotheta mendo liberatum excudit: *προπερισπαστέον τὸ ἐσσεῖται· οὐ γὰρ προπαροξυντέον*; scripserat enim Ahrensius de dial. dor. 28 n. 8 duce cod. Veneto *A παροξυντέον, ὥς τινες, ἐπεὶ Δώριον· ἤδη γὰρ πολλὴ χρῆσις τῶν τοιούτων παρ᾽ Ἀττικοῖς· A*; cf. An. Oxon. IV, 198; I, 136, 7; schol. Il. *N* 317; Lehrs, Herod.

1) Pessime peruertit Eust. sententiam Heraclidae inserto *μετατιθέντες κ. τ. λ.* Quis enim sibi persuadebit, Heraclidem tam accurate de tertia persona uerbi apud Dorienses disputantem tam misere confudisse medium cum actiuo. Sed Eustathius ipse haec pro suo ingenio indagauit seseque imparem ostendit uel simplicissimas res grammaticas accurate tradendo.

2) Cf. Ahrens dial. aeol. p. 209; Curtius Verb. I, 70.

3) Ahrens dial. dor. p. 28 n. 8.

scripta tria p. 208. Scholiastae autem Theocriti uel ea de causa diffido, quod in hoc ipso scholio repugnantia tradere uidetur; quid enim est quod Dorienses ἐσσεῖται protulisse credamus, at λέγεται proparoxytonos eiusdem syllabae quantitatem non curantes?

Haec habui quae de studiis Heraclidae Milesii prosodiacis, quatenus ad Homeri carmina pertinent, dissererem, pauca sane neque grauioris momenti, quippe quae ex catholica cum maxime prosodia promenda fuerint Eustathio. Sed quae erat Heraclidae studiorum natura atque indoles, in dialectis potissimum uersabatur cognoscendis, unde in explicandis uocabulorum formis, praecipue epicae dialecto propriis, fructus redundaret, quapropter ingenium excolebat assidua perscrutatione cum carminum Alcaei, Sapphonis, Alcmanis, Pindari, Anacreontis, tum Homeri. Iam uero si parui quae aetatem tulerunt fragmentorum numeri aequam habueris rationem, quem grammaticorum dices dialectos perlustrandi cupidiorem? Ut de Ionum, Atticorum, Aeolensium, Doriensium consuetudinibus quas illustrauit Heraclides, taceam, audimus eum ad partes uocantem dialectos [1]) Rheginorum, Cretensium, Siculorum, Cypriorum, Argiuorum, Boeotorum, Epirotarum, Macedonum, Pamphyliorum, legimus Eust. 1643, 1 Ἴωνες οἱ νεώτεροι; 1885, 51 ἔνιοι τῶν Ἰώνων; 1892, 40 ἀρχαῖοι Ἀττικοί; 1613, 17 ἔνιοι τῶν Αἰολέων quos unus Heraclides in Lesbios et Boeotos diuisit apud Eust. 1613, 18.

Neque tamen negauerim, praecipue in ratione dialectos tractandi apparere, quam infirmo fundamento cum aliorum tum Heraclidae studia grammatica fuerint superstructa. Tantum enim afuit, ut nominum uerborumque formis epicae dialecti atque aliarum inter se comparatis etyma detegerent formarum, ut ex ipsis dialectis homerica repeterent: omnia fragmenta redolent sententiam, quam ridicule satis coluit auctor περὶ Ὁμηρικῆς διαλέκτου: Ὅμηρος λέξει ποικίλῃ κεχρημένος τοὺς ἀπὸ

1) Cf. Eust. 1576, 57 Rheg.; 1726, 24 Cret.; 32, 37 Cypr.; 1726, 24 Argiu.; 1654, 26. 1613, 20 Boeot.; 1064, 4. 1722, 46 Epirot.; 1654, 18 Maced., Pamphyl.; 1726, 27. 1596, 5. 1654, 26 Tarentin.

πάσης διαλέκτου τῶν Ἑλλήνων χαρακτῆρας ἐγκατέμιξεν, ἐξ ὧν δῆλός ἐστι πᾶσαν Ἑλλάδα ἐπελθὼν καὶ πᾶν ἔθνος.[1] Quid? nonne tota huius sententiae peruersitas retegitur, cum in eadem forma duabus tribusue dialectis poeta usus esse dicatur. En Heraclidem haec molientem[2]) *πεποίηται (τὸ ἐλαύνω) κατὰ Ἡρακλείδην διαλέκτοις τρισίν· Βοιωτῶν μὲν γὰρ τὸ ἐλάω ... Αἰολέων δὲ ἡ προσέλευσις τοῦ υ ... Δωριέων δὲ ὁ πλεονασμὸς τοῦ ν*; cf. praeterea Eust. 734, 51 (Exc. Or. 662, 2; Crameri An. Par. III, 340) ubi *εἰλήλουθα εἰλήλουθμεν* ex Atticorum, Ionum, Boeotorum, Aeolum consuetudine repetitur. Eaedem prorsus machinationes offeruntur in glossarum explicatione cuius rei mox luculentissimum subministrabo exemplum, eiusdem notae, quae Apollonius ex Heraclide apposuit[3]): *παραθήσομαι καὶ τὸ πρὸς τοῦ Ἡρακλείδου* (cuius catholicam p. 326 laudauit) *εἰρημένον, ὡς καὶ τὸ 'ἐπεί' χρονικὸν ἐπίρρημα ἐκ τῆς προειρημένης συντάξεως ἐγένετο· ἐκ τοπικοῦ γὰρ ἐπιρρήματος τοῦ 'οὗ' ἀπετελεῖτο (φησίν) Δωρικὴ μετάληψις ἡ 'εἶ' ὁμοίως τῷ ποῦ πεῖ, αὐτοῦ αὐτεῖ, ᾧ συνήει πρόθεσις ἡ ἐπί ἡ νῦν ἰσοδυναμοῦσα τῇ ἀπό, καθὸ καὶ ἐν ἑτέροις ἡ ἀπό ἀντὶ τῆς ἐπί· τὸ γὰρ 'ἀπομηνίσας' Β 772 ἐν ἴσῳ τῷ ἐπιμηνίσας·* ubi uelim animaduertas et hoc fragmento illustrari, quam recte affirmauerimus, et omnis eruditionis elementa fundumque grammaticarum atque etymologicarum quaestionum in Homeri carminibus reponi, et unum eundemque esse Heraclidem apud Eustathium et Ammonium.

Iuuat omnem materiam ita distribuere, ut primum de etymologicis Heraclidae studiis ad Homerum pertinentibus disseramus, deinde uocum homericarum grammaticas explicationes examinemus. Atque quod p. 107 obiter contendimus maiorem quas Orio Heraclidae nomine insigniuit, etymologiarum nume-

1) Apud Maittaire, de dial. graec., ed. Sturz p. 477.

2) Eust. 831, 62. Fauor. ecl. 182, 27.

3) De synt. IV p. 334 B; cf. IV p. 332, ubi Apollonius suo iure improbat *ὡς τὸ εἰσὸ παρὰ τὸ ἕως ἐπίρρημα ἐσχημάτισται ἁπάντων τῶν παρεπομένων ἐν ὑπερβάτῳ γενομένων! ὁ γὰρ χρόνος ὁ ἐπὶ τὸ τέλος* (leg. *τοῦ τέλους*) *μετήει ἐπὶ τὸ ἄρχον, καὶ τὸ ἐπὶ τέλους ε̄ ἐν μεσότητι παρελαμβάνετο καὶ ἡ ἐν ἀρχῇ ὀξεῖα μετετίθετο ἐπὶ τὸ τέλος.*

rum Milesio abiudicandum esse, ut quae Heraclidae Milesii rationem deriuandi minime gererent, et Apollonii locis confirmaui et explicatissimo nunc probaturi sumus exemplo. Perbene enim accidit, ut unum idemque fragmentum dignum haberet Eustathius, quod tribus locis in commentarios reciperet [1]), nobis sane haud inuitis uiam planans ut ab omni parte emendatum exhiberemus.

Eust. 1647, 61 *τὸ ἔρρ' ⟨ἐκ νήσου⟩ κ 72 ἑρμηνεύουσι οἱ Ἀριστάρχειοι 'μετὰ φθορᾶς ἄπιθι' ἐξηγούμενοι ἐκεῖνοι οὕτω*
1647, 62 *καθ' Ἡρακλείδην ἐπεὶ ἐκ τοῦ φθείρω γίνεται | τὸ ἔρρω παρ-*
έσει τοῦ φ̄ καὶ θ̄. Ἴδιον γὰρ Ἰώνων καὶ Αἰολέων τὰ τῶν
63 *λέξεων πρῶτα σύμφωνα αἴρειν | εἴτε ἓν τύχοι ὂν οἷον λαιψη-*
ρὸς αἰψηρὸς ⟨πήγανον ἤγανον, δεινὸν αἰνὸν⟩, εἴτε δύο ⟨οἷον⟩
πλευρὰξ εὐρὰξ τὸ παρὰ πλευρὰν ἤτοι πλάγιον ἐπίρρημα ποιό-
τητος ⟨παρ' Ὁμήρῳ οἷον στῆ δ' εὐρὰξ Λ 211 καὶ παρὰ Λυ-
1648, 1 *κόφρονι 920⟩· οὕτω γοῦν καὶ τὸ φθείρω εἴρω, | ἐξ οὗ Αἰολι-*
κῶς ἔρρω ὡς κείρω κέρρω, δείρω δέρρω· Αἰολεῖς γὰρ (φησί)
2 *τῶν τοιούτων θεμάτων τὴν παρατέλευτον δίφθογγον ἀλλοιώ-*
σαντες καὶ μετατιθέντες τὸ ῑ εἰς ἕτερον ῥ̄ ἴδια ποιοῦσι ῥήματα·
3 *παραγαγὼν | δὲ Ἡρακλείδης πρὸς ὁμοιότητα τοῦ φθείρω εἴρω*
4 *καὶ τὸ πλάνη ἄνη καὶ ἀντιθέσει τοῦ ν̄ εἰς λ | ἄλη καὶ εἰπὼν*
ἀντιστοιχεῖν τὸ λ καὶ τὸ ν̄ [Αἰολ] ⟨Δωρ⟩ικῶς ὡς ἐν τῷ ἄνη
ἄλη ⟨καὶ πλανᾶσθαι ἀλᾶσθαι⟩ οὕτω καὶ ἐν τῷ φίλτατος φίν-
τατος ⟨οὗ χρῆσις παρ' Ἐπιχάρμῳ ἐν τῷ 'φίνται ταινίαι'⟩
5 *ἦλθεν ἦνθεν, ὃ δὴ καὶ ἐν τῷ Φίντις γίνεται παρὰ | Πινδάρῳ*

1647, 61 ⟨*ἐκ νήσου*⟩ addidi ex Eust. 756, 34. — *οἱ Ἀριστάρχειοι* cf. Aristonic. *Θ* 239 *ἡ διπλῆ ὅτι τὸ ἔρρων οὐκ ἔστι ψιλῶς παραγινόμενοι, ἀλλὰ μετὰ φθορᾶς Α*; idem *Ι* 364. — 63 ⟨*πήγανον* arcessiui ex Eust. 842, 47. — ⟨*παρ' Ὁμήρῳ* cf. Eust. 756, 29; *παρὰ Λυκόφρονι* addidi ex Eust. 842, 51. — 1648, 4 *Δωρικῶς* emendaui ex Eust. 756, 31. — ⟨*οὗ χρῆσις κ. τ. λ.* addidi ex Fauor. magno diction. s. u. *Φίντης*.

1) Eust. 756, 37; 842, 66; 1647, 61 (Fauor. s. uu. *αἰψηρός, ἀφαίρεσις, ἔρρω, Φίντης*). At ne unum quidem locum inuenisse Osannum iure miraberis, praesertim cum quinquies ipsum nomen Heraclidae apposuerit Eustathius. Multo meliore oculo usi sunt magistri Byzantini, qui hoc idem fragmentum certatim arripuerunt: Et. M. 38, 36; 226, 9; 144, 35; Et. Gud. 21, 19; Fauor. alia Orio occupauit 18, 1; 42, 11. Sed absit iniuria uerbis!

Ol. VI, 22 ⟨καὶ ἕλετο ἕντο καὶ [Δωρ] ⟨Αἰολ⟩ικῶς γέντο ⟨'γέντο δ' ἱμάσθλην' Θ 43⟩, κέλετο κέντο παρὰ Ἀλκμᾶνι⟩ καὶ παρ' Ἀττικοῖς δὲ καὶ ἐν τῷ νίτρον λίτρον καὶ πνεύμων πλεύμων λέγει καὶ ὡς ἐκ τοῦ φθείρω | γίνεται. κατὰ Δωριέας φθαίρω, 1648, 6
ἀφ' οὗ τὸ ἔφθαρκα καὶ ἐκ τοῦ κτείνω κταίνω Δωρικώτερον παρὰ Ἀλκαίῳ· | ὅμοια δὲ καὶ τὸ μεσόγειον μεσόγαιον καὶ κύ- 7
πειρον κύπαιρον παρ' Ἀλκμᾶνι· καὶ εἶθε αἴθε καὶ δεινὸς αἰνὸς παρέσει τοῦ δ Ἰωνικῇ | διαλέκτῳ· καὶ οὕτω τὸ φθείρω 8
φθαίρω Δωρικῶς, ἐξαιρέσει δὲ τῶν πρώτων συμφώνων αἴρω καὶ ὑπερβιβασμῷ κατὰ Ἴωνας ῥαίω ἐξ οὗ | αἱ σφῦραι ὁτὲ μὲν 9
ῥαιστῆρες κοινότερον ὁτὲ δὲ αἶραι οὗ χρῆσις ⟨παρὰ Καλλιμάχῳ⟩ ἐν τῷ ⟨'Λάθρῃ δὲ παρ' Ἡφαίστοιο καμίνοις⟩ ἔστρεφον αἰράων ἔργα διδασκόμενοι'. Hic addendum censeo καὶ οἱ Ἀριστάρχειοι δὲ, (φησὶ), συνᾴδουσι τῇ τοιαύτῃ ἐκ τοῦ φθείρω παραγωγῇ· τὸ γὰρ 'ἐκ νήσου ἔρρ'' κ 78 ἐξηγοῦνται 'μετὰ φθορᾶς ἄπιθι'. ὡς δὲ τὸ πληθυντικὸν τοῦ ἔρρε προστακτικοῦ τὸ ἔρρετε διὰ δύο λ γλῶσσά τίς φησι, Καλλίμαχος δηλοῖ ἐν τῷ 'ἔλλετε βασκανίης ὀλοὸν γένος'.

Nescimus profecto utrum magis miremur eruditionem summamque qua etymologias fulcire studuit, in analogiis congerendis diligentiam, an disciplinam prorsus omissam et parum temperatam libidinem, qua, quae natura dissimillima sunt, eiusdem analogiae norma coniunxit, uoces uinculo nisi similis notionis nullo religatas arreptis hinc illinc litterarum mutationibus alteram ex altera repetiuit. Lapsum esse etiam Aristarchum non ignoramus uocum etyma quaerentem; sed hac re totius antiquitatis grammaticos superauit, quod uocabulorum naturam atque notionem ex ipso Homero inuestigare maluit accurata obseruatione et interpretatione, quam ingenio indulgens lubricas tantisque impedimentis obstructas etymologorum semitas persequi. Videsis Heraclidem haec machinantem: Apoll. aduerb. p. 585, 14 Bekk. τὸ αὔτως . . . ἢ . . . δεκτέον

5 ⟨καὶ ἕλετο cf. Eust. 756, 32; αἰολικῶς Eust. 1064, 5 Exc. Or. 661, 58; locus homericus Θ 43 ex Et. M. 226, 9. — 9 ⟨παρὰ Καλλιμάχῳ' arcessiui ex Eust. 1648, 9 et Et. M. 38, 36, ubi pessime αἶρα ἢ σφαῖρα pro σφῦρα. — Cetera suppleui ex Eust. 756, 34.

θεματικόν, ἢ συγκαταθετέον Ἡρακλείδῃ φαμένῳ ὡς κατὰ στέρησίν ἐστι ⟨*τὴν διὰ*⟩ *τοῦ ᾱ οὕτως, συναλοιφῆς γενομένης τοῦ ᾱ καὶ ō εἰς μακρὸν ὡς τὸ Μενέλαος Μενέλας, Δορύλαος Δορύλας, Πτερέλαος Πτερέλας· τὰ γὰρ ἐν τῷ δέοντι μὴ γενόμενα ματαίως γίνεται· φαμὲν γὰρ ἐν τῇ δεούσῃ ποιότητι 'ποίησον οὕτως'*; cf. An. Paris. III, 125; schol. *B* Il. *α* 133. Merito tamen grauius castigaremus Heraclidem, nisi et aequam eorum rationem haberemus, quae superiores assecuti erant, ut qui analoga minime curantes et dialectorum cognitione haud pariter instructi nihil non *ὑπερβιβασμῷ, ἀποβολῇ, ἐκβολῇ, συναιρέσει, μεταθέσει, διπλασιασμῷ, πλεονασμῷ, ὑφαιρέσει, συγκοπῇ* non solum singularum litterarum (neque ullam inueni quae etymologorum scalpella et forfices effugerit), sed etiam syllabarum, deriuare et explicare conarentur. Multo certiore uia progressus est Heraclides, qui quantum nobis e fragmentis seruatis iudicare licet, nullam syncopen, nullam siue uocalium siue consonarum mutationem temptauit, quin similibus quae uidebantur, aliorum uocabulorum affectionibus tueretur.

Apponam alia pauca generis etymologici:

Eust. 1098, 13 *ἔνθα ἐνθυμητέον καὶ τοῦ Ἡρακλείδου εἰπόντος ἐν τοῖς περὶ τοῦ πιφαύσκω* (= 1654, 28—34 Os. fr. 79) *ὅτι καὶ τὸ παρ' Ὁμήρῳ ὦ πέπονες N* 120 *κατ' ἀναδιπλασιασμὸν πεποίηται* ⟨*τοῖς Ἴωσι συνήθη*⟩ *ὡς ἀπὸ τοῦ φόνου μεταπεσόντος τοῦ φ εἰς τὸ π* ⟨*Φρυγικῷ ἔθει*⟩[1]*· οἱ γὰρ Δωριεῖς τοὺς ἐπονειδίστους 'φόνους' λέγουσιν οἱονεὶ ἄξια τοῦ φόνου δεδρακότας καὶ μετὰ προθέσεως καταφόνας φασίν.* De Dorico *φόνος* aut *καταφόνης* aliunde non constat; nescio an cogitauerit de loco quodam scriptoris qualis est Pindari P. IV, 250 Bergk

Κλέψεν τε Μήδειαν τὰν Πελίαο φόνον[2])

ita codd. BDV; rell. *πελιαοφόνον*, R *πελιαφόνον*: cf. Prop. III, 19, 15 'Crimen et illa (Myrrha) fuit patria succensa senecta';

---

1) Vel *Μακεδονικῶς* ut *Βίλιππος Βερενίκη* Her. ap. Eust. 1654, 18.

2) Sic recte Chaeris emendauit: schol. Pind. P. IV, 250 (= Didym. rel. ed. M. Schmidt p. 226) *Πελίαο φόνον ὁ Χαῖρις οὐ βούλεται συνθέτως ἀναγιγνώσκειν· ... ἤτοι οὖν, φησὶν ὁ Δίδυμος, προενεκτέον τὰν Πελιαοφονὸν ὀξυτόνως ἵν' ᾖ φονευτικὴν ἢ παροξυτόνως ἥτις ἦν τοῦ Πελίαο φόνος.*

I, 11, 30 'Ah pereant Baiae crimen amoris aquae'. *Καταφόνης* autem mihi in memoriam reuocauit *Ω* 253, ubi Priamus filios castigat

Σπεύσατέ μοι, κακὰ τέκνα, κατηφόνες· αἴθ' ἅμα πάντες
Ἕκτορος ὠφέλετ' ἀντὶ θοῆς ἐπὶ νηυσὶ πεφάσθαι·
ὤ μοι ἐγὼ πανάποτμος etc.; *κατηφόνες* enim a scholiastis prorsus eisdem uerbis explicatur atque '*φόνος*' *καταφόνης* ab Heraclide.

Male *ἔθων* interpretatus est Heraclides apud Eust. 775, 29 (753, 61; 1562, 41; 452, 17) '*Ἡρακλείδης φησὶν ὡς τῶν κριτικῶν τινες . . . ὧν ἐστι καὶ* [*Τισίας*] ⟨*Νικίας*⟩[1]) *ὑπέρβατον ἔλεγον εἶναι τὸ ἔθων I* 540 *ἵν' ἔ ἀντὶ τοῦ καταθέων κατατρέχων· αὐτὸς δὲ ἐκ τοῦ ἔδω φησὶ γενέσθαι κατὰ Δωριεῖς τὸ ἔθω* ⟨*οἷον*[2]) *ἔθων Οἰνῆος ἀλφήν I* 540⟩ *οἳ καὶ τὸν μαδὸν μα*⟨*σ*⟩*θὸν*[3]) *λέγουσι καὶ τὸ ψεῦδος ψύθος*[4])· *τὸ δὲ ἔθω πρωτότυπον ὁ αὐτὸς εἶναι λέγει τοῦ ἔσθω*[5]) etc. Heraclides igitur *I* 539 *ὦρσεν . . . σῦν ἄγριον ἀργιόδοντα, ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλφήν* interpretatus est *ἐσθίων*, ut *α* 375 *ἄλλας δ' ἀλεγύνετε δαῖτας ὑμὰ κτήματ' ἔδοντες*. Sed suo iure Herodianus Il. pros. *I* 540 *τὴν ὑπό τινων φερομένην 'ἔδων' παραιτητέον· A*. Neque uero *ψεῦδος ψύθος* debebat comparare, cum uocis *ψεῦδος* radix sit *ψυθ*, cuius aspirata in mediam abiit: Hesych. *ἔψυθεν ἐψεύσατο· ψυθῶνες διάβολοι, ψύθος* Aeschyl. Agam. 465, 1059; schol. Lycophr. 235, 1219.

Quae fuerit sententia Heraclidae de 'aduerbio *εἰσό*' et praepositione *ἐπεί*, supra commemoraui. Hoc unum nunc addo, quod apud Apoll. Dysc. (synt. IV p. 334 B = Os. fr. 34) *ἀπο-*

1) 'Nicias' scripsi pro 'Tisias' de quo aliunde non constat; Niciam uero in homerica prosod. saepe laudat Herodianus, *B* 717, 839. *Γ* 240. *I* 6. *Τ* 62. *Ε* 203.

2) Suppleui ex Eust. 452, 20.

3) De Dorico *μα*⟨*σ*⟩*θός* non constat; Theocr. III, 16, 48; IV, 34 exhibetur *μασδός*; contra *μηθείς οὐθείς μηθαμόθεν μηθαμῶς* saepe in titulis doricis occurrunt.

4) Hinc corrige Et. Or. p. 168 ⟨*ψύθος τὸ ψεῦδος*⟩ *ἀποβολῇ τοῦ ε καὶ τροπῇ τοῦ δ εἰς θ ψ*[*α*]⟨*ύ*⟩*θος*; cf. Curt. Elem. Etym.² p. 464.

5) *ἔσθω* Alcm. fr. 13 p. 244 Schneidewin; Crit. eleg. 2^b, 3 p. 140 Schneidewin.

μηνίσας idem atque ἐπιμηνίσας esse contendit, ex eo profectus esse uidetur, quod codices inter ἐπιμηνίσας et ἀπομηνίσας non uno loco fluctuantur: schol. Victorian. *H* 230 ἀπομηνίσας· Ἀρίσταρχος ἐπιμηνίσας; idem *T* 62 Χαμαιλέων δὲ γράφει ἐπιμηνίσαντος, qua de re disputauit La Rochius, Hom. Textkritik p. 189 qui tamen male Apollonium illas praepositiones confudisse asseuerat. Melius haec egit Heraclides: Eust. 1385, 30 τὸ διχθὰ τριχθὰ τετραχθὰ Δωρικόν· τῶν γὰρ Δωριέων ἡ τοῦ θ ἐν τούτοις ἐπένθεσις· οὕτω καὶ ἐν τῷ μαλακὸς μαλθακὸς καὶ χαμαλὴ χθαμαλή· τινῶν δὲ εἰπόντων τὸ αὐτὸ γίνεσθαι καὶ ἐν τῷ ἦσθα ὁ Ἡρακλείδης οὐκ ἀκούει. Quo tamen iure Doricum nuncupauerit epenthesin, non assequimur.[1])

Etymologiarum agmen claudant γιγνώσκω, φράζω, πιφαύσκω in quibus ueterum grammaticorum eruditio simul et disciplinae peruersitas cum maxime apparent, ut qui ex attica plerumque profecti dialecto atticorumque proprietates uocabulorum solas genuinas arbitrati rectam sibi uiam ultro obstruxerint. Ita γ̄ in Epirotarum γνώσκω, Atticorum γιγνώσκω γνώμη ἄγνοι ξύγγνοια *γδοῦπος ἐρίγδουπος ab Heraclide (Eust. 1064, 4; 1722, 35 = Os. fr. 51) Aeolensium pleonasmus sumitur eodemque γ̄ pleonastico explicantur λημάω γλάμων παρὰ τῷ κωμικῷ eccl. 254. At quantis ambagibus dialecticisque affectionibus opus erat, ut φράζω et πιφαύσκω ab eadem stirpe repeterentur; Ἀνέκαθεν, φησὶ Ἡρακλείδης apud Eust. 1654, 14 = Os. fr. 79 ἤγουν ἐξ ἀρχῆς θεματικῆς ἔστι φῶ τὸ λέγω· οὗ μετοχὴ ἀόριστος φάσας ὡς κλῶ κλάσας καὶ συγκοπῇ φὰς οἷον 'φὰς ἔμεν ἀπτόλεμον' *I* 35 ὥσπερ καὶ κλὰς παρὰ Ἀνακρέοντι (ἀποκλάς Anacr. fragm. apud Athen. XI, 472 e)· τὸ δὲ φῶ παραχθὲν εἰς τὸ φάζω ἐξ οὗ φάσις, προσλήψει δὲ τοῦ ρ̄ φράζω ὅθεν ἡ φράσις· ἄλλως δὲ μεταληφθὲν Μακεδονικῶς καὶ ἐξενεχθὲν διὰ τοῦ β ποιεῖ τὸ βῶ βάζω Σικελικῶς κατὰ τὸ σιγῶ σιγάζω ἀνιῶ ἀνιάζω ἀτιμάζω πελάζω· ἐκ δὲ τοῦ βάζω καὶ ἡ βάξις δωρικώτερον ⟨παρὰ τῷ Μιμνέρμῳ 'καί μιν ἐπ' ἀνθρώποις βάξις ἔχει χαλεπή' καὶ 'ἀργαλέης αἰεὶ βάξιος ἱέμενοι' inserui ex Et. M. 179, 66⟩ κ. τ. λ. Nolui plura exscribere; adeas igitur

1) Curtius, El. Et. p. 604.

Osanni fragmentum 79 ubi praeterea Pamphyliorum, Lesbiorum, Tarentinorum et Boeotorum dialecti ad partes uocantur, ut unum *φράζω φράσσω* constituatur. Dilacerauerunt haec etymologi recentiores: Orio p. 37, 1; 38, 5 (cuius altera pars Philoxeno debetur: cf. Et. M. 673, 50); 135, 7; Et. Gud. 557, 13; Et. M. 179, 46; 799, 31; 673, 49. Sed ne Eustathius quidem 1654, 14 totum Heraclidae locum exscripsit. Doctissimum enim Heraclidae fragmentum An. Ox. I, 62, 16 (cf. Eust. 1398, 31; 778, 54; Os. fr. 73; 824, 30; 54, 18; Cr. An. Par. III, 72; III, 241; E. G. 367, 2; Exc. Or. 661, 31; Eust. 1654, 28, ubi apud Os. fr. 79 u. 22 nonnulla interciderunt), sic fere constituendum *Αἰολεῖς δὲ τὰ εἰς $\overline{πτω}$ λήγοντα βαρύτονα μετατιθέασιν εἰς δύο $\bar{σ}\bar{σ}$ ὡς καὶ ἡ Ὀδύσσεια δηλοῖ οἷον πέπτω πέσσω ⟨'ἄλλα δὲ πέσσει' η 119⟩ καὶ ὄπτω ὄσσω 'ὀσσόμενος πατέρ' ἐσθλόν' α 115 καὶ νίπτω νίσσω. Ταραντίνων δὲ φωνῇ γίνεται νίζω· παρὰ δὲ τὸ νίζω γίνεται νί⟨π⟩τρον ὡς μάσσω μᾶκτρον καὶ πλήσσω πλῆκτρον· καὶ παρ' Ὁμήρῳ ἡ διάλεκτος κεῖται οἷον νίζ' ὕδατι χλιαρῷ Λ 289· ὅμοιον δὲ τοῖς ῥηθεῖσι καὶ τὸ ἐνίπτω ἐνίσσω κ. τ. λ.* Os. fr. 73 p. 8 u. 3. Hinc liceat corruptissimum scholium An. Par. III cod. 2766 ad Il. *α* 120 correctum apponere *τὰ εἰς πτω λήγοντα οἱ Αἰολεῖς διὰ δύο σσ λέγουσιν οἷον πέπτω [πε]πέσσω, βλέπω οὐ σύνθετον τὸ ἀβλεπτῶ βλέσσω· παρενείραντες οὖν τὸ $\bar{υ}$ ἰδίῳ ἔθει ⟨ἐν τῷ⟩ β[α]λέσ⟨σ⟩ω ⟨καὶ⟩ παρέσ[σ]ει ⟨τοῦ β λεύσσω φασίν⟩.* Veram ille necessitudinem, quae inter uerba in *ζω ττω σσω πτω* intercedit, nostro demum tempore indagatam neque perspexit neque perspicere potuit; sed soli debemus Heraclidae quae de Tarentinorum et Siculorum uerbis in *ζω σσω* comperta habemus.[1])

Vereor sane ne aequo copiosius de rebus etymologicis disseruerim, praesertim cum ad studia nostri grammatici cognoscenda parum conferant; sed enim et hoc iuuabit ostendisse, quam per omnes recentioris aeui grammaticorum et etymologorum libros fragmenta doctrinae Heraclideae lateant dispersa, et quam neglegenter hanc praecipue materiam absoluerit Osannus.

1) Cf. Curtii El. Et.² p. 599. 601.

Quibus grammaticarum quaestionum fragmentis etymologica excipi iussi, ea Eustathius cum ex prosodia catholica, in qua Heraclides de singulis generibus, modis, temporibus uerborum, nominum casibus, ceterarum orationis partium formationibus quatenus cum accentuum et quantitatum doctrina cohaerent, disseruit, tum e libro *περὶ δυσκλίτων ῥημάτων* [1]) enotauit, in quo fusius illum de anomalis exposuisse persuasum habemus. Neque mirum potest uideri grammatici argumenti fragmenta seruata maximam partem respicere ad carmina homerica, quippe quae exoletis ac uariis uocabulorum formis redundantia Eustathius commentariis illustraturus ad ueteres grammaticos confugit, unde farraginem illam minore sane disciplina ac ratione, quam ambitione conflaret sibique eruditissimi interpretis homerici famam pararet.

Iuuat supra disputatis nunc pauca addere. Atque eidem cui ceteri grammatici, schematismo rerum naturam minime

---

1) Eadem Heraclidae fragmenta, quae Aldus Manutius in Hortis Adonidis fol. 204b, 22 — 206a, 6 edidit, La Rochius e duobus cod. Vindobon. publici iuris fecit (in programmate gymn. acad. Vindob., cui subicitur liber *παρεκβολῶν τοῦ μεγάλου ῥήματος ἐκ τῶν Ἡρωδιανοῦ*, Vindob. MDCCCLXIII) eaque multo emendatiora, quamquam ne ille quidem fons, unde haec fragmenta hausta sunt, puram Heraclidae doctrinam praebuit; cf. Eust. 1722, 35; 1064, 4 (Os. fr. 51) cum La Roche parecbol. p. 27, 21 (H. Adon. 205b, 12). Saepius tamen Eustathius his ex fragmentis potest emendari et augeri: Eust. 1714, 55 (28, 2) *πήρη ἤγουν πάρη* leg. *Πῆρις Πάρις* parecb. 27, 6; Eust. 23, 27 (Os. fr. 67) augetur parecb. 27, 10—12 (H. Ad. 205a, 26—28) et uersu hom. Il. *Δ* 281; Eust. 1383, 20 insere fragmentum Euphorionis '*δέχνυσο μῆτερ*' parecb. 27, 31; Eust. 1726, 24 adde uers. *I* 712; Eust. 28, 45 insere uu. *H* 134. *B* 41; alia. Debeo autem hoc programma summae liberalitati doctissimi humanissimi Dr. Fr. Hochegger, gymnas. acad. Vindob. directoris, cui hoc loco gratias ago quam maximas.

spectanti obnoxius est Heraclides: uetera et recentia, sono similia et re diuersa, primaria et secundaria mire confunduntur. Collatis τίθεμεν φᾰμέν formam ἔμεν primariam asseuerat; comparatis λαβόντος ἔλαβον φαγόντος ἔφαγον indagat ἐόντος ἔον. Littera τ in ἄνακτος, νυκτός (quam C. Iulius Caesar primus primariam cognouit) eodem modo atque in πτόλεμος πτόλις ἀνύτω ἀρύτω Atticorum uocatur et Cypriorum pleonasmus. Atque cum Herodianum, quo erat ingenio ac doctrina, arripuisse calamum non nisi tota materia diligenter examinata et perpensa uideamus, Heraclides haud raro operose festinat, leues spargit coniecturas, quae exposuerit male oblitus noua molitur, superiora euertit recentioribus, id quod ne Eustathium quidem fugit.[1]) Hic ἥμην ex ἕμαι repetit, illic Aeolicum contendit pro οὔμην comparato ἐκαλήμαν ἐνοήμαν. Modo ἦον, modo ἔον probat, neque ἔα genuinum repudiat. Atque his uitiis eo magis obnoxius est, quo minore formarum propinquarum ratione habita ad hanc illamue formam explicandam tota mente incubat neque id studet, una ratione ut quam plurimas formas, quantum disciplina recte temperata concedatur, comprehendat neue antea indagata posterioribus quaestionibus euellat siue neglectis quae eadem lege teneantur, siue hac illaue forma adductus nouam aequo citius rationem amplexus. Neque hoc quemquam fugere potest, qui fragmenta adhuc prolata animo reuoluerit, Heraclidem haud aliter atque in etymologicis id praecipua cura egisse, ut epicorum poetarum formationes analogis quam maxime fulciret explicaretque e ceteris dialectis petitis. His uero in latis ac nouis campis a nouis ei foueis cauendum fuit. Etenim cum Aristarchi uirtus atque disciplina celeberrima etiam hac in re cernatur, quod carmina homerica recensiturus eadem irretortis quantum par erat, oculis spectabat censebatque assiduis quaestionibus usum potissimum Homeri enucleandum[2]), ceteris uero scriptoribus nisi ubi rerum natura

---

1) Cf. Eust. 1407, 58; 1625, 60.

2) Facit huc Apollon. de pronom. 91 A — 92 A = p. 71, 22 — 72, 16 ed. Schneider; addo Apoll. de pron. 101 C = 79, 12 Schneider εἴγε τὸ ἀκριβὲς τῆς ἀναγνώσεως κατὰ αὐτὸ τὸ τοῦ ποιητοῦ σύνηθες ἐξετάζεται; de synt.

postularetur in Homerum auctoritatem esse concedendam, cum alii tum Heraclides egregiae rationi ac disciplinae Aristarchi male obtemperans e finibus bene circumscriptis aequo liberius egressus, homericas cum ceterarum dialectorum proprietatibus inique confudit, de linguae uetera mutandi nouaque generandi studio obseruandi sibi ipse uiam obstruxit. Quamquam igitur interdum diiudicare non possumus, quonam iure grammatici ueteres haec illaue ex aliis dialectis ab Homero in carminum Ionicorum elocutionem recepta dicamus, cum in titulis frustra quaerantur, attamen hoc negare non possumus, grammaticos ueteres saepissime a uia recta aberrasse, cum ʻseuerioris sane disciplinae subsidiis et in primis ratione quae aetatum demum decursu excolitur historiam linguae et dialectorum contemplandi' quam maxime destituti fuerint. Iam ad singula accedimus.

Atque quae de homericis *ϑεῖο, βλεῖο, διακρινϑεῖτε* Eustathius ex Heraclidae libris enotauit, ut nunc leguntur, ineptissima sunt: Eust. 1756, 13 = Os. fr. 64 s. fin. Emendaturi proficiscimur a uerbis *ἀπὸ τῆς εἴς μετοχῆς* et Eust. 1907, 42 *ἐγκρίνει δὲ* (scil. *Ἡρακλείδης φ* 195 ʻ*ποῖοι κ' εἶτ' Ὀδυσῆϊ ἀμύνεμεν*') *τὸ εἶτε ἀντὶ τοῦ εἴητε λέγων ὅτι ἡ ἀρχαία Ἀτϑὶς τὰ τοιαῦτα εὐκτικὰ συγκόπτει . . . κοσμηϑεῖτε Β* 126 *καὶ διακρινϑεῖτε Γ* 102 *καὶ εἶτε φ* 195· *ἐν οἷς δὲ ταῦτά φησι, λέγει καὶ ότι τὸ εἴπερ γάρ κε βλεῖο πονεύμενος, ὅπερ ἐν Ἰλιάδι Ν* 288 *κεῖται, εὐκτικόν ἐστιν κ. τ. λ.*, quod fragmentum cum altero (1756, 13 = Os. fr. 64) coniungendum esse apparet. Haec igitur Heraclidem scripsisse pro certo habeo: *Κακῶς νοοῦσι ὅσοι τὸ ʻεἴπερ γάρ κε βλεῖο πονεύμενος' ὅπερ ἐν Ἰλιάδι κεῖται Ν* 288, *προστακτικὸν εἶναι βούλονται· ἔστι γὰρ εὐκτικὸν καϑ' ἔϑος τῶν Σικελῶν· οἱ γὰρ Σικελοὶ ἀπὸ τῶν εἰς* $\overline{εις}$ *μετοχῶν ποιοῦσι τὸ εὐκτικὸν οἷον ϑεὶς ϑεῖο, βλεὶς βλεῖο· πᾶν δὲ τοιοῦτον εὐκτικὸν εἰς* $\overline{ο}$ *λῆγον παρὰ Σικελοῖς ἀπὸ τῶν εἰς* $\overline{εις}$ *μετοχῶν μεταβάλλον τὸ* $\overline{ο}$ *εἰς* $\overline{ε}$ *τὸ πληϑυντικὸν ποιεῖ προσϑέσει τοῦ* $\overline{τ}$ *ϑεῖο ϑεῖτε, σφαγεῖο σφαγεῖτε καὶ Ὅμηρος ἀπὸ τῶν παρ' ἡμῖν*

I, 38 p. 77 *φαίνεται ὅτι τὸν Ἀρίσταρχον ἐκίνει τὸ ἔϑιμον τοῦ ποιητοῦ, ὃς συνήϑως ἐλλείπει τοῖς ἄρϑροις κ. τ. λ.*

διακρινθεὶς καὶ τοῦ ἐκεῖθεν Σικελικοῦ διακρινθεῖο ἔφη τὸ 'διακρινθεῖτε τάχιστα' Γ 102. καὶ ἀπὸ τῆς εἷς μετοχῆς (addo Eust. 1787, 44 ἧς κλίσις παρὰ τοῖς ποιηταῖς εἰπὼν φυλάττεσθαι παράγει (scil. Ἡρακλείδης) χρῆσιν ἐξ Ἀλκμᾶνος τὸ 'ἔστι παρέντων μνᾶστιν ἐπιθέσθαι', οὐ κατὰ ἔξαρσιν φησι τοῦ ο̅ ἀπὸ τοῦ παρεόντων, ἀλλ' ἐκ τοῦ εἷς ἔντος Αἰολικοῦ) καὶ τοῦ ἐκεῖθεν Σικελικοῦ εἶο τὸ εἶτε οἷον 'ποῖοι κ' εἶτ' Ὀδυσῆι ἀμύνεμεν' φ 195. ἁμαρτάνουσι δέ τινες γράψαντες τὸ ποῖοι κεῖτέ, καθότι ὁριστικὸν ῥῆμα τῷ κε̅ συνδέσμῳ ὑπάγουσιν ὃς ἑκάστοτε ὑποτακτικὸν αἰτεῖ ἢ εὐκτικόν· Ἄλλοι δὲ τὰ τοιαῦτα ἔλεγον συγκεκόφθαι, οἷον τὸ διακρινθεῖτε ἐκ τοῦ διακρινθείητε καὶ τὸ εἶτε ἀπὸ τοῦ εἴητε· καὶ ἡμεῖς δὲ οὐ διαφερόμεθα αὐτοῖς· οὐ γὰρ ἄτοπον αὐτὰ κατὰ συγκοπὴν ἐξενηνέχθαι· ἡ γὰρ ἀρχαία Ἀτθὶς τὰ εὐκτικὰ συγκόπτει κατ' ἔξαρσιν μιᾶς συλλαβῆς οἷον τὸ ⟨δια⟩κοσμηθείημεν καὶ διακρινθείημεν ἀκολούθως δὲ καὶ τὸ εἴημεν ⟨διακοσμηθεῖμεν Β 126⟩, διακοσμηθεῖτε καὶ ⟨διακρινθεῖμεν⟩, διακρινθεῖτε Γ 102 καὶ ⟨εἶμεν⟩ εἶτε φ 195· τὸ δὲ 'εἴπερ γάρ κε βλεῖο πονεύμενος' Ν 288 ὅπερ ἐν Ἰλιάδι κεῖται, εὐκτικόν ἐστιν κ. τ. λ.

Neque tamen sic Heraclidem contenderim rem accurate egisse. Vellem enim distinxisset inter aoristum quem dicimus secundum medii, cuius sunt ἔβλητο, ξυμβλῆτο ζ 54. Ξ 39. 231; βλῆσθαι, ξυμβλήμενος λ 127. ο 441. ψ 274. ω 260; ξυμβλῆντο κ 105. Ξ 27. Ω 709; ξυμβλῆται (schol. η 204. P ξύμβληται· ἐντύχῃ προπαροξυτόνως) η 204; βλήεται ρ 472 et aoristum secundum actiui ἔβλην cuius sunt ξυμβλήτην φ 15, ξυμβλήμεναι Φ 578 sensu passiuo; ἐβλήθην enim apud Homerum nondum occurrit. Caue tamen cum Ahrensio[1]) facias ex Epicharmi βλείης aoristum ἐβάλην indagante.[2]) Quemadmodum enim ἔβρων e βρω, ἔσκλην e σκλη prodiit, ita βλείης nihil aliud est nisi optatiuus stirpis (βλα siue) βλε pariter atque κελ et καλ, σκελ et σκαλ inter ᾰ et ε̆ fluctuantis, e βαλ siue βελ prodiit per metathesin βλα siue βλε: cf. Curtius, de uerbo graec. I p. 190.

1) De dial. dor. p. 338.

2) Schol. cod. Ven. A ad N 288 (uide notam seq.); Hesych. βλείης· βληθείης καὶ βλεῖο ἔτι· Etym. Gud. 103, 39; An. Ox. I, 93, 3.

Recte igitur Etym. 199, 52 *βλεί⟨η⟩ς . . . ἢ ἀπὸ τοῦ βλῆμι ὁ δεύτερος ἀόριστος ἔβλην οἷον ʻπόθεν δ᾿ ὦλκος εὐπετὲς ἔβλης᾿ κίνημα γὰρ καὶ οὐ συγκοπή* scil. *ἐκ τοῦ βληθείης· οὕτως Ἡρωδιανὸς περὶ παθῶν.*[1])

Quod Heraclides tradidit ueterum Atticorum breues esse optatiui formas, Classenus et Stahlius in textu quem uocant Thucydideo constituendo probe memores adhibuere: II, 45, 1 *κριθεῖτε*; III, 42, 5 *πεισθεῖεν*; VII, 77, 7 *σωθεῖτε*, quod et codice Vaticano cui in libris VII et VIII summa fides habenda est, commendatur. Namque ad Thucydidem potissimum illis uerbis Heraclidem respexisse ex alio tibi testimonio facile persuadebis: Eust. 1946, 22 = Os. fr. 59 *παραδίδωσιν Ἡρακλείδης ὅτι Ἀττικοὶ τοὺς ὑπερσυντελικοὺς ἐν τῷ η μόνῳ περατοῦσιν ἤδη λέγοντες καὶ ἐνενοήκη· καὶ οὕτω φησὶ Παναίτιος* (addit Heraclides) *ἔχειν τὰς γραφὰς παρὰ Πλάτωνι· καὶ Θουκυδίδης δὲ κέχρηται τῷ τοιούτῳ Ἀττικῷ ἔθει κ. τ. λ.*, quo certissimo testimonio librorum ambiguitas, praesertim cum haec norma non solum consentiat cum Thucydidis, Aristophanis, Platonis consuetudine, sed etiam cum natura plusquamperfecti, cuius terminatio est $\overline{\varepsilon\alpha}$ pro $\overline{\varepsilon\sigma\alpha}$: *ἐπεπήγ-εα* = pepig-eram, respuenda est librariisque tribuenda [2]), qui recentioris plusquamperfecti formas *ᾔδειν ἐπεποιήκειν* adhibuerunt.

Quo errore uirum doctissimum Augustum Lentzium in *πεφυζότε* deceptus sit, ostendimus.[3]) Nec mirum. Cum enim sibi recte persuasisset ad Herodianum potissimum omnia fere, quae melioris notae grammaticae exstarent fragmenta, redire, audacius interdum progressus aliena admiscuit. Minime tamen eam ob rem uirum doctissimum reprehenderim memor quan-

1) Quae in cod. Venet. *A* ad *N* 288 adnotata sunt *βλεῖο βληθείης· ἔστι δὲ ἀκόλουθον μετοχῇ τῇ βλέμενος· κέχρηται δὲ Ἐπίχαρμος καὶ τῷ ἐνεργητικῷ ʻαἴ κα τὺ βλείης σφενδόνᾳ᾿· ὡς οὖν θέμενος θεῖο οὕτω βλέμενος βλεῖο· τὸ δὲ βλείης τῇ βλεὶς παράκειται·*, ex Herodiani Il. prosodia desumpta putauit Lehrsius, sed in ordinem fragmentorum recipere dubitauit Lentzius, quamquam technologiam redolent Herodianeam.

2) Cf. Cobet, nou. lect. 212—222. 277; Curtius, de uerbo II, 237.

3) Cf. p. 113 nostrae dissert.; cum Lentzio fallitur Hinrichsius l. l. p. 42 sq.

tum ille laborem sustinuerit, cum non solum Herodianea discernere atque inuestigare, memoria tenere sed etiam ceterorum grammaticorum, quorum nomina ab epitomatoribus fere omissa sunt, perlustrare et amplecti deberet. Sed tamen dubito an Lentzius eadem iniuria Herodiano II, 326, 1 tribuerit, quae exstant apud Fauor. 224, 6; Etym. M. 419, 20; congruunt enim cum Heraclideis apud Eust. 1946, 23 nec non idem de plusquamperfecto *ἤδεα* testimonium e Callimacho enotatur utroque loco.

Atque Heraclidae de *πεφυζότε* sententiam quodammodo probauit Curtius, ut a *φύζω* = *φυγjω* profectus praesentis consonam determinatiuam eadem ratione in perfecto seruatam arbitretur [1], qua in *πέποσχα* (Epich. fr. 7 Ahr.), *πεφύγγων* Alcaei, *λέλογχα*, *κέχανδα* aliis; uide quae disseruit uir doctissimus de *πεφυζότες μεμυζότες λελειχμότες* uerb. II p. 202, elem. etym.[2] p. 432. *Ὀλίζων* uero et *ὄλιζον* comparatiua esse perspexit Herodianus Il. pros. Σ 519 et ad antiquissimam Ionum consuetudinem pertinere discimus ex uetusto titulo Attico (*ὀλείζοσι* praebente) hanc formam, quae ab aliis alii dialecto tribuitur. Interdum tamen uis comparatiua in positiuam abiisse uidetur eoque niti Heraclidem argumento *ὄλιζον* recentioribus Ionibus adiudicantem pro *ὀλίγον* et cogitantem de epica dialecto Lycophronis (u. 627 *μετοχλίσας ὄλιζον* paullulum relaxans), Nicandri (Ther. 372 *μετ' ἀμφίσβαιναν ὀλίζονα καὶ μινύθουσαν*; schol. *μικρὰν καὶ βραδεῖαν*; Ther. 212 *ἀν' Εὐρώπην ὀλίζονα*), aliorum.

Iam cetera quibus participium perfecti actiui illustrauit Heraclides fragmenta paucis examinemus. Minime ueterum erat grammaticorum primariam perspicere formationem in participiis *λελακυῖα* μ 85, *μεμακυῖαι* Δ 435, quae per systolen Ionicam e *λεληκώς* Χ 141, *μεμηκώς* Κ 362 deriuantur ab Aristarcho et Heraclide, comparatis *μεσαμβρία* Herod. III, 104; IV, 14 *ἀμφισβατέειν*, *ἀμφισβασίη* Herodot. VIII, 81; IX, 74; tit. Mytilen. 2166, 20 (Olymp. 114, 1), *Πῆρις Πάρις*. Aduersis

1) Curtius, de uerb. I, 321 'Herodiani'.

nunc frontibus huiusmodi participia homerica componamus: ἀρηρώς *Δ* 134. *κ* 553, ἀραρυῖα[1]) *M* 56. *ε* 361. *Ξ* 181, λεληκώς *X* 141, λελακυῖα *μ* 85, μεμᾱώς[2]) *B* 818. *N* 197, μεμᾰυῖα *Δ* 440, μεμηκώς *K* 362, μεμακυῖαι *Δ* 435, (σεσηρώς Arist. pac. 620, σεσαρυῖα Hes. scut. 268), τεθηλώς *M* 103, τεθαλυῖαν *I* 208, ad quae accedunt πεπαθυῖα *ρ* 555, πεφυυῖα *Δ* 513. *Ξ* 288. Vides in omnibus terminationem $\overline{υια}$ quae prodiit ex *υσια[3]), stirpi ita annexam esse, ut uocalis stirpis non mutaretur. Aliter se habent: κεκληγώς *B* 222. *E* 591. *N* 755, κεκληγυῖα Hes. opp. 451 (κεκλαγγυῖα Xen. Cyneg. III, 9; VI, 23), πεπληγώς *X* 497, πεπληγυῖα *E* 763, πεπτηώς *ξ* 354. *χ* 362, πεπτηυῖαι *ν* 98 (Ap. Rhod. II, 535), τετρῑγῶτες *B* 314, τετρῑγυῖα *Ψ* 101. *ω* 9, τετρηχυῖα *H* 346. Apparet enim talium uerborum[4]) syllabam reduplicatione ortam positione longam esse et hac de causa nihil aliud relinqui poetae, nisi ut femininum antepaenultimae auctae adhiberet.[5])

Quae supra enumeraui participia, his addidit nouum Heraclides apud Eust. 1700, 39 = Os. fr. 57 τρίτος (παρακείμενος) παρ' Ἴωσι δίχα τοῦ κ πεφίληα, γεγήθηα οἷς, φησί, καὶ Ὅμηρος χρῆσθαι εἴωθεν ἐφ' ἑτέρων ῥημάτων, ὡς ὅτε ἐκ τοῦ τετύχηκα τετύχηα λέγει 'διαπρύσιον τετυχηώς' *P* 748 quod, si cetera comparaueris κεκαφηώς *E* 698, κεχαρηώς *H* 312, τετιηώς

---

1) Hes. Theog. 608 ἀρηρυῖαν *MEOv*, metro postulatur; ceteri codd. ἀραρυῖαν; Hom. hymn. Herm. ἐδηδυῖαι recentioris aetatis est: cf. Rzach, Dialect des Hesiod, in Fleckeiseni Annal. uol. suppl. VIII (1875/76) p. 445.

2) μεμᾰότες *N* 182. *K* 339.

3) Curtius, uerb. II, 229.

4) Ahrens, Mus. Rhen. 1843 p. 177 sqq.

5) Eadem 'systola Ionica', quam adhibuerunt Aristarchus et Heraclides (uide Aristonic. *I* 378. *Ξ* 25), utitur Heraclides in δήκω δάκνω; falso enim Ahrens dial. Aeol. p. 107 Herodiani sententiam Heraclidae tribuit, quam hic superioribus iam grammaticis probatam repudiauit δήκω δαγκάνω ἐξ οὗ Ἡρακλείδης συγκεκόφθαι φησὶ τὸ δάκνω κατά τινας, οἳ ἔθος φασὶν Αἰολικόν· . . . αὐτὸς μέντοι ἐκ τοῦ δήκω (quod postea in prosod. cath. ipse amplexus est Herodianus 436, 2 Lentz.) πεποιῆσθαί φησι τοῦτο κ. τ. λ. = Eust. 28, 44 (Fau. 232 = Os. fr. 61) quare nescio num recte G. Curtius uerb. I p. 223 praesenti δήκω locum denegauerit: cf. Hippon. chol. 28, 6 p. 215 Schneidewin.

I 30, *βεβαρηώς* *γ* 139, *κεκοτηώς* *Φ* 456, *κεκορηώς* *σ* 372, *τετληώς* *υ* 23, *πεπτηώς* *ξ* 354, fortasse mecum duces *ὁμηρικώτερον* et elegantius quam uulgatum et recentiorem redolens aetatem *τετυχηκώς*, praesertim cum *τετυχηκώς* solo *δεδαηκότες* *ϑ* 41 tueri possimus. In eis quae apud Eustathium 1700, 41 secuntur, mendum relinquitur tollendum: *τέταρτος δέ, φησὶ Ἡρακλείδης, παρακείμενος τοῦ φιλῶ πεφίλεια πρὸς ὃν Ὅμηρος ἔγραψε τὸ ‘νεκύων κατατεϑνειώτων’ Η* 409. *Κ* 343. *λ* 39 *ἐκ τοῦ τέϑνεια παρακείμενου· πέμπτος παρακείμενος ἐκ τοῦ πεφίλεια ὁ πεφίλεα διχὰ τοῦ ι, οὗ πρὸς ἀκολουϑίαν τὸ ‘ἑστεότ’ εἰν Ἀΐδαο’ ω* 203, pro quo scribendum censeo *ἑστεῶτ’ εἰν Ἀΐδαο*. Atque primum quidem Heraclides posita quarta forma *‘τεϑνειώτων’* quintam profert iota carentem, nihil addens de *ῶ* in *ό* mutato. Deinde, nisi in *ἑστεότε* omicron *μεταχαρακτηριζόντων* esse credideris, *ἑστεῶτε* norma grammatica postulatur; nam ex *ᾱο* *ἑστᾰ(ϝ)ότε* Ionum more per *ηο* euadit constanter *εω*, contra *ηο* ex uetustiore *εϝο* ortum in *εο* traducitur.[1]

Perfecti homerici ab Heraclide explicati duo adhuc restant fragmenta, alterum de formatione in *εαται*, alterum de perfectis in modum praesentium flexis. Atque de *ἕαται ἥαται εἵαται* supra disserui; nunc reliquam eius fragmenti partem illustrabo: Eust. 1885, 51; Os. fr. 65 *τούτοις δὲ ὁ αὐτὸς Ἡρακλείδης ἐπάγει καὶ ὅτι ἔνιοι τῶν Ἰώνων, οἷς ἀκολουϑεῖ, φησί, καὶ ὁ τὰ Ναξιακὰ γράψας Φιλήτας εἴτε Καλλῖνος μόνον τὸ η ἐν τοῖς τοιούτοις παρακειμένοις εἰς ε καὶ α τέμνοντες τὸ ἑπόμενον ν φυλάττουσι πεποιέανται λέγοντες καὶ γεγενέανται καϑὰ καὶ τὸ ἐγένοντο ἔγεντο* (?)· *καὶ ὅγε Ζηνόδοτος πολλάκις, φησί, παρὰ τῷ ποιητῇ οὕτω γράφει καὶ τὰ ἑνικὰ δίχα μέντοι τοῦ ν τὸ πεποίηται δ* 452 *καὶ νενόηται πεποιέαται καὶ νενοέαται κ. τ. λ.* Iure miraberis qui Philetam potuerit Heraclides collocare cum Callino! Rectum inuestigauit Meinekius[2]) aduocato Etym. M. 795, 12 *Φιλτέας . . . παρώνυμον ὡς πρῶτος Πρω-*

1) Copiosius de hac re disseruit Merzdorf, in Curt. Stud. IX p. 226. 233 sqq.

2) Anal. Alex. p. 351.

τέας, ἄριστος Ἀριστέας (addo *φίλος Φιλέας* Herodian. I, 276, 30; 287, 19; 379, 29 saepius). *Φιλτέας δέ ἐστιν ὁ καλούμενος ἱστορικὸς ὁ τὰ Ναξιακὰ* (codd. *Νάξια*) *συνθείς κ. τ. λ.* ubi codd. *MY* pro *καλούμενος* praebent *Καλλαβαῖος*, quod recte mutauit Valckenaerius in *Καλακταῖος*. Scripserat igitur Heraclides *Φιλτέας* (id quod uel falso accentu *Φιλήτας* commendatur) *ὁ Καλακταῖος*, quem laudauit Tzetzes ad Lycophr. 633: *Φιλτέας ἐν γ' Ναξιακῶν*. Ceterum persuasum habemus cum alios, de quibus hoc loco cogitauit Heraclides, tum Philteam non minus plurales in *εανται* imitatione in deterius flexa procudisse quam Zenodotum aliosque singulares in *αται*.

Ut enim in lingua sanscritica [1]), ita in Graecorum consuetudine aut *νται* aut *αται* reperimus, quae male miscuit Philetas. Zenodotum uero interdum singularem in *αται* apud Homerum admisisse Aristonicus quoque adnotauit *Π* 243 *ἡ διπλῆ περιεστιγμένη ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ἐπιστέαται* (pro singulari *ἐπίστηται*)· *ἀγνοεῖ δὲ ὅτι τὰ τοιαῦτα ῥήματα πληθυντικά εἰσιν A*; cf. schol. Victorian. *Ψ* 197 *Φλεγεθοίατο· Εὐφορίων κακῶς τῷ ῥήματι ἑνικῶς χρῆται* et An. Ox. I, 373, 29: *Παρείατο· Καλλίμαχος 'κούρη δὲ παρείατο δακρυχέουσα'* quibus apposuit Heraclides: *ἡ μέντοι Ἀριστάρχειος ἔκδοσις οὐκ οἶδεν τῇδε τῇ διαλέκτῳ χρώμενον εἰ καί τισιν ἔδοξεν ὁμοίως τῷ πεποίηται πεποιέαται οὕτω καὶ τὸ ἧνται ἕαται ἑνικὸν γενέσθαι ἕαται ἐν τῷ 'οἳ δὴ νῦν ἕαται σιγῇ' Γ 134· ὃ δὴ ἀπορραπίζει Ἡρακλείδης εἰπὼν οὐδέποτε τὸν Ὅμηρον ἑνικοῖς χρῆσθαι ῥήμασιν ἀντὶ πληθυντικῶν* [2]), *καθάπερ ἐνίοις Βοιωτῶν ἔδοξεν.* Neque uero alius ueterum neque Heraclides rationem et necessitudinem perspexit inter *ηνται* (*ηαται*) et *εαται* intercedentem, qua de re

1) Cf. Curtius, uerb. I, 92. Miror tamen, ne ullum quidem grammaticorum de terminationibus *νται*, *αται* disserentem Heraclidae adnotationem commemorasse; omnes enim summa cum fiducia tales formas nouas atque inauditas nunquam procusas esse asseuerant.

2) Schemati igitur 'Pindarico' locum in Homero denegauit Her.; cf. Lesbon. de schematt. p. 171 Valcken.; Villoisonis An. Gr. II, 95. *Πινδαρικὸν δὲ [τὸ] ⟨τὴν⟩ τοῖς πληθυντικοῖς ὀνόμασιν ἑνικῶν ῥημάτων [ἔχοντα] ἐπιφορὰν οἷον, ⟨ἇ θύεται⟩ ἄνδρες ὑπὲρ πόλιος ⟨τὸν ἱρόθυτον θάνατον⟩* Pind. fr. 78 B[4], *καὶ 'ἰαχεῖ βαρυφθεγκτᾶν [τᾶν] ἀγέλα⟨ι⟩ λεόντων* fr. 229.

haec statuit: *ἰωνικῇ τμήσει τοῦ ἦτα εἰς ε̄ καὶ ᾱ ⟨καὶ παρέσει τοῦ ν̄⟩ νενόηνται νενοέαται* Heracl. apud Eust. 1885, 47; 1946, 26; aut *ην̄ κατὰ τμῆσιν . . . ἦνται ἕαται καὶ . . . Ἀστυάγην Ἀστυάγεα, Διομήδην Διομήδεα καὶ . . . ἤδην ἤδεα* 1759, 38; aut *ἤδην ἐνενοήκην ἐπεποιήκην, ἀφ' ὧν καὶ αὐτῶν αἱ τμήσεις γένοιντ' ἂν ἤδεα καὶ ἐνενοήκεα καὶ ἐπεποιήκεα κατὰ τὸ Ἀστυάγην Ἀστυάγεα παρ' Ἡροδότῳ καὶ ἦνται ἕαται καὶ ἦν ἕα* 1946, 25. Re autem uera Homerus terminationes *αται ατο* affigit *η̄* ex *ᾱ* aut *ε̄* producto *βεβλήαται Λ* 657, *βεβλήατο Ξ* 28, *δεδμήατο Γ* 183, *κεκλήατο Κ* 195, *πεφοβήατο Φ* 206, *κεχολώατο ξ* 282: cf. Curtius, uerb. I, 92 sqq. Quae tamen tradita sunt perfecta et plusquamperfecta homerica antepaenultimam productam non gerentia: *ἕαται Γ* 134. *Ι* 628, *ἕατο Η* 414, *κέαται Λ* 826, *κέατο Ν* 763, in his Ionum cum Merzdorfio agnosco studium, quod iam in Homeri carminibus sublucens temporum decursu excolentes Iones recentiores *τὸ ἦτα* alia uocali exceptum attenuatione et metathesi uocalium deuitauerunt; etenim in Herodoti dialecto ionica constanter *εαται* adhibetur.

Sed misso iam perfecto passiuo transeundum est ad perfecta praesentium in modum declinata, de quibus disseruit Heraclides apud Eust. 1596, 2; Fau. 357, 28 = Os. fr. 75; An. Ox. I, 374, 18; Eust. 1954, 26; Cram. An. Par. III, 294. Atque grammatici commentationem sic restituo: *τὸ πέπληγον Ἰώνων καὶ Συρακουσίων λέξις ἐστὶν* [*οὗ . . . λελάθω*]· *οἱ γὰρ Σικελοὶ τὸ ᾱ τῶν παρακειμένων εἰς ω̄ μετατιθέασιν οἷον πεποίηκα πεποιήκω, πέπληγα πεπλήγω,* ⟨*οὗ ὁ παρατατικὸς ἐπέπληγον οἷον 'ἐπέπληγον πόδες ἵππων' Ε* 504 *καὶ Ἰακῶς πέπληγον ἀποβολῇ τῆς ἐκτάσεως 'πέπληγον δὲ χορὸν ποσίν' θ* 264 expleui ex An. Ox. I, 374, cum Eust. illud *Ἰακῶς* non explicasset⟩ ⟨*οὕτω δὲ καὶ λέληθα λελήθω καὶ ἰακῇ συστολῇ ὡς μέμηκα μεμα⟨κ⟩υῖα Δ* 435, *λέληκα λελακυῖα μ* 85 *λέλαθα*⟩ inserui ex An. Par. III, 294, ⟨*ἀφ' οὗ*⟩ *ἐν Ἰλιάδι τὸ 'ἐκλέλαθον κιθαριστύν' Β* 600· *Ἀριστόνικος δὲ οὐ Σικελικὰ ταῦτα λέγει*

1) Vide Merzdorfii commentat. in Curtii Stud. uol. IX p. 216 sqq., qui insuper formarum Herodotearum in *εαται εατο* catalogum adstruxit p. 217 n. 13; non tamen debebat de Heraclide Pontico cogitare p. 217 n. 12.

ἀλλ' ἀναδιπλώσεις Ἰακὰς βούλεται εἶναι κατὰ τὸ κεκάμω H 5 *λελάβω δ* 388. *κατὰ μέντοι τὸν ἀνώτερον λόγον* (seruaui uerba Eustathii) *γίνεται καὶ ἐνεστὼς πεφύκω ἐκ τοῦ πέφυκα, οὗ παρατατικὸς παρ' Ἡσιόδῳ ἐν Θεογονίᾳ* 673 *τὸ 'ἐπέφυκον' καὶ ἀπὸ τοῦ πέφυγα τὸ κατ' Ἀλκαῖον 'πεφύγγω⟨ν⟩', ⟨ὡς ἀπὸ τοῦ βέβρωθα βεβρώθω τὸ 'ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον' Δ* 35⟩ addidi ex An. Par. III, 294. Non tamen debebat Heraclides huc referre aoristum *λέλαθον*, cuius medium *λελάθοντο Δ* 127 Sapph. fr. 44 occurrit, quamquam de Hesiodeo *ἐπέφυκον* recte iudicauit. Sed de Homerico *ἐπέπληγον* uidetur adhuc sub iudice lis esse, utrum cum Aristonico ad aoristum an cum Heraclide aptius ad perfectum reuocetur. Classenus [1]) quidem aoristum defendit, qui et formis mediis proderetur *πεπλήγετο M* 162. *ν* 198, *πεπλήγοντο Σ* 51 et uersu Aristophanis au. 1350 '*ὃς ἂν πεπλήγῃ τὸν πατέρα νεοττὸς ὤν*', cum in rogationibus aoristum Graeci solerent usurpare. Sed repugnat participium *πεπληγώς B* 264. *E* 763. *X* 497, *πεπλήγοντες* Callim. hymn. Iou. 53, quo perfectum subministratur. Accedit quod in legibus saepissime praesentia uerborum adhibentur, quod cur in *πεπλήγῃ* non agnoscamus, non assequor.[2]) Quid? qui *βεβρώθοις Δ* 35; *ἱλήκῃσι φ* 365; *γεγωνῶ, κεκλήγοντες M* 125. Hes. scut. 379; *ἐπέφυκον* Theog. 151, 673; *ἐρρίγοντι* Hes. scut. 228; Alcaei *πεφύγγων* legerit, idem *ἐπέπληγον* et *ἐμέμηκον ι* 439 plusquamperfecta esse negabit? Quaeritur autem, num solis Doriensibus talem perfecti inflexionem concedamus; participia enim perfecti apud Aeolenses in eandem terminationem *οντος οντες* (nam de casibus obliquis certissima habemus testimonia) atque praesentis uulgaris exierunt: Didymus ad Il. *N* 430 *κεκλήγοντες· ἐν τῇ ἑτέρᾳ τοῦ Ἀριστάρχου κεκληγῶτες*[3]) *A. οὕτως καὶ οἱ πλείους· οὐ γὰρ ἀναγκαῖον τὸ Αἰολικὸν μέτρον μὴ ἐπείγοντος* V., et Herod. Il. pros. *M* 125 *κεκλήγοντες ὡς ἀρήγοντες· οὐ γὰρ τὸ κεκληγότες ἐπλεόνασε τῷ ν, οὐδὲ παρὰ τὸ*

1) Beobachtungen über den hom. Sprachgebr. III p. 100 sqq.

2) Cf. Curtius, uerb. II, 23 sqq.

3) Unde comperit La Rochius, Textkrit. p. 296, Aristarchum in *secunda* editione *κεκληγῶτες* praetulisse?

'*ὀξέα κεκληγώς*' *B* 222 *ἐκλίθη*, *ἀλλὰ παρὰ τὸ κέκληγα γέγονεν ὁ Συρακούσιος ἐνεστὼς κεκλήγω, ὡς παρὰ τὸ ἄνωγα ἀνώγω, πέπληγα πεπλήγω ἔνθεν τὸ* '*ἐπέπληγον πόδες ἵππων*' *E* 504. *ἀκόλουθος δὲ τῷ κεκλήγω μετοχὴ ἡ κεκλήγων βαρυνομένη ἔνθεν τὸ κεκλήγοντες* 1) AV.

Qua ex Aeolensium consuetudine repeto *κεχλάδοντας* Pind. P. IV, 74, *πεφύγγων* Alcaei et quae Hinrichsius e titulis enotauit *πεπληρώκοντα* Lesb. 2189; *κατεληλύθοντος* apud Conz. in itin. Lesb. tab. VIII, 2, 9; *ἐπιτετελέκοντα* tab. XVII, 1, 6; *πεποήκων* apud Kaibel in Cyriaci syllog. XX, 5 p. 6 quibus addo Pordosel. 2116c *κατεστακόντων*, *ἀπελ⟨ειλ⟩ύ⟨θ⟩οντες* in tit. Theban. apud Keil, Nachtrag zur Syllog. inscr. boeot. p. 34, 542, cuius formationis participia apud Dorienses nisi generis feminini non exstant.2) Enimuero ceteri modi e ratione praesentium flexi apud Dorienses latissime patent et consensui grammaticorum utique codicum ambiguitas debet cedere, praesertim cum apud Epicharmum, Sophronem, Archimedem librorum quoque auctoritas fere adstipuletur testimoniis grammaticorum3): *δεδοίκω* Theocr. XV, 50; *πεποίθεις* V, 28; *ἁλιφθερώκει* Sophr. fr. 83 Ahr.; *γεγάκειν* Pind. Ol. VI, 83; *κεχλάδειν* fr. 79 B4. Apud igitur Dorienses, quin perfectorum flexio ex analogia praesentium repetenda sit, dubitatio non potest oriri; sed Aeolensium perfecti participia in $\overline{ων}$ $\overline{οντος}$ terminantia eodem ex suffixo originem traxisse, ex quo prodierunt Ionum in $\overline{ως}$ $\overline{ότος}$, cum Giesio et Hinrichsio persuasum habeo.4)

Consulto omisi de uariis uerbi substantiui formis homericis quid statuerit Heraclides, uberius disserere; pertaesum enim

1) Hoc scholio lectiones codd. egregie illustrantur: *P* 756. 759 omnes codd. (teste La Rochio) *κεκλήγοντες*; *ξ* 30 *γρ. ὦτες*, ceteri cod. *κεκλήγοντες*; *M* 125 GL Townl. *κεκληγότες*, ceteri *-ήγοντες*; *Π* 430 LS *κεκληγότες*, rell. *-ήγοντες*; *μ* 256 M *-ῶτας*, KNS *-ότας*, HI *-ήγ$\overset{ω}{ο}$ντας*; Nom. sgl. *κεκλήγων* (cf. *πεποήκων* in tit. apud Kaibel Cyriaci syll. XX, 5 p. 6) apud Homerum non inuenitur, sed constanter *κεκληγώς* *B* 222. *E* 591. *Λ* 168. 344. *N* 755. *P* 88. *μ* 408. Hes. scut. 99, 442.

2) Cf. Ahrens, de dial. Dor. p. 331.

3) Ahrens, l. c. p. 329.

4) Cf. Hinrichs p. 121.

est tot uitia retegere ac refellere, quibus in huius uerbi formis deriuandis lapsus est. Neque enim perspexit radicem uel ut illorum more loquar τὸ θέμα esse ἐσ-μί (quamquam ne Herodianus quidem re indagata probe usus est) neque qua par erat constantia atque sagacitate ad rem incubuit; parum enim secutus, qua erat animi mobilitate et inconstantia, certas rationes, quibus singulorum temporum formas amplexus explicaret, modo hac modo illa dialecto aduocata easdem formas alio aliter loco enucleare conatus est. Sed ab hac parte laudandus est, quod ubique a traditis exorsus tradita soluere maluit quam ingenio indulgens normisque extricatis confisus noua audacter temptare: Eust. 1641, 44 (Os. fr. 78) τὸ ἤμην οὐ προσλήψει τοῦ ἰῶτα· προκριτέον γάρ, φησὶ (Ἡρακλείδης), τὴν διὰ τοῦ η γραφήν. Erant igitur qui ex εἰμὶ prodire iuberent ἤμην! Heraclides uero ἤμην traditum explicaturus confugit ad ἔομαι οὔμην quod Aeolensium more ut ἐκαλήμην ἐνοήμην in ἤμην abiret. Quin Tyrannio communi de uerbis in μι ex Aeolica dialecto repetendis sententiae [1]) obnoxius (eadem de causa uerborum εἰμί et φημί accentum ἡμαρτημένον esse arbitratus est Heraclides 1313, 20 = Os. fr. 55, mutationis minime cupidus) aeolicum accentum obtrudere Homero conatus est [2]) 'φῆμι γὰρ οὖν κατανεῦσαι' B 350, si quidem uerbis Eustathii fidem habeamus, qui pro uirili parte uerba Heraclidae cum aliis locis tum p. 1613, 16—45 = Os. fr. 55 uitiis inquinauit.

Quod fragmentum ut paucis attingam, iniuria Ahrensius reprehendit [3]) Heraclidem, cum hic non de omnibus uerbis in $\overline{\alpha\omega}$ sed de paucis tantum e coniugatione 'aeolica' in μι flexis ut *φάω φημί, στάω ἵστημι aliis cogitauerit [4]), neque

1) Quam Herodianus strenue refutauit II, 825 Lentz.

2) De enclisi a Tyrannione statuta cogitauere Lehrs, quaest. ep. 126; Bekker 'Hom. Blätter' I, 87; Goettling, de accentu p. 393; Hinrichs l. c. p. 14.

3) Eadem iniuria idem Heraclidae uertit crimini, quod participii εἷς nominatiuum ut Aeolicum uenditasset, parum memor Eust. 1787, 44, cuius uerba supra apposui p. 172.

4) Φάω inuestigauit Her. e φᾶσθαι Eust. 1641, 36 = Os. fr. 78; egregie autem Curtius, uerb. II, 374; I, 213, talia grammaticorum themata in hac

aliam ob causam Aeolensibus adscriptis, nisi quod omnia uerba in *μι* e dialecto Aeolica repetenda esse censuit. Etenim de uerbis uere aeolicis secundae classis perispomenon haec diserte affirmat 1613, 23 *ὅσα τῶν εἰς μι τῇ αι διφθόγγῳ παραληγόμενα οἷον γέλαιμι κ. τ. λ., Αἰολικὰ ὄντα τῆς Λεσβίων ἔχονται διαλέκτου.* Quis autem a se impetrabit, ut Heraclidem uno eodemque enuntiato de uerbis in *μι* aeolicis sententias inter se pugnantes prompsisse credat? Res patet. Grammatici ueteres breuiloquentia haud raro parum apta usi formas e. g. doricas nuncupant uel aeolicas, in quibus *πάθος* quoddam huic uel illi dialecto proprium deprehendere sibi uidentur ipsam formam Doriensibus uel Aeolensibus minime tribuentes.[1] Ita *εἰλήλουθμεν Ι* 49 ex Atticorum consuetudine repetiuit Heraclides propter atticam quae dicitur reduplicationem; ipsum *εἰλήλουθμεν* Atticorum esse negauit. Et Eust. 1892, 41 collatis doricis (*ἔπλεεν*) *ἔπλην*, (*ἔρρεεν*) *ἔρρην ἦν* quoque ut ex *ἔεν* ortum Doricum nuncupatur; sed ipse haud multo post *ἦς* pro *ἦν* uere Doricum esse affirmat. — In eodem quod tractamus fragmento, quomodo Osannus exhibere potuerit *Βοιώτιον ἡμί*, profecto non intellego. Nonne utitur Heraclides *μεταθέσει τοῦ η εἰς ει*? nonne addit *τὸ δεύτερον εἴς*? nonne *λέγει ὁ αὐτός, ὅτι Βοιωτοὶ τὸ η παρατέλευτον τῆς πρώτης τῶν εἰς μι μετατιθέντες εἰς τὴν ει δίφθογγον κ. τ. λ.*; itaque legendum est *οὐκοῦν καὶ ἀπὸ τοῦ ὦ εἴη ἂν αἰολικὸν ἦμι καὶ Βοιωτικῇ μεταθέσει τοῦ η εἰς τὴν ει δίφθογγον εἰμί ἡμαρτημένον ὂν τῷ τόνῳ καθὰ ἑτέρωθι λέγει ⟨ὁ⟩ αὐτός· τὰ γὰρ Αἰολικὰ δῆλον ὅτι βαρύνονται· τοῦ δὲ τοιούτου Βοιωτίου [ἦμι] ⟨εἰμί⟩ τὸ δεύ-*

illaue dialecto exstitisse adnotauit: *φᾶν λέγειν* Hesych.; *βάω* cf. tabb. Heracl. I, 68 *ἐπιβῇ*; Cratin. com. II, 88 *προβῶντες*; foed. Lacedaem. Thuc. V, 77 *ἐκβῶντες*; *ἐλάω* in Doride uulgare; *θέω* (*τίθημι*) Il. *Α* 291; Hinrichs l. l. p. 126.

1) Quae si recte disserui, Hinrichs quoque reprehendendus est qui p. 134 haec scripsit: 'balbutit grammaticus ille (apud Maittaire p. 478 ed. Sturz.) de Aeolismo *διάη* cum *ζάη* sicut in dial. Cypr. *ζάει* audire debeat'; nam grammaticus solam terminationem imperfecti respiciens collatis *ἐφίλη ἐνόη* et *διάη* Aeolicum nominauit.

τερον [εἰς] ⟨εἴς⟩ κ. τ. λ. Ceterum haec cum uerba Heraclidae et quae mox secuntur λέγει ὁ αὐτὸς ὅτι Βοιωτοὶ τὸ η̄ παρατέλευτον τῆς πρώτης κ. τ. λ. accuratius inspexissem, iam non dubitabam quin pessima illa ἵστειμι κίρνειμι pro Boeoticis uenditata deberemus Eustathii ingenio, non Heraclidae. Neque Eustathio fides habenda est inter boeotica enumeranti πεφίλειμι νενόειμι 1613, 22; grammaticus enim H. Adon. 'plerumque cum Heraclide conspirans' sola φίλειμι νόειμι praebet. Itaque suspicor solita ἀνακεφαλαιώσει usum Eustathium aliena neglegenter admiscuisse in quibus Heraclides de solo εἰμί ἐμμί ἔμμεναι disseruerat; cf. Eust. 1408, 1 δῆλον ὡς καὶ τὸ [ἔμ]⟨ἦ⟩μεναι ἀπὸ τοῦ ὦ περισπωμένου τῆς ά συζυγίας ... Αἰολιστί φαμεν ἔμμεναι καθότι οἱ Αἰολεῖς καὶ ἐν θέμασιν τὸ προηγούμενον η̄ μετατιθέντες εἰς ε̄ διπλοῦσι[2]) τὸ μ̄ οἷον πόθημι πόθεμμι φίλημι φίλεμμι: Ahrens dial. aeol. 61.

Finem uero huius fragmenti (Os. fr. 55) medicina audaci mitto aliis curandum; certe pro 'Αἰολεῖς' scribendum est: Δωριεῖς φησί φατί λέγουσιν. Ἴωνες ⟨δὲ καὶ Αἰολεῖς⟩ ἠσὶ δίχα τοῦ φ̄. cf. Hermipp. com. II, 382, 6 Meineke et Sapph. fr. 48 Ahr. ἦσι δώσομεν ἦσι πάτηρ. Multum uersauit et huc illuc torsit sententiam de ν̄ paragogico imperfectorum ἦν et ἤσκειν εἴρια καλὰ Γ 388; οὐδεὶς enim, loquitur apud Eust. 1892, 33 = Os. fr. 62 παρατατικὸς εἰς ν̄ περατοῦται ἐν τρίτῳ ἑνικῷ παρ' Ἕλλησιν. Nam τοῖς εἰς βραχὺ περατουμένοις εἶτα συναιρεθεῖσι τοιούτοις προσώποις οὐκέτι μετουσία τοῦ ν̄. Sane nouum auribus Graecorum aeui Alexandrini, minime ueterum. Etenim in titulis ionicis saeculo IV superioribus ν̄ paragogicum fere ubique conspicitur, cum inter undeuiginti uocum formas ν̄ paragogici participes sedecim ν̄ ostendant[3]): Τηΐοισιν τό, ἔδωκεν Συκαεῦσιν, ἦσιν ἡ et quod grauissimum Ἐ⟨χέ⟩δημός με ἐποίειν in tit. Miles. Ol. LXXX. Neque aliter res se habet in titulis Atticis Euclide archonte superioribus, ubi ν̄

1) P. 1442, 50 idem p. 780, 35 = Os. fr. 80 male inuexit Δωριεῖς δὲ πλεονάζουσιν τὸ σ̄ [εἰπόντες ἴσμεν] cf. p. 1892, 46 = Os. fr. 62 s. fin.

2) Cf. Curtius, Verb. II, 99.

3) Cf. Erman, de dial. Ion. in Curt. Stud. V, 278 sqq.

paragogicum, pariter atque in boeoticis titulis[1]), minime ea sola de causa positum est ne hiatus euaderet[2]), id quod recentiore demum aetate factum est.[3]) Atque cum Aristarchus et in plusquamperfectis *βεβλήκειν* *E* 661, *δεδειπνήκειν* *ρ* 359, *ἠνώγειν* *Z* 170, *ἑστήκειν* *P* 133 illud *ν̄* admiserit, iam non dubitabimus quin paruerit codicum auctoritati: Did. *Z* 170 *ἠνώγειν· οὕτως σὺν τῷ ν̄ Ἀρίσταρχος· ἠνώγεεν γάρ A*; Did. *E* 661 *Ἀρίσταρχος μετὰ τοῦ ν̄ βεβλήκειν κ. τ. λ.* Et La Rochium multis uerborum ambagibus illud *ν̄* *Z* 170. *ρ* 359 al. repudiantem ueri aliquid suboluit[4]), cum Didymi scholion *Ξ* 412 in suspicionem uocaret, quod a Kaysero[5]) emendatum propono: *οὕτως ἔξω τοῦ ν̄ [βεβλήκει] καὶ ἄνευ τοῦ ε̄ ⟨βεβλήκει⟩ Ζηνόδοτος καὶ Ἀριστοφάνης· ⟨Ἀρίσταρχος δὲ⟩ σὺν τῷ ν̄ βεβλήκειν A* cf. Did. *E* 661. Sed quid sibi uolunt apud La Rochium scholia de *ἑστήκει εἱστήκει*, quae nihil aliud nisi augmentum respiciunt? Quam uero leui argumento La Rochius praecepta Aristarchi aspernatus sit, tituli ostendunt; cf. praeterea An. Bekk. 442 *ἀπερρώγει καὶ σὺν τῷ ν̄ ἀπερρώγειν τὸ γ' πρόσωπον* et recte Aristarchus *ἠνώγειν* *Z* 170· *ἠνώγεεν γάρ*.

Sed reuertamur ad Heraclidem, qui cum tertiam *ἦν* neque ex *ἦον ἦες ἦε(ν)* neque ex *ἔε* explicari posse arbitraretur[6]), ad Doricam confugit dialectum, cuius imperfectis *ἔρρην ἔπλην* ionicis[7]) *ἔρρεεν ἔπλεεν* respondentibus etiam *ἦν* tertiam ut ex *ἔεν* Doriensium more ortam tueri se posse putauit. Atque titulis

---

1) Beermann, de dial. boeot. in Curt. Stud. IX, 59.

2) Cauer, de dial. Att. uetust. in Curt. Stud. VIII, 292.

3) Cf. Hedde Maassen, de *νυ* paragogico in Leipziger Studien 1882.

4) Textkrit. p. 194.

5) Philolog. uol. XXI p. 328, unde Curtii uerb. II, 239 sententia corrigatur.

6) Comparato Aristarcheo *κνέε* pro *κνῆ τυρόν* *Λ* 638, quod ea de causa Aristarchus temptasse uidetur (Eust. 872, 18 = Os. fr. 62 not. 27 *τινὲς τῶν Ἀρισταρχείων ἐκδόσεων '⟨οἴνῳ Πραμνείῳ, ἐπὶ δ' αἴγειον⟩ κνέε τυρόν' Λ* 638 *λέγουσιν*) ut uersum *ἐπὶ δ' αἴγειον κνῆ τυρὸν Κνήστι χαλκείῃ* nimis in spondeis remorantem paullo concitaret.

7) Egregie has formas ionicas contra Ermanum defendit Merzdorf in Curt. Stud. VIII p. 146.

quidem Dorica illa non confirmantur, cum in eis imperfecti uerborum perispomenon tertiam singularem [1]) non inueniamus; sed si homerica *ἠνώγειν βεβλήκειν*, Milesiorum *ἐποίειν*, Homeri *ᾔσκειν* respexerimus, non erit, quod Heraclidae de *ἔπλην ἔρρην* seuerioris sane Doridis testimonium respuamus.

Adnotantur interdum in scholiis lectiones quae librarii in ipsorum dialectos proniores Homero obtruserunt, ut *Φ* 351 *αἱ ἐκ τῶν πόλεων 'ἠδὲ κύπαιρον' εἶχον A*. Prorsus simile uitium (nam *κύπαιρον* Doriensium esse testantur Herodianus et Heraclides) [2]) e codicibus quibusdam Heraclides enotauit apud Eust. 722, 58; 1726, 24 = Os. fr. 66 *'οὐ μέντον κάμετόν γε μάχην ἀνὰ κυδιάνειραν'* *Θ* 448. Quam lectionem cur Osannus q. h. IV p. 20 in Iliadem ab Heraclide 'recognitam' rettulerit, non intellegimus. Quid enim legimus apud Eustathium? *ἔστι δὲ καὶ ἑτεροίας ἐκδόσεως γραφὴ ὑποδύσκολος καθ' Ἡρακλείδην αὕτη, οὐ μέντον* (pro *θην*) *κ. τ. λ.* Fuit cum suspicarer oculorum errori *μέντον* deberi citius ad *κάμετον* delapsorum; sed Photius tradit in lexico p. 258 *μέντοι· τὸ δὲ μέντον βάρβαρον* [3]), *[εἰ] ⟨ᾧ⟩ καὶ Χρύσιππος χρῆται*, quare non dubito quin pariter atque *κύπαιρον* in carmina homerica irrepserit [4]): Eust. 1726, 25 *ἡ δὲ διάλεκτος αὕτη ἔτι καὶ νῦν σώζεται παρὰ τοῖς ἀντιγράφοις· τὸ γὰρ . . . οὐ μέντοι οὐ μέντον λέγουσιν κ. τ. λ.*,

1) Quod Ahrens dor. 201, 1 e tabb. Heracl. enotauit imperfectum *ἐπαμώχη* (I, 15) uerbi *παμωχέω* (ibid. II, 168), coniecturae debetur.

2) Apud Eust. 1648, 7; cf. Alcm. fr. 20 p. 246 Schneidew. *κυπαιρίσκω*.

3) I. e. puro Atticistarum sermoni abiudicandum; cf. Herod. *μον. λεξ.* I, 20 *Πλάτων ἐν Ὑπερβόλῳ διέπαιξε τὴν ἄνευ τοῦ γ̄ χρῆσιν ὡς βάρβαρον λέγων οὕτως:*

Ὁ δ' οὐ γὰρ ἠττίκιζεν, ὦ Μο⟨ῦ⟩σαι φίλαι
Ἀλλ' ὁπότε μὲν χρείη διῃτώμην λέγειν
Ἔφασκε δητώμην, ὁπότε δ' εἰπεῖν δέοι
Ὀλίγον ὀλίον.

Est autem *ὀλίος* Tarentinorum teste Herod. *μον. λεξ.* I, 19 *μή τι Ταραντῖνοι χωρὶς τοῦ γ̄ προφερόμενοι τὴν λέξιν ἀναλογώτερον ἀποφαίνονται, ὥσπερ Ῥίνθων ἐν δούλῳ Μελεάγρῳ 'ὀλίοισιν ὑμῶν ἐμπέφυκ' εὐψυχία'*. Ael. Dionys. Eust. 1160, 10. Photii locum correxit Dobraeus adu. crit. I, 601.

4) Non commoramur in adnotatione Osanni ad fr. 66 rem se in q. h. V de Chrysippo tractaturum polliciti. Vana enim nos spe deceptos illinc ad superiorem locum relegauit (q. h. V p. 15).

quod fragmentum incredibili oscitantia descripserunt compilatores Et. M. 135, 44; Etym. Gud. 23, 29; An. Ox. I, 31, 30 qui pro *Ἀργείων* substituerunt [7]) *Ῥηγίνων* uel *Ῥηνῶν*. Neque Heraclides Siculis *σπείδω* attribuit, sed *πρωτότυπον* arbitratus est esse *σπείδω τοῦ σπένδω*; quod ille Siculis concesserat, his melius uisum Rheginis tribuere. Sed palmam meruit Et. Gud. 168, 50 *ἡ γὰρ Ἀργείων διάλεκτος μεταβάλλει τὸ ν̄ εἰς ῑ· τὸ γὰρ σπένδω σπείδω λέγουσιν καὶ τὸ ἔνδον εἶδον* ubi ad unum omnia pessime corrupta sunt. Nec feliciter fenerati sunt compilatores hoc fragmentum. Vix enim Herodianus (Fauor. 124, 31 ex quo lacunas Et. Gud. 73 s. u. *ἀργ⟨ενν⟩ῆσ⟨ι⟩* et An. Ox. I, 31, 28 facile explebis), quae necessitudo inter *ἀργεννός ποθεννός* et *ἀργεινός ποθεινός* intercedat, primus perspexit, cum iam Heraclides *κείρω φθείρω δείρω* cum aeolicis *κέρρω φθέρρω δέρρω* comparauerit, quod quin in adiectiuis repetiuerit ut Herodianus, non dubito. Sed etymologi qui Heraclidae de *σπένδω σπείδω τιθείς τιθένς αἰεί αἰέν* adnotationem legerant, eadem in adiectiuis *ἀργεννός ἀργεινός ποθεινός ποθεννός* explicandis, ut multiplici doctrina imbuti uiderentur, abusi sunt, id quod facile perspicies ex Et. Gud. 73, 39; An. Ox. I, 31, 28 collato Fauor. 124, 31.

Ceterum codices nostri omnes Θ 448 rectius praebent *μάχῃ ἐνὶ κυδιανείρῃ* pro *μάχην ἀνὰ κυδιάνειραν*. Cum enim praepositio *ἐν* sensu generali regionis locum quendam respiciat, in quo quis uersatur, *κατά* distributiua notione ad compluria

7) Vix recte Schneidewin Ibyci Rheg. reliq. p. 64 scripsit Et. M. 73, 44 *ἔθος ἐστὶ τῶν Ῥηγίνων διαλέκτῳ τὸ ῑ τρέπειν εἰς ν̄· τὸ γὰρ σπείσω σπένσω λέγουσι καὶ τὸ ἔνδοι ἔνδον κ. τ. λ.* Odofr. Müllerum secutus. Nam *Ῥηγίνων* corrupte legitur pro *Ἀργείων*; ut uero pro *σπείδω σπένδω* edatur *σπείσω σπένσω*, neque Eustathii uerbis conceditur (722, 61 *εἰς ἐνς, τιθεὶς τιθένς, οἷς ὅμοιον τὸ σπείδω σπένδω*; 1726, 24 *σπένδω . . . οὗ πρωτότυπον τὸ σπείδω καθ᾽ Ἡρακλείδην*; 1726, 25 . . . *οἷς ὁμοιωται τὸ σπείδω σπένδω*), neque ullius eorum, qui Heraclidae sententiam propagarunt: auctores Et. M., Gud., Anecd. Oxon., Fauorinus, grammaticus Hort. Ad., reliqui. Cf. Apoll. synt. IIII, 3 p. 313 *οὐ . . . προσκείσεται (τὸ ν̄) μετὰ τὸ σ̄, καίτοι τελικὸν ὂν πολλῶν λέξεων, καθὸ τὸ σ̄ τοῦ ν̄ οὐ προηγεῖται, ἀνάπαλιν μέντοι, ὥς γε παρ᾽ Ἀργείοις πάμπολλός ἐστιν ἡ τοιαύτη σύνταξις.*

spectet eiusdem regionis loca occupata, praepositione *ἀνά* usi sunt Graeci ut continuam rei per totam regionem propagationem denotarent; ita contagio *ἐννῆμαρ ... ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο* *Α* 53, laeta uidet Iuno Neptunum *ποιπνύοντα μάχην ἀνὰ κυδιάνειραν* *Ξ* 155, *Κοιρανέων ἐπεπωλεῖτο* Agamemno *στίχας ἀνδρῶν, ἦλθε δ' ἐπὶ Κρήτεσσι κιὼν ἀνὰ οὐλαμὸν ἀνδρῶν* *Δ* 250. *Ε* 167. Hoc uero a uers. *Θ* 448 alienum esse non est quod contra Osannum (q. h. IV p. 20) multis explicem. Codicum igitur auctoritate non solum, sed ipso sensu quoque commendatum probo *μάχῃ ἐνὶ κυδιανείρῃ* ut *Ζ* 124. *Η* 113. *Α* 409. *Π* 147, *ἐν ὑσμίνῃ* *Δ* 462. *Ε* 712, *ἐν δηϊοτῆτι* *Γ* 20. *Η* 40. *Ν* 207, *ἐν αὐτῇ* *Ρ* 167, *ἐν σταδίῃ* *Η* 241. *Ο* 283, *ἐν ἀέθλῳ* *Π* 390.

Fragmentorum seriem claudat Eust. 1443, 57 *ἦν μὲν γράφεσθαι τὴν ἄρχουσαν* (*τοῦ 'Λειώκριτος'* *β* 242) *διὰ τοῦ η̄ καὶ ō ὡς ἐκ τοῦ ληός ὁ λαός· οὗ μέμνηται Ἡρακλείδης καθ' ὁμοιότητα τοῦ νηός ναός καὶ πηός παός ὁ ἐξ ἀγχιστείας προσγενής· οὔπω δὲ ἦν ἐπὶ Ὁμήρου ἐν χρήσει τὸ ληός ὁ λαός*, quae meliore forma exstant in An. Ox. I, 265, 2 *τοῦ ναὸς τραπέντος 'ἐν πίονι νηῷ'* *Β* 549 *καὶ τοῦ παὸς 'καὶ πηῷ περ ἐόντι'* *κ* 441 *τὸ λαός· ἄτρεπτον ἔμεινε παρ' Ὁμήρῳ καίτοι τῇ μεταγενεστέρᾳ Ἰάδι τραπέν, οἷον 'ληὸν ⟨δ'⟩ ἀθρήσας' Ἱππῶναξ*.

Atque *πᾱός* Doricum quidem est (Hesych. *παῶται συγγενεῖς· Λάκωνες*) sed in uulgarem usum abiit, ortum fortasse e stirpe *πα πε-πᾱ-μαι*, cf. Callicrat. in Stob. floril. 85, 16 *ἐπίκτητοι συγγενεῖς*, Eur. Androm. 641. Uberius dicendum est de *λαός ληός*. Nam cum appellatiuum, ut recte obseruauit Heraclides, apud Homerum constanter *ᾱ* paenultimae retineat, nomina propria cum *λαός* composita alias normas secuntur. Atque in carminibus homericis plerumque etiam in nominibus propriis *λαο* seruatur: *Λαόγονος Λαόδαμας Λαοδίκη Λαοθόη Λαομέδων* quibus opponitur *Λειώκριτος* *β* 242. *Ρ* 344. *χ* 294 in quo eandem atque in *λείουσιν* *Ε* 782. *Η* 256. *Ο* 592 uocalium mutationem digammate euanescente genitam agnouerim.[1])

---

1) *λέουσι* semel occurrit *Χ* 262.

Praeterea *Ἀγέλαος* Θ 527. Λ 312. υ 321. χ 327; *Ἀρκεσίλαος* B 445. O 329; *Εὐρύλαος* Π 411; *Μενέλαος, Σθενέλαος* Π 586, sed *Ἀγέλεως* χ 131. 247, *Πηνέλεως* B 494. N 92. P 597 inter quae eadem fere ratio intercedit atque inter *Ἐχένηος* H 468, *Κλυτόνηος* ϑ 119 et *Ἀναβησίνεως* ϑ 113, *Ἀκρόνεως* ϑ 111. Homerum imitati sunt poetae elegiaci: *λαός* Callin. I, 8; Tyrt. XI, 13; Xenophan. III, 15; Theogn. 53. 781; *Χαρίλαος* Archil. 79,1; ep. 119, 3 *Ἰόλαος*; sed *Λεώφιλος* ter apud Archil. tetr. 60 p. 187 Schneid. Inde a temporibus Hipponactis *ληός* inueniri docuit Heraclides si quidem Eustathium (1443, 57) secuti recte tribuimus Heraclidae fragmentum An. Ox. I, 265, 2. Tituli quoque, ut hoc addam, in nominibus propriis fluctuantur; in uetustissimo enim Milesio saec. VI reperio *Ἡγήσανδρος καὶ* ⟨Π⟩ύ⟨ϑ⟩ιος *καὶ Ἀναξίλεως*, sed in inscriptionibus Euboeicis[1]) priore saeculi V parte exaratis occurrunt *Λαοκράτης* 105, *Λεωκράτης* 107, *Χαρίλαος* 207, *Λεύκαρος Νικοληΐδης* 138.

In Iade recentiore nomina propria in *αος* terminantia nisi ex Attica quae uocatur declinatione non flectuntur: *Ἀρκεσίλεως* Herod. II, 181. IV, 159. IV, 160; *Ἀρχέλεως* VII, 204; *Ἡγησίλεως* VII, 204. VIII, 131; *Θρασύλεως* II, 113. 116; *Νικόλεως* VII, 134; *Περίλεως* IX, 103; *Πρηξίλεως* IX, 107; *Πρωτεσίλεως* VII, 33; *Χαρίλεως* IV, 145: excipiuntur *Νικόλαν* VII, 137 *Ἀρχέλαοι* tribus Sicyonia et *Μενελάου* VII, 169, quod ab omnibus fere editoribus recte mutatum est in *Μενέλεω*. Varias tamen formas apud Herodotum induunt, quae a *λαός* exordiuntur nomina *Λαοδάμας* IV, 138. IV, 152; *Λαοδίκη* IV, 33; *Λαδίκη* II, 181; *Λαφάνης* Arcas VI, 127; *Λακρίνης* Laco I, 152; *Λευτυχίδης* (sic constanter scriptum et conferendum cum Euboeico *Λεύκαρος*); cetera nomina propria *λεω* syllabam ostendunt: *Λεωβώτης Λεωκήδης Λεωπρέπης* etc., quocum usu Herodoteo consentiunt tituli Thasii quos publici iuris fecit Miller 'revue archéolog.' XII, 139. 268. 368; XIII p. 276. Appellatiuum uero modo *λαός*, modo *λέως*, modo *ληός* scripserunt librarii Herodotei; sed Heraclidae et Herodiani II, 108

1) Cf. Mus. Rhen. uol. XXII p. 276 sqq.; Erman in Curt. Stud. uol. V.

Lentz. auctoritatem pluris quam codicum aestimandam censuerim cum Dindorfio (praef. p. 39), cum et *νηός* codicibus Herodoteis I, 183. VI, 19 commendetur.

Iam subicio indicem fragmentorum Heraclidae numeros Eustathianos cum Osannianis exhibentem:

Eust.		Os. fr.	Eust.		Os. fr.	Eust.		Os. fr.
p. 23, 19	=	n. 67	p. 1398, 31	=	n. 73	p. 1700, 31	=	n. 57
28, 44	=	61	1410, 53	=	58	1714, 56	=	61
32, 36	=	50	1411, 22	=	64 n. 1	1721, 62	=	77
44, 30	=	74	1432, 30	=	71	1722, 33	=	51
145, 35	=	51	1457, 44	=	81	1724, 30	=	35
341	=	31	1525, 10	=	60	1726, 26	=	66
452, 18	=	63^{b}	1561, 60	=	63	1755, 53	=	64
670, 62	=	52	1576, 58	=	69	1759, 1	=	59
722, 58	=	66^{b}	1596, 2	=	75	1815, 3	=	39
734, 42	=	53	1613, 16	=	55	1854, 58	=	72
734, 51	=	54	1618, 48	=	68^{b}	1885, 43	=	65
774, 54	=	73^{b}	1641, 34	=	78	1892, 31	=	62
780, 33	=	80	1642, 2	=	56	1946, 22	=	59^{b}
853, 5	=	68	1643, 2	=	70			
872	=	62 n. 27	1654, 13	=	79			

οὐθείς, μηθείς.

Von

Georg Curtius.

Ueber das Vorkommen dieser Formen statt der älteren und von den Atticisten allein gebilligten mit δ sind wir durch die Inschriften jetzt hinreichend aufgeklärt. Was durch Wecklein (Curae epigraphicae p. 30), Herwerden (Lapidum testimonia p. 61), Rutherford (New Phrynichus p. 271) und andere Gelehrte festgestellt ist, läuft darauf hinaus, dass die Formen mit ϑ im 4. Jahrhundert v. Chr. in Attica, vereinzelt auch in Nordgriechenland auftauchen und daher auch in die Litteratur dieser Zeit, namentlich des Aristoteles, obwohl ohne Consequenz (Index Aristotelicus s. v. μηθείς), und in die der späteren Zeit eindringen. Aus Kaibel's Epigrammata e lapidibus collecta bringt Rich. Wagner in seinen soeben erschienenen Quaestiones de epigrammatis e lapidibus collectis grammaticae L. 1883 p. 92 fünf Beispiele bei.

Wie aber erklärt sich dieser seltsame Vorgang? Vergebens sieht man sich nach Fällen um, in denen ein andres allgemein übliches Wort sein bis dahin unangefochtenes δ im 4. Jahrhundert in ϑ verwandelt. Dass jeder Erklärungsversuch der Aspirata von dem Ursprung des Zahlworts aus εἷς auszugehn habe, liegt auf der Hand. Aber wie kommt es, dass das Bedürfniss den spiritus asper des zweiten Bestandtheils in dem Compositum zur Geltung zu bringen, Jahrhunderte lang den Griechen fern blieb, um erst zur Zeit des Aristoteles sich geltend zu machen?

Gust. Meyer Gr. Gr. § 215 sucht diese Frage durch die Annahme eines etymologischen Irrthums oder, wie er sich ausdrückt, einer 'Verwechslung' zu beantworten. Er sagt: '*οὐθείς, μηθείς, οὐθέν, μηθέν* (nie *οὐθεμία, μηθεμία*!) offenbar in Folge einer Verwechslung von *οὐδέ* mit *οὔτε*'. Verwechslungen bedeutungsverschiedener Wörter und Wortformen sind bei den neuesten vergleichenden Grammatikern überhaupt ein sehr beliebtes Auskunftsmittel. In diesem Falle hätte diese Annahme doch nur dann die mindeste Wahrscheinlichkeit, wenn sich irgendwie nachweisen liesse, dass in jener Zeit die Griechen überhaupt unsicher in ihren negativen Partikeln wurden, so unsicher, dass nicht etwa nur von dem satzverbindenden *οὐδέ* zu *οὔτε* gelegentlich abgeirrt wurde, also in den Partikeln, die im lateinischen *neque* zusammenfliessen, sondern dass sogar das in *οὐδ' εἷς* steckende *οὐδέ ne — quidem* mit dem copulatativen *οὔτε* verwechselt ward. Bisher fehlt es, so viel ich weiss, gänzlich an solchem Nachweis für diese Periode. Für diese ist ein lautliches Abirren von *δ* zu *τ* ebenso unerhört, als das Verlernen der in vollster Blüthe stehenden attischen Prosa, das wir in Athen selbst am allerwenigsten irgendwie erwarten werden. Schon deshalb ist jener Erklärungsversuch verfehlt.

Aber es gibt noch einen andern Grund. Gesetzt — was wir bestreiten — es hätte sich bei den Griechen des 4. Jahrhunderts der seltsame Wahn gebildet, in *οὐθείς* stecke nicht *οὐδὲ εἷς*, sondern *οὔτε εἷς*, so müssten wir unbedingt auch für **οὐδεμία*, **μηδεμία οὐτεμία* und *μητεμία* erwarten. Denn dass diese Sprachverbesserer etwa für das Masculinum und Neutrum *οὔτε* für angemessen hielten, im Femininum aber das *οὐδέ* nicht antasteten, wird niemand glauben. Ich finde dies Argument schon bei Trendelenburg in seinem Commentar zu Aristoteles de anima p. 202: 'a particula *οὔτε οὐθέν* duci non potest cum propter particulae usum, tum quod *οὐτεμία* nusquam legitur'.

Sehen wir uns also nach einer andern Erklärung um. Wenn ein alter Lautbestand in einer verhältnissmässig jungen

Sprachperiode vereinzelt geändert wird, so liegt es am nächsten bewusstes Nachdenken als die Quelle der Aenderung zu betrachten. Wir hätten es also mit dem Vorgang in der Sprachgeschichte zu thun, den wir Etymologismus nennen können, das ist mit einem Theil jener übel angebrachten Sprachmeisterei oder Schulmeisterei, der unserm Jacob Grimm so sehr zuwider war. *οὐθείς* gehörte dann in dieselbe Kategorie wie das deutsche 'ohngleich', 'ohngefähr' (im Anschluss an Ohnmacht u. a.), oder mit der pedantisch gezierten Form 'die Beamteten' statt der volksthümlichen. Auch die Berlinische Betonung 'Vormittag, Nachmittag' (anders der Sänger des Liedes 'ich hab' den ganzen Vórmîttag u. s. w.') beruht wohl auf dem Streben die Herkunft des Wortes deutlicher zu machen, oder es, so zu sagen, auszukernen. Dass die Athener solche Versuche nicht verschmähten, besonders seit Prodikos *ὀρθότης τῶν ὀνομάτων* lehrte, haben wir Grund zu vermuthen. Vielleicht hängt es mit dieser um jene Zeit geschärften Beachtung solcher Dinge zusammen, dass, wie Wecklein und Rutherford beobachtet haben, schon von Aristophanes an *οὐδὲ εἷς, μηδὲ εἷς* als *παράθετα* häufiger werden, auch auf Inschriften *μηδὲ ἑνί, οὐδὲ ἕνα*. Diese Ausdrucksweisen wurden aber mit der Zeit zu schleppend und widersprachen der durch die rhetorische Bildung eingeschärften fuga hiatus. Wie wenn nun das verbundene *μηδ' ἑνί, οὐδ' ἕνα* eben dadurch, dass man sein Wissen von der Herkunft aus *εἷς* durchaus zum Ausdruck bringen wollte zu jenem med' hen, ud' heni führte, von wo zu *μηθέν οὐθενί* nur ein Schritt war.

Ungewöhnlich bleibt freilich auch so das *θ* als Aspirata von *δ*. Aber einmal darf man Erscheinungen wie diese, welche dem Kreise bewusster Umdeutung angehören, nicht mit demselben Maasse messen, wie die natürlichen Producte instinctiven Sprachlebens. Dann aber fehlt es doch nicht ganz an Fällen, in denen bei dem Mangel einer weichen Aspirata die einzige den Griechen geläufige harte für den weichen Laut der Media mit einzutreten hat: z. B. *βέβλαφα, εἴλοχα, πρόχνυ*, das anders als aus *πρό-γ(ο)νυ* zu deuten niemand gelingen

wird, und ἄνθρωπος[1]), dessen erstes Element von ἀνδρ- zu scheiden bedenklich ist. v. d. Mühll in seiner Schrift 'Ueber die Aspiration der Tenues' (L. 1875) hat darauf hingewiesen, dass die Aspiration in vielen Fällen dadurch begünstigt wurde, dass der Explosivlaut in dem Silbenauslaut zu stehen kam, so in πλοχ-μό-ς neben πλόκα-μο-ς und in dem eben erwähnten πρόχνυ.[2]) Auch in φροίμιον und im lokrischen φρίν hängt die Aspirata wohl mit der Ausdrängung des Vocals von πρό zusammen. So entstand das ϑ in οὐϑείς, μηϑέν, indem man nicht οὐ-δείς, sondern οὐδ' εἷς sprach und den Hauch um keinen Preis verloren gehn lassen wollte.

---

1) Pamphyl. ἀτρώποισι (Roehl Inscr. Antiqu. 505, 7) neben ἀδριjᾶνα (Z. 8).

2) Es scheint mir diese Wahrnehmung zu der Auffassung zu passen, welche Sievers in seinen 'Grundzügen der Phonetik' (L. 1881) S. 116 geltend macht.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

G. CURTIUS L. LANGE O. RIBBECK H. LIPSIUS

SECHSTER BAND.

LEIPZIG

VERLAG VON S. HIRZEL

1883.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

G. CURTIUS L. LANGE O. RIBBECK H. LIPSIUS

SECHSTER BAND

Zweites Heft.

LEIPZIG

VERLAG VON S. HIRZEL

1883.

INHALT.

DE

ARGUMENTORUM METRICORUM LATINORUM
ARTE ET ORIGINE

SCRIPSIT

CURTIUS RICCARDUS OPITZ.

PRAEFATIO.

Cum nihil magis dedeceat philologum quam paruulas res fastidire, quaestionem de arte et origine argumentorum Plautinis fabulis praefixorum, quam A. Lorenzius epicrisi retractandam esse censuit in Bursiani Annall. uol. 3 a. 1874/75 p. 606, libenter suscepi, praesertim cum Ribbeckius, praeceptor illustrissimus, me adhortaretur. Atque spero haud superfluam fore commentationem meam, si quae a doctis uiris usque ad hoc tempus passim prolata sunt, accurate collegero, diligenter examinauero, pro uiribus suppleuero. Verum tamen, ut firmum habeat quo nitatur fundamentum disputatio mea, initium faciam a Terentianarum fabularum periochis, — quippe quarum auctoris et nomen et aetas et condicio nota sint, — maxime propterea, quod certam quandam necessitudinem intercedere inter has et alterum genus Plautinorum argumentorum docti quidam uiri contenderunt uel etiamnunc contendunt. Ut autem tota materia exhauriatur, tractabo Vergiliana quoque argumenta et breuius alia neque data occasione ab angusta uia paullisper declinans flosculos hinc illinc carpere grauabor.

Pars I.

De periochis Terentianis et Plautinis non-acrostichis.

Quaestio 1.

De C. Sulpicii Apollinaris studiis et de argumentorum in libris manuscriptis condicione.

Auctorem argumentorum Terentianorum cognouimus ex optimo Terentii codice, ex Bembino, in quo singula sic in-

scribuntur: G.[1]) Sulpici Apollinaris periocha. Cuius docti uiri parua esset notitia nostra, nisi plura de studiis eius memoriae prodidisset grata cuiusdam discipuli sedulitas. Gellius enim, qui adulescentulus aliquamdiu Sulpicium secutus erat (Noct. Att. VII, 6, 12; XX, 6, 1), in duodecim capitibus docta quaedam responsa et similia posteris seruauit. Nomen magistri triciens commemoratur, atque nouiens 'Sulpicius Apollinaris', sexiens 'Apollinaris Sulpicius', quinquiens deciens 'Apollinaris' in eis scilicet capitibus, in quibus plenum nomen iam dictum erat, nisi quod in capite 15 libri XI 'Apollinaris noster' inuenitur nulla praeterea huius nominis commemoratione facta.

Nusquam autem 'Sulpicius' solum reperies, neque tamen uel ideo causa est, cur argumenta illa in Vergilii Aeneida a doctis uiris Apollinari attributa ab eo abiudicemus, quia in codice Vossiano sic inducuntur: 'It̃ exastica Sulpicii cartaginiẽsis in eisdem libris' cf. Anthol. Lat. c. 653 Riese. Immo cum tota artis similitudo auctorem eundem esse manifesto declaret, suspicio, qua hunc hominem Sulpicium inter Vergilianos grammaticos nominatum esse statuimus, augetur etiam eo, quod ad eundem cum probabilitate scholiorum Veronensium locus, ad Aen. IX, 369, refertur[2]) hic: 'alio loco ostendit illos a Turno missos. hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse VII, 600. Saepsit se et q. s.'.

Argumentis autem in Vossiano antecedit ut Sulpicianum epigramma de Vergilio hexastichon longe diuersum ab illo, quod eidem[3]) datur in uita Vergilii de commentario Donati sublata; cf. Suetonii reliquias ed. Reifferscheid. p. 63. Quam rem silentio praeterire non licet, quia infra ea nitemur. Quodsi quaerimus, utrum primarium sit, mea quidem sententia dubium esse non potest, quin Vossiani epigramma maiorem uim rhetoricam prae se ferat, quod ut facilius intellegatur, alterum alteri opponam:

1) De quo compendio cf. Dziatzkonem in ed. Phorm. p. 100.

2) Cf. Ribbeck. Proll. Verg. p. 173 ex.

3) Schedae Scalig. Focae dant, nimirum quia hic uitam Vergilii uersibus condidit, Anthol. Lat. carm. 671.

Cod. Voss. Anthol. carm. 653 R:

Carmina Vergilius Phrygium prodentia Martem
Secum fatali iusserat igne mori.
Tucca negat, Varius prohibet, super addite Caesar
Nomen in Aeneae non sinis esse nefas.
O quam paene iterum geminasti funere funus,
Troia, bis interitus causa futura tui.

Vita Verg. Donati:

Iusserat haec rapidis [1]) aboleri carmina flammis
Vergilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca uetat Variusque simul: tu maxime Caesar
Non sinis et Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
Et paene est alio Troia cremata rogo.

Vide igitur quanto exquisitius sit 'fatali igne — mori' quam 'rapidis aboleri flammis', tum 'super addite Caesar' scil. 'nomen in Aeneae' (L. Mueller Mus. Rhen. uol. 19 p. 121) quam 'tu maxime Caesar', inprimis autem, quanto illius duo ultimi uersus prae alterius ieiunitate eniteant. Huc accedit, quod in quarto uersu imitatorem a uera forma abduxisse uidetur huius Propertiani loci memoria IV, 3, 10 ed. Luc. Mueller [2])

'Ite et Romanae consulite historiae'.

Praeterea me non intellegere fateor, cur genuinum cum argumentis coniunctum epigramma credamus spurio esse mutatum. Neque tamen quidquam ualet L. Muelleri argumentum (Mus. Rhen. uol. 19 p. 121) — cuius sententiae adstipulatus est Comparettius [3]) —: cum prae Donati auctoritate Vossiani inscriptio sperni possit, pronomen 'haec' in Donatiani carminis u. 1 referendum esse ad ipsos subscriptos cum argumentis libros Aeneidos. Nam illud addi potuisse etiam ab imitatore, qui

1) 'Rabidis' L. Mueller Ann. Phil. uol. 95 (a. 1867) p. 800.

2) [Vidit imitationem nunc Baehrensius quoque, Poet. Lat. Min. IV p. 44, inde colligens non seriori aetati tribuendum esse hoc poema.]

3) Cf. Comparetti, Vergil im Mittelalter, quem librum in linguam Germanicam Duetschkius uertit, p. 137 adn. 3.

quidem sciret uersus Sulpicii Aeneidi praefixos fuisse, nemo est, quin uideat.

Reifferscheidii sententiam uide Quaest. Sueton. p. 404, qui ipse quoque epigramma Vossiani inter imitationes relegauit cum carminibus Anthologiae Lat. 655 et 672.[1]) (Quasdam inter c. 672 et c. 653 similitudines obseruauit Ribbeckius cf. 672, 2 nefas, u. 3 morietur, u. 7 prohibete, u. 24 iterum.) Tertiam formam illius epigrammatis, truncatam — nam aliud carmen esse u. 5 sq. parum probabiliter Riesius Anth. Lat. II p. XLVIII contendit — legimus in fine uitae Vergilii de commentario Valerii Probi sublatae, cf. Sueton. Reifferscb. p. 54, oriundam illam sine dubio ex uitae Donatianae forma, quia ultimi uersus lectionem 'non tibi sed Latiae consulis historiae', quae ieiuna est, ex hac 'non sini set Latiae consulis historiae' corruptam esse apparet.[2]) Quartam formam ab antiqua aetate omnino

1) De conexu, qui inter carmina 655 et 672 intercederet, uehementer disputauerunt Baehrensius et Riesius: cf. Baehr. Anall. Catull. p. 66 sqq.; Mus. Rhen. uol. 31 (a. 1876) p. 451 sq. et p. 608 sqq. uol. 32 p. 320 sqq. [nunc etiam Poet. Lat. Min. IV, 183]. Symbolam mihi liceat conferre, quae ad codicum scripturam recte intellegendam spectet. Carm. 672 u. 4 sqq. legimus: 'Soluetur littera diues
Et poterunt spectare oculi, nec parcere honori
Flamma suo ductumque operi seruauit (alii: serua*b*it) amorem?'
Puto: dudumquę = dudum quae o. seruauit a., et uerto: und die Augen werden es schauen und das Feuer wird die Ehre (die es geniesst) verletzen können, das doch so lange dem Werke Liebe bewahrt hat?
u. 32 sqq.: 'Quod iusserat ille
Si [sit Buechel. Ries.] uetuisse meum: satis est post tempora uitae.
Immo sit et q. s.'
latet in tradito 'satis est' 'taceat', quod primum in 'satest' uidetur corruptum esse.
Scribendum igitur: 'Quod iusserat ille,
Si (!) uetuisse meum, taceat post tempora uitae?
Immo sit et q. s.' Quibuscum conferenda sunt:
c. 655, 10 sq.: 'Nam post sua tempora uitae
Non taceat, immo et q. s.'

2) Uncis circumclusum est epigramma a Reifferscheidio ut ex Seruii genuina uita, quae non seruata sit, interpolatum, cf. Quaestt. p. 398 sq. Oblocuti sunt de Seruiana uita Hagenus scholl. Bernens. in Ann. Phil. suppl. uol. IV p. 682 adn. 1 et Comparettius Verg. i. Mittelalter p. 127 adn. 2.

abiudicandam uide in Anthol. Lat. II p. XLVIII ed. Ries. Quintam denique I. M. Toscani adfert Burmannus ad Anth. Lat. l. II, 174 p. 352.

Sed ne abripiar continua quaestiuncularum serie relegatis qui de Sulpicii Apollinaris studiis Vergilianis plura scire cupient ad Graefenhanii in diurn. ant. stud. a. 1847 p. 19 sq. et ad Ribbeckii in Prolegg. Verg. commentationes, iam quaeramus, quatenus in antiquis comicis uersatus esse Sulpicius possit putari. Quod quo facilius intellegamus, operae pretium erit, quosnam scriptores et quas litterarum disciplinas grammaticus ille amplexus sit, diligenter circumspicere. Ac mirum sane quantam prouinciam Sulpicii doctrina occupauerit. Etenim non modo recentiorum aetatum scriptores in disputationibus adhibet, praeter Vergilium (Noctes Att. 2, 16, 8; 4, 17, 11; 16, 5, 11), Ciceronem (20, 6, 11), Sallustium (18, 4, 3 sqq. et 20, 6, 14), M. Catonem M. f. M. f. (13, 20, 11), uerum etiam ex antiquioribus et ex antiquissimis fontibus argumenta haurit, ut ex Lucretio (16, 5, 7), ex Laberio (20, 6, 6 et 19, 13, 3), ex L. Sullae rerum gestarum libro (20, 6, 3), ex Quadrigario (20, 6, 11), ex Afranio (20, 6, 5), ex Graccho (20, 6, 11), ex Lucilio (16, 5, 7), ex Terentio (20, 6, 4), ex Plauto (ib. 9 et 12). Grammaticorum libros cognouit (18, 4, 11: 'etyma quoque harum uocum et origines scriptas esse dicebat in libris Nigidianis') ipsosque reprehendit, ut Caesellium Vindicem (2, 16, 8), ad Latina explicanda Graeca adhibet, uocabula (18, 4, 10 et 19, 13, 3), constructiones (20, 6, 2 et 10), prouerbium (13, 18, 3); Graecos scriptores laudat: Homerum (7, 6, 12), Aristophanem in Holcadibus (19, 13, 3). Quid quod praeter uulgarium uocabulorum formationes (11, 15, 8) etiam iuris augurii locutiones interpretatur (7, 6, 12) et de iuris libris iudicare potest Catonis (13, 20, 9)?

Ita cum Gellius Sulpicianorum studiorum praeco exstiterit, quaerat fortasse quispiam, cur Vergiliana illa et Terentiana

---

[Baehrensius Poet. Lat. Min. uol. IV p. 45 Donati epigramma ipse quoque exemplar existimans Seruio Varo, uni 'ex sexcentis illis aeui Augustei uatibus, de quibus aliunde nil nobis traditum est', uindicat.]

argumenta ne commemorata quidem apud illum reperiamus. At qui attente obseruauerit Gellii in laudandis doctis uiris rationem, sciet haud solere eum dedita opera scripta illorum enarrare, de qua re M. Hertzius in 'Ramentorum Gell. mantissa altera' p. 7 hunc in modum disseruit: '... Gellius, aequales, quos praeter omnes admirabatur et ex quorum ore pendebat, sermocinantes potius inducere quam describere solitus, ueluti Frontonis Herodisque Attici scriptorum nulla apud eum extat memoria'.

Ac pauca de ceteris Terentianis studiis praeceptoris ex Gellio discimus. Nam solum uersum Phorm. 172 profert ille (N. A. 20, 6, 4), qui quamquam in Bembino deest tamen spurius esse non uidetur. Quo uno uestigio, si quae propter periochas de textus Terentiani recensione [1]) suspicio oriri potest, sane non fulcitur, quamquam in conferendis libris manuscriptis Apollinaris uersatus est secundum Gellii quendam locum [2]), qui illius aetatis studia luculenter illustrat. Nec plura scimus de Plautinis Apollinaris studiis: huc quae pertinent, inueniuntur in eadem illa quaestione (N. A. 20, 6) de pronominum 'uestri', 'uestrum', 'mei' usu, ad quem illustrandum adfert Pseud. u. 3—6 et Most. u. 280 ed. Ritschelius. Praeter periochas autem aliud quid non sine probabilitatis specie Sulpicio me uindicare posse spero, epigramma illud hexastichon (Anthol. Lat. c. 734), quod aeque periochis Terentianis praemissum fuisse persuasum habeo atque praemissa sunt tria illa disticha argumentis Vergilianis. Terentius ipse sic praefatur:

Natus in excelsis tectis Karthaginis altae
  Romanis ducibus bellica praeda fui.
Descripsi mores hominum, iuuenumque senumque,
  Quicunque et serui decipiant dominos,
Quid meretrix, quid leno dolis et fingat [3]) auarus.
  Quae quisquis tentat, hic puto cautus erit.

1) Ut de Vergilii recensione cogitauerunt docti uiri cf. Ribbeck. Proll. Verg. p. 174: 'exemplar Aeneidis siue a se ipso siue ab alio aequali certe recognitum'. 2) N. A. 20, 6, 14.

3) De hoc loco cf. Baehrens. Annall. Phil. uol. 105 (a. 1872) p. 362,

Quae coniectura uide quo fundamento nitatur. In Bembino omnium fabularum periochas inuenimus praeter Andriae, quae in prioris partis mutilatione interiit. Calliopii autem recensionis hoc proprium uidetur esse, quod anonyma argumenta exhibet et Eunuchi argumento prorsus caret, nisi quod Decurtatus solus etiam hanc periocham praebet.[1]) Quodsi quaerimus, unde compensationem detrimenti sui repetiuerit hic liber manuscriptus, quamquam eius periochas ipsas quoque cohaerere cum Calliopii recensione demonstrant loci quidam [2]), tamen probabiliter quis contendat Eunuchi periocham ex ipsius Bembini si non archetypo at cognato aliquo originem ducere.[3]) Epigramma autem plenum in Dec. exstat (cf. Umpfenbach. p. XXIII), quo ex eodem fonte atque Eunuchi argumentum, scilicet ex Bembini familia, uenisse illud conicias. Itaque maxime probabile mihi uidetur etiam in Bembino, cuius initium obtruncatum est, quondam epigramma fuisse.[4])

De Bembini in periochis tradendis auctoritate dicit Umpfenbachius in fine praefationis pendere eum etiam in hac parte (scil. ut in notitiis didascalicis) a deteriore exemplari. Unde hoc sciat uir doctus, non uideo. Nam omnes fere corruptelae [5]) eiusmodi sunt, ut ab ipsius Bembini librario possint

---

qui propter cod. Lips. saec. X scripturam 'cum fingat' proponit 'confingat'.

1) In cod. Vatic. C manu saeculi undecimi argumentum pedestri oratione compositum adscriptum est.

2) Ut Ad. u. 5 sq., ubi Call. rec., in eaque Dec., habent 'famamque amoris', Bemb. solus 'famam rei amorem'.

3) Quod unam grauiorem illam discrepantiam Decurtati in u. 11 attinet: 'Ciuis [inprimis] repertus', ex antecedentis uersus uoce 'introiuit' illud glossema corrupta forma mihi uidetur repetitum.

4) In Victor. (Umpf. p. XVIII) et in Riccard. (ib. p. XXXII) in recentibus foliis additum est, omissis duobus uersibus (4 sq.) in Paris., quam fortasse rectam formam esse Riesius nescio qua de causa suspicetur. De cod. Lips. cf. p. 200 adn. 3.

5) Vide conspectum: Eun. 2 A: 'abduxit', ut in fabulae u. I, 2, 81 cf. Umpf. p. LXXXII,: aduexit; 3 ciues : ciuis; 4 idem : eidem; 5 abiit: abit; Haut. 1 Miliam : Militiam; 4 clam patre : c. patrem; 5 ac : ad; 6 'Clinia' omis.; 7 et : ut; 8 quod : quo; 10 meretricula : meretriculae; 12 alia:

esse introductae neglegentius hic munere suo fungente. Nam hoc credibile est librarios, id quod in argumentis Plautinis adhibebimus, haec poemata minus curasse quam ipsas fabulas. Ceterum alterius quoque recensionis libri multis uitiis laborant. At restant paucae, quae ad archetypum omnium codicum redeant, corruptelae, de quibus infra loquemur. Nunc Eun. u. 10 corruptum in Bemb. et Dec. emendabo: exstat in illo 'INTROIIT UITIAT', in hoc: 'introit u.', Wagner retinuit: 'introiit', Fleckeisenus et Umpfenbachius scripserunt: 'intro iuit'. At offendit perfectum, cum praesens subsequatur. Nam alia res est u. 2, ubi 'aduexit' pertinet ad tempus fabulae antecedens. Quare credo scribendum esse INTRO⟨UT⟩IIT, quae constructio legitur And. a. 5 et 9, Haut. 4, Ad. 11. Separatum a uerbo uide 'intro' exempli causa Ad. 854: 'i ergo intro'.

Itaque cum in omnibus Terentii codicibus omnia fere exstent argumenta Terentiana, Plautina non-acrosticha miram quandam dissipationem sunt experta. Etenim in libris Palatinis quattuor inueniuntur: Amphitruonis et Aululariae in BDE, Mercatoris et Militis gloriosi in BCD. Quibus ex Ambrosiano addenda sunt argumentum Pseuduli ab A. Maio primum editum, quod, ut Studemundi uerbis (comment. in honorem Mommseni p. 803) utar, 'in paginae 119 (= fasc. LXXV 1r) parte inferiore sub didascalia addidit manus recentior saeculi ut uidetur quinti (uel sexti), cuius scripturae imaginem non omnibus numeris absolutam edidit Angelus Mai' [1]); praeterea incerta 'uestigia argumenti in Persam, ab eodem homine saeculi quinti scripti' et argumenti in Stichum paruae reliquiae, quas p. 804 Studemundus expressit. 'In pagina 49, ait, postquam eadem manus, quae reliquam codicis Ambrosiani partem exarauit, uersus prologi in Casinam 38—56 conscripsit, posterior

aliam; Phor. 1: Ckremes : Chremetis; 2 Antkône : Antiphone; 3 'clam' omis.; et : ac (?); 4 unicam : unice; 5 gnatam pkidicinam : gnatum ph.; Hec. ad u. 6 infra redimus; 9 reicere : recipere; pater incusat Bacckidem: p. i. Bacchidis; Ad. 4: captus : captum; 7 eripit lenoni: l. e.; 8 ciue : ciuem; 11 et : ut; ducit ita *Aesckinus*: d. Ae.

1) Cf. M. Acci Plauti frgg. inedita Mediol. a. 1815 p. 35 n. III.

amanuensis (quem eundem fuisse atque eum, qui Pseudoli argumentum addidit, ipsum scripturae genus docet) priore scriptura abluendo fere deleta Stichi argumentum ita addidit, ut et q. s.' De tota illa argumentorum in codices distractione cum aliqua probabilitate uidentur haec statui posse. Ne credamus alius fortasse collectionis ac Varronianae reliquias esse, hoc obstat, quod omnino ad nullam praeter Varronianas fabulam argumentum habemus, quamquam sane contendat aliquis aliarum comoediarum argumenta in nostros codices non recepta facile periisse. Attamen Varronianas indicare uidetur uel hoc, quod sine dubio argumentum Amphitruonis, decem tantum senariis conscriptum, primum ab auctore conditum est, qui tum, cum sensisset decem uersuum orbe non bene circumcludi totam fabulam, reliqua quindecim uersibus scripsit. Quare non iam mirabimur, qui factum sit, ut uersuum numerus in Amphitruonis argumento cum ceterorum non congruat, neque cum Ritschelio (op. V p. 525 adn. **) — quem non defuerunt qui sequerentur — quinque uersus periisse neque cum aliis ex peculiari fonte illud manasse credemus. Habemus autem partem abruptam, nam delectus rationem non reperio. Qua in quaestione multum me uexauit quae in glossario Plautino legitur comoediarum collocatio, in quo solo priores usque ad Menaechmos fabulae secundum accuratum elementorum ordinem respectis etiam ceteris praeter initialem litteris dispositae sunt, sub finem autem hunc animaduerte ordinem: Miles, Mercator, Pseudolus, Persa, Stichus, Amphitruo (cf. Ritschel. op. II p. 238), ubi omnes eas fabulas sese excipere uidemus, quarum cognouimus argumenta non-acrosticha, nisi quod Aulularia sola separatur, quam tamen in codicibus Ritschel. testatur ibid. p. 236 sq. agitatam esse huc illuc.

Sed quoquo modo nostra argumenta ex illo ordine pendent, hoc mihi constat duo quondam fuisse argumentorum cum fabulis uolumina, quorum prius Palatinorum archetypi librarius, posterius Ambrosiani amanuensis adhibuerit. Distributae autem erant fabulae ex alphabeti ordine, ut in priore uolumine exstarent argumenta: *A*mphitruonis, *A*ulularíae, *M*ilitis

gloriosi, *M*ercatoris; in posteriore autem: *P*seuduli, *P*ersae, *S*tichi. Quare prohibenda est Studemundi sententia (l. l. p. 797), qui argumentum Mercatoris in cod. Ambros. exstitisse posse opinatur. Nimis autem audax neque ulla re commendari mihi uidetur Osanni (Diurn. ant. stud. a. 1849 p. 213) suspicio non-acrosticha superesse ex collectione argumentorum ad omnes Plauti fabulas quondam scriptorum.

Quaestio 2.

De re metrica et prosodiaca argumentorum Terentianorum et Plautinorum non-acrostichorum.

Qui docti uiri in artem metricam Plauti et Terentii inquisiuerunt, plerumque etiam, si quid in argumentis legibus inuentis repugnabat, animaduerterunt, non tam Ritschelius in Prolegomenis Plautinis quam A. Luchsius in 'Quaestionibus metricis' [1]) et O. Brugmanus [2]); neque tamen quemquam fugit inde non perspici, num omnes, quas poetae illi admiserunt, licentias argumentorum auctores ipsi quoque sibi indulserint. Quod ut statuamus, operae pretium erit, denuo argumenta sola discutere, praesertim cum quaestio de auctore magna ex parte quidem diligenti artis metricae comparatione contineatur. Itaque primum de caesuris, tum de accentus cum numeris consociatione, denique de clausulis senariorum, appendicis autem loco de metris in uniuersum, quae dicenda sint, explicabo.

A. Senarii caesura longe usitatissima, penthemimeres, in septuaginta duobus illis periocharum Terentianarum uersibus sexagiens bis ita inuenitur, ut syllaba elisa aut numeretur ut Hau. 3: 'Animique sese angebat facti paenitens'; Hau. 5: 'Ad Clitiphonem. is amabat scortum Bacchidem'; Phor. 11: 'Haberet ipse. argento hoc emitur fidicina'; Eun. 9 (ubi accedit sequentis uocis diuisio): 'Ornatu Eunuchi

1) Cf. Studemundi Studia in priscos scriptores Latt. coll. uol. I, 1.

2) In dissertatione, quae inscribitur: 'Quemadmodum in iambico senario Romani ueteres uerborum accentus cum numeris consociarint'.

induitur (suadet Parmeno)'; aut spernatur ut Ad. 7 sq.: 'Fidicinam lenoni eripit. uitiauerat Idem Aeschinus ciuem Atticam pauperculam'.

Secundariae sunt semiseptenaria et post secundum pedem caesura, quae plerumque uim suam ad aequandam illam primariam consociant in argumentis Terentianis nouiens omnino atque etiam in his exemplis: Hau. 6: 'Cum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia'; And. 11: 'Mox filiam Glycerium insperato agnitam'. Semel, ubi nomina propria concurrunt, semiseptenaria sola uersum moderatur: Hau. 11: 'Antiphila Clitiphonis reperitur soror' neque tamen unquam illa altera.

Minus frequenter Plautinorum argumentorum auctor in undeseptuaginta uersibus (nam Pseud. 1 non plenus est) semiquinaria usus est, undequinquagiens. Qui numerus non multum augetur, si primariam caesuram etiam in his uersibus statuimus: Aul. 8: 'Durús senĕx uix pro|mittit atque aulae timens'; Merc. 11: 'Eam domi de|prensam coniunx illius'; sed eadem tum statuenda erit in Phor. u. 9: 'Pater et Chremes re|uersi fremere. dein minas'.

In iis autem, qui restant, argumentorum Plautinorum uersibus duodeuiginti aperte coniunctas habemus uicarias caesuras duodeciens; neque tamen dubito etiam in his quinque illam societatem agnoscere: Amph. 7: 'uterque de|luduntur'; Merc. 5: 'Quoius sit, per|contatur'; Merc. 10: 'Vicinum prae|mercatur'; Mil. 15: 'Dimittit con|cubinam'; Pseud. 2: 'Efflictim de|peribat'. Semel in his quoque argumentis semiseptenariam — putes propter uocabulorum longitudinem — solitariam inuenimus: Pseud. 10: 'Adgreditur adulescentis seruos Pseudulus'[1]), alteram ne hic quidem solam.

In caesuris igitur paruam dissimilitudinem notamus. Quodcum rhythmi suauitas in ipsa uersus partium inaequalitate contineatur, incisionem, quae est in medio uersu, Apollinaris quoque uitauit. Admittit autem antiquorum licentias, cum sine dubitatione non modo monosyllabam uocem

1) At cum liceret exceptionem singularem euitare, equidem pro certo habeo auctorem scripsisse: 'Adgreditur seruos adulescentis Pseudulus'.

septiens (And. 3, 8, 12; Hau. 4; Hec. 3; Ad. 4, 9), uerum etiam uocabula ex duabus correptis[1]) syllabis constantia ter (Eun. 3; Hau. 7; Hec. 9) et bisyllaba (– ◡, – –) synaloepha imminuta quinquiens (And. 5, 9; Phor. 3; Hec. 11; Ad. 2) post legitimam caesuram ponit, cum trisyllaba, quae quis exspectet, (◡ ◡ ◡, ◡ ◡ –) nescio qua de causa non inueniantur. At ne polysyllaba quidem elisa sollicitanda sunt haec quattuor: And. 11: 'Mox filiam Glycerium insperato agnitam'; Hau. 6: 'Cum arcesseret cupitam Antiphilam Clinia'; Phor. 10 et 11: 'Triginta dant parasito, ut illam coniugem Haberet ipse. argento hoc emitur fidicina'. Fugiendi autem rursus sunt uersus sic tripartiti, ut incisio locum post secundum pedem et post quartum simul obtineat, quod uitium nudum omnino in uno tantum exemplo agnoscimus: Ad. 8: 'Idem Aeschinus ciuem Atticam pauperculam' (ubi nomina propria animaduertenda sunt), cum synaloepha ueletur in altero: Hau. 8: 'Habitum gerens Antiphila: factum id quo patrem'.

Ab ingrata illa in medio uersu diaeresi aeque Plautinorum argumentorum auctor abhorruit, quare plane abicienda sunt talia: Amph. 7: 'Uterque luduntur dolis mirum in modum' quod Pareus exhibet contra codd. lectionem: 'u. deluduntur d. in m. modum', ubi sine dubio 'dolis' ex u. 5 irrepsit cf. Muell. Pros. Plaut. p. 173; uel Merc. 15: 'Orat cum suo patré (nato ut cederet)', ad quem uersum restituendum Muellero l. l. p. 18 et 538 placet: 'exorat'. Sed qui fabulae exitum a u. 966 respexerit, Ritschelii emendationem 'hortatur' concedet esse aptiorem. Qui mox proposuit: 'nato ut cedat [suo]'; equidem magis probabiliter mihi uideor commendare: 'Hortatur cum suo patre, nato ut concederet' ut Eun. a. 6: 'Thrasoni oratus biduum concederet'. Nam facillime excidere potuit praepositio 'con' si compendio scripta erat, ut ipso illo Terentii loco in cod. G exstat: c̄cedere.[2])

1) Quod ne a Plauto quidem aut Terentio alienum esse Ritschel. op. V p. 508 sq. non disertis uerbis commemorat.

2) Etiam in Plautinis codicibus nonnumquam cf. Mil. u. 468: c̄meatus: CD. Altera quoque huius u. corruptela compendio explicatur: (h)ortat̄. [Ussingius scripsit: 'Orat cum suo patre una, nato ut cederet'.]

At praemissa uoce monosyllaba (–) septiens (Amph. 2; Aul. 1 et 10 (e coni.) et 13; Mil. 12; Pseud. 3 et 5), et idem tempus explenti bisyllaba (⏑⏑) semel: Merc. 15 (e coni.), et bisyllaba synaloepha deminuta (–⏑, – –) ter (Amph. 6; Aul. 14; Pseud. 12) lenitam illam incisionem anonymus non exclusit, polysyllabum autem semel tantum inuenitur Mil. 15: 'Dimittit concubinam et moechus uapulat'.

Versuum autem illam in tres partes aequales diuisionem deprehendimus semel in Plautinis quoque argumentis satis duram, sed excusatam nomine proprio: Amph. 10: 'Adulterum se Iuppiter confessus est', praeterea quater synaloepha monosyllabisque mollitam: Aul. 8; Aul. 11; Merc. 14; Pseud. 8. Itaque in his rebus consentiunt auctores.

B. Iis, quae de uersuum incisionibus disseruimus, facile est ad intellegendum ita contineri uerborum accentuum cum ictibus consociationem, ut in tertii pedis fine uocabuli exitum ponere non liceat, cum perperam uersus in duas partes discinderetur. Quae tertii pedis condicio eo magis notatu digna mihi uidetur esse, quia ceteris uersus locis iambicas quidem uoces collocare Plautus et Terentius nunquam dubitauerunt, dico iambicas, nam in primo tantum pede, licentiarum illo receptaculo, et in quinto, de quo infra uidebimus, etiam spondiacas et anapaesticas uoces admiserunt, quae in secundo et quarto tam sedulo exclusae sunt, ut poetas Graecanici usus seueritate accentuum impunitatem redimere uoluisse opineris.

Atque quoquo modo factum est, ut in medio uersu artius sese adstringerent poetae, hoc constat leniora iudicata esse iambica uocabula aliis. Cuius rei causam hanc putat esse Ritschelius (op. V p. 448 in.) quod 'aegrius in longis syllabis quam in breuibus accentus insolentia illo loco delitescere uisa' sit; contradixit Corssenus, Vocalismus II p. 992. Suo igitur Marte Brugmanus p. 52 sq. soluere hanc quaestionem conatur, cuius uerba haec sunt: 'in uocibus iambicis, quippe quae ceteris leuiores sint, accentuum et numerorum discrepantia non aeque male ad aures accidit atque in spondiacis'. Quam rationem mente non assequor, nam si ualeret, mirandum uide-

retur pyrrhichia uocabula (⏑⏑́, ⏑) fere prorsus esse repudiata. Neque uero confugio ad eorum nugas merito a Brugmano explosas p. 53, qui hanc causam sibi fingunt, quod iambicis uerbis quam spondiacis locupletior fuerit lingua Latina, — uera, si quid sentio, ratio haec est: iambicarum uocum propter impar syllabarum pondus ut posteriorem, quae est plenior atque grauior, accentu efferamus, inducimur necessitate quadam, cui repugnare non est consentaneum. Quacum sententia bene congruit, quod uoces anapaesticae, in quibus duae priores syllabae ultimam pondere aequant, minus in usu fuerunt. Ex analogia autem explicandum uidetur, quod etiam tales: ⏑́, ⏑–́|, quamquam iambica uox excusationem habet, sunt uitatae. At trochaicae et pyrrhichiae in ultimam syllabam itemque dactylicae uel tribreues in duas ultimas syllabas sonum nunquam fere assumunt apud comicos, nisi in primo [1]), quandoquidem etiam longius a cotidiani sermonis usu talia abhorrent. Itaque Hilbergus in fine libri, qui inscribitur: 'das Princip der Silbenwägung in d. griech. Poesie', quaerens (p. 278), num Romani quoque syllabas ponderare sint soliti, cum in uniuersum de uerborum accentus cum numeris consociatione uerba faciat, illam distinctionem ut certissimum indicium debuit adhibere.

Quibus praemissis Terentiana argumenta perscrutemur et Plautina, qua in re hic conspectus adhibeatur.

Inueniuntur in pede		I	II	III	IV	V
1. uoces iambicae	Ter.	6	3	—	1?	1*
	Plaut.	8	4	—	—	—
2. uoces spondiacae	T.	7	—	—	—	4+1?
	P.	9	—	—	1*	3
3. uoces anapaesticae	T.	3	—	—	—	2
	P.	1	—	—	—	—
4. uoces dactylicae	T.	2!	—	—	—	—
	P.	—	—	—	—	—
5. uoces tribreues	T.	1?	—	—	—	—
	P.	—	—	—	—	—

1) Qua in re quae praeterea exceptiones admittantur, Brugmanus p. 43 enarrauit.

Accedunt uoces polysyllabae, quarum clausula in finem pedis alicuius incidit

In pede		II	III	IV	V
ad 1	T.	5	—	17	—
	P.	9	—	5	—
ad 2	T.	—	—	—	6
	P.	—	—	—	7
ad 3	T.	1*	—	—	—
	P.	—	—	—	2

Cetera desunt. Videmus igitur in summa re congruere duorum auctorum placita et inter se et cum legibus supra propositis. Sunt tamen quaedam, quae accuratiorem tractationem postulent.

Ac primum quidem quod Apollinaris amauit uocabulum creticum post caesuram primariam positum septiens deciens, saepius quam anonymus, cuius sunt quinque exempla, discrimen est dignum commemoratione. Manifesto autem corrupta est auctoris scriptura Ad. 7, ubi Bemb.: 'Fidicinam eripit lenoni', Calliop.: 'F. lenoni eripuit', nisi quod Decurt. 'eripit' (ex: eripuit), quod retinendum est. Tum seruandum est unum illud uocis iambicae in quarto pede exemplum, Hau. 4, quia probabilior lectio 'clam patrem deuortitur' quam 'clam patre d.'. Suspectum autem inter spondiaca uocabula 'technis' Hau. 9 'Suum celaret Clitipho, hic technis Syri'. Immo comicorum forma adhibita: 'techinis', quae fortasse etiam tum legebatur in fabulae u. 471 [1]), scripsisse uidetur Sulpicius 'hic techinis Syri'.[2]) Postquam hic iambicae uocis speciem sustulimus — nam poterat aliquis etiam 'tĕchnis' suspicari —, restat unus locus satis ambiguus, Hec. 6, ubi edi solet: 'Hanc mater utero grauidam ne id sciat socrus'. Bemb. exhibet 'gr. cum comperit' Umpfenbachio, 'gr. comperit' Michaeli et Studemundo testibus omissis uerbis 'ne id sciat socrus'. Tale quid Sulpicius addidit etiam Hau. 8 sq. 'factum id quo patrem Suum celaret'. Bem-

1) Oblitterata est nunc in codicibus.

2) Quod iam Luchsius uoluit p. 65.

bini igitur lectio mihi uidetur librarii conamen lacunam casu quodam ortam explere studentis. In similem sententiam inuitus incidit cod. Vatic. librarius: 'ut uidit'. Itaque Luchsio assentiri nequeo, qui p. 65 uerba 'ne id sciat socrus' ut interpolata repudiauit, sic fere uersum refingens: 'Hanc mater utero quom esse grauidam comperit' uel similiter. Leniore equidem mutatione usus propono: 'Hanc mater utero grauidam, ne id sciret socrus'. Praeterea tamen censeo, quod plane inepto et inaudito modo appositum est ad 'grauidam', uocabulum 'utero' esse corruptum. Ni fallor, 'utero' ortum est ex 'uicio', cf. u. 2: 'uitium obtulit' et fab. u. 832: 'Philumenam compressam esse ab eo et filium inde hunc natum'.

Aul. 10 offendit uox spondiaca in quarto pede: 'huiūs Lyconidis'. Iambice legi uoluisse auctorem pronomen 'huius' nemo credet, quia duo illa exempla apud Muellerum Pros. Plaut. p. 401 iure delentur et, si iam antiquitus exstabant, pauciora sunt, quam quae imitatum esse anonymum ueri sit simile. Itaque emendandum censeo hunc uersum transpositione: 'huius facit Lyconidis'. Nam eidem, qui 'ei' ausus est Mil. non-acrost. 12, 'huius' tribui poterit; de collocatione cf. Mil. non-acrost. 6: 'illi captus militi'. Deinde in suspicionem uocandum est uocabulum choriambicum Hau. 1: 'In militiam proficisci gnatum Cliniam' et per se et propter anapaestorum concursum cf. p. 213. Nam, qualis in heroico uersu per se cogitari possit, mensura: in militiam, comicis non nisi in liberioribus metris concessa, non admittitur. Brugmani autem conamen p. 45: 'in militiam prŏficisci (cf. prŏterue Hec. 503)' non intellego, ipse 'in militiam' ut glossema supini rarissimi [1] 'militatum' eiciens scribo: 'Proficisci gnatum militatum Cliniam'. Nam probabile est auctorem Terentium ante oculos habuisse, qui eiusdem fabulae uersu 117 sq. dicit: 'In Asiam ad regem militatum abiit, Chremes Ch. quid ais? Me. Clam me profectus mensis tris abest'; et Ad. u. 385: 'Profugiet aliquo militatum'.

---

1) Cf. p. 226.

Dactylicas uoces in Terentianis tantum argumentis inuestigamus has in primo pede: Eun. u. 5: 'Thaidos amator' — et Ad. 10: 'Demea iurgare', quae tamen licentia satis mihi uidetur excusari Graecorum pronuntiatione *Θαΐδος* et *Δημέας*. Quibus exemplis addendum esset uocabulum tribreue: Hec. 4: 'Dedérat amicae', cum productionis quidem (dederāt) nullum in argumentis exstet certum uestigium. At uix mihi persuadeo, ut credam Apollinarem repudiasse hanc collocationem: 'Amicae dederat, Bacchidi meretriculae'.

C. Iambicum in quinto pede cur uitetur uocabulum, recte sensisse mihi uidetur Brugmannus p. 17 hoc proponens: 'si ultima uersus uox est iambica, uerba quae praecedunt, non ita se habere licitum est, ut iusta iis conclusio uersus formari possit'. Ex hac ratione omnia scaenicorum placita intelleguntur: admissae clausulae hae: –|◡, –|◡–; ◡–|◡– (in uno uocabulo); ◡́, ◡|◡–, |◡–; contra uitatae: ◡́◡|◡–, |◡–; cf. Br. p. 16—21. Quibus condicionibus aliam nos statim addemus. Etenim Sulpicius quinquiens creticum posuit post uocabula in trochaeum desinentia, quae ad exempla prope accedunt hae clausulae: Phor. 9: '— fremere. dein minas'; Ad. 10: 'ferrĕ. mox tămen', ubi creticus ex uoce monosyllaba cum iambica constat, ita tamen, ut partes illius interpunctione ab antecedentibus separatae, artius sic inter sese coniungantur. Diiambica idem bis adhibuit: Hec. 1: 'Philumenam'; Eun. 7: 'puellulam', anonymus ipse quoque bis: Aul. 10: 'Lyconidis'; Aul. 15: 'Lyconidi', qui cretica cum antecedenti trochaeo sexiens posuit et haec miro quodam consensu: Merc. 8: '— natus, ut suo'; Pseud. 9: 'militaris. hunc [1]) ⟨dolis⟩'.

Appendicis loco alia quaedam, quae ad artem metricam spectant, addam:

Ac primum quidem cum Ritschelio auctore (op. V p. 510) constet 'eum dactylum uitatum esse, qui compositus sit ex arsi secundi pedis anacrusique tertii, maxime autem uitatum esse in semiquinaria caesura', tamen ut excusatione utantur

1) 'hunc' Buggius pro codicum lectione 'nunc' in Philol. uol. XXXI p. 251.

ii uersus, in quibus aut caesura post secundam arsin dissectus est ille dactylus aut semiseptenariae propinquitate occultatur, argumentorum auctores Terentianorum quater, Plautinorum ter licentiam coniunctis illis condicionibus admiserunt cf. Hau. 5 et 10; Phor. 10; Ad. 11 — Aul. 5 et 11 et 12. Vitiosa igitur Hec. 5 omnium codicum lectio: 'Deĭn profectus in Imbrum est', praesertim cum diaeresis in uoce 'dein' offendat cf. p. 216. Fleckeisenus scripsit: 'Dein est pr. Imbrum:', sed facilius me monet Ribbeckius emendari: 'Profectus dein in Imbrum est'. Tum anapaesti primam syllabam a sequentibus nusquam separauerunt (exceptis monosyllabis cf. Mil. 7 — And. 5 et 7; Hau. 5), quod uitium quam seuere Apollinaris quidem fugerit, docet Hau. 7: 'Ut[1]) eius Bacchis uenit amica ac seruolae', ubi consentaneum erat: 'Ut ēiŭs ămica B. u.'. Anapaesti thesin integro uocabulo effectam Apollinaris admisit in primo pede (Phor. 9: 'Pater ét'; And. 2: 'Genere Andriae'), in quinto trisyllaba tantum inuenimus synaloepha deminuta (And. 10: 'generum abdicat'; Phor. 12: 'patruo agnitam'; Hec. 2: 'uitium obtulit'), quare supra p. 210 Hec. 6: non 'ne sciat id socrus' commendaui, nimis religiosus fortasse hac in re, quoniam etiam Phaedrus in quinto pede quater exceptionem fecit (Mueller de re m. p. 416 sq.). Anonymus autem praeter haec primi pedis exempla: Merc. 4: 'Pater aduolat'; Mil. 9: 'Apud hospitem' praebet Aul. 1: 'Senex auarus uix sibi crédens Euclio'; u. 8: 'Durus senĕx uix' (ambigue Merc. 11: 'Eam domĭ deprehensam'), quae corrigere non audeo, cum credibile sit auctorem comicorum licentiam sibi uindicasse, cf. exempli causa Trin. 83: 'nam nunc ego si et q. s.'.

Porro proceleusmaticum non modo eum, qui uno pede (Pseud. u. 4 aperte corruptus est), sed etiam illum, qui affinium pedum arsi thesique continetur, qualem ne Plauti quidem ars tulit (cf. Ritschel. op. V, 513), illi repudiauerunt. In uniuersum autem laudandum est, quod breuium et longarum

1) Hic non sanum est Wagneri iudicium recipientis cod. A corruptelam: ET, quae redit Ad. 11.

syllabarum sat iucundam temperationem instituerunt.[1]) Versus, qui puram in pedibus paribus habeant thesin, anonymus sedecim, Sulpicius uiginti formauit, qui usus fere cum Phaedri usu congruit, cuius in 72 primis uersibus 17 exempla inueni. Itaque in uniuersum assentiri possumus Dziatzkoni[2]) posteriorum temporum placita agnoscenti. At conlatis comicorum sex locis, qui fortuito in manum mihi uenerunt, inueni: Ter. And. ed. Fl. I, 1, 1—74 (duobus spuriis omissis): 7; Eun. I, 1, 1—35. 2, 1—37: 6; Hau. I, 1—72: fere 13; Plaut. Ep. III, 4, 433—504 G.: 11; Pseud. I, 1, 3—74 Fl.: 12; Curc. ab initio 1—72 G.: 18. Videmus igitur antiquorum ipsorum usum uarium fuisse.

Anapaestum autem in duabus deinceps sedibus illi non concesserunt, nam unum illud exemplum Hau. 1 iam deleuimus p. 210. Eandem legem Phaedrus obseruauit, cum a Lucilio et a Varrone uersus initium exciperetur, Plauti autem usus etiam liberior esset; cf. L. Mueller de re m. p. 416 et Ritschel. op. V p. 497.

In synaloepha admittenda illi, quamquam satis liberi — nisi quod iambicae uocis elisae nullum certum exemplum inuenitur — multum tamen inter se differunt: quadraginta fere exempla ex anonymo, plus quam sexaginta ex Apollinare enotaui, in his longarum syllabarum octo ex illo, ex hoc unum et uiginti.

Hiatus dubitari nequit, quin in his quidem argumentis plane nullum locum habeat. Quare miror Umpfenbachium Phor. 7 hunc uersum recepisse: ‘Funus procurat. ibi eam uisam Antipho Cum amaret’, ubi ultro se offert transpositio. At Fleckeisenianae ‘ibi eam cum uisam A.’ praefero hanc: ‘ibi

1) Anonymus in 70 uersibus i. e. in 420 pedibus 187iens thesin breui syllaba contineri uoluit, alter in 72 uu. = 432 pedibus 209iens. Soluerunt thesin ille 20iens, hic 28iens, arsin uterque 47iens.

2) In editione Adelph. ad per. u. 1: ‘War ursprünglich auch eine Nachahmung der Terentianischen Metrik beabsichtigt, so wirkte doch unwillkürlich in Bezug auf die Bildung des Trimeters die verschiedene Uebung der klassischen Latinität insofern ein, als die Zahl der sedibus paribus reingeformten Trimeter ungleich grösser ist als bei den alten Komikern’.

eam uisam cum A.', qua cohaerentia uocabula non distrahuntur. Omissa post 'uisam' uocula 'cum' in margine notata est.[1]) — At ipse non constat sibi Umpfenbachius, cum And. 4 deleat hiatum: 'Fore hanc, namque aliam pater ei desponderat' (codd.: nam) probabili emendatione.[2]) Qui in Plautinis argumentis hiatus insunt, ipsi sese condemnant, ut in manco uersu Merc. 5 sq.: 'Seruos pedisequam Ab adulescente matri | emptam | ipsius' et Merc. u. 15 de quo cf. p. 206. Legitimus autem ille per se hiatus (≚́, ⏑⏑) exstat Aul. 2 in quinto pede, quo loco a Plauto et Terentio repudiatur, nimirum quia tales clausulas |∧, ⏑́, ⏑|⏑∧ oderant aeque atque argumentorum auctores, apud quos solutae quintae arseos huiusmodi tantum inueniuntur exempla: Merc. 5: 'pedisequam'; Mil. 9: 'parietem', 11: 'mulieris'; Pseud. 3: 'mulierem', 7: 'mulierem'; — And. 9: 'puerulum'; Phor. 11: 'fidicina'.[3]) Quare nescio an recte quidam, quamquam parum confidenter (cf. Goetzii adn.) supplendum esse illum uersum censuerint, ac propono: 'Domi suae defossam multis cum opibus ⟨clam om̃ibus⟩' cf. prol. u. 7: 'Auri thensaurum clam omnis'.

Prosodiam autem sic licet adumbrare, ut dicamus anonymum quaedam ausum esse ex antiquorum comicorum imitatione, apud Sulpicium certa talis studii exempla non inueniri. Atque admisit ille Aul. 8: 'Durus senĕx uix promittit', quam ne mireris solitariam licentiam, ex ipsa fabula petita est. Ter enim in Aul. 'senĕx' legitur, u. 295 initio senarii, u. 410 in octon. troch., u. 665 in medio senario usu singulari cf. Mueller.

1) Plane geminum Ad. u. 142 sq. exemplum mihi uideor inuestigasse, ubi cum codd. 'Non nil molesta haec sunt mihi, sed ostendere Me aegre pati illi nolui' exhibeant perperam (cf. Mueller Pros. Plaut. p. 371), scribendum esse censeo: 'sunt mihi, sed me ostendere Aegre pati illi nolui'.

2) Abicienda sunt aliorum conamina: librarii illud 'desponsauerat', incertum per se 'despoponderat' cf. Ritschel. ad Trin. u. 603, Wagneri 'nempe' parum quadrans ad argumentorum simplicitatem.

3) Itaque, ut hoc statim addam, ne hanc quidem diuisionem |–, ⏑⏑, |⏑∧ admiserunt, quam comici tulerunt, neque admisit Phaedrus (cf. Muelleri ed. min. p. IX), quem fortasse illi secuntur.

Pr. Pl. p. 141 sq. — Contra 'dolĭs' ex Amph. u. 7 merito expulimus. — Plautinum praeterea monosyllabum ei habemus: Mil. 12: '— mox ei dominus aedium'. Coniectura nostra nititur illud 'huius' Aul. 10, 'suae' Aul. 2. Antiquitatem affectant fortasse genetiui 'illĭus' Merc. 11 et 14, 'ipsĭus' Merc. 6, quamquam non sunt Plautini, quod nuper demonstrauit Luchsius in Studiis Studemundi I, 2. De alia illorum aliis temporibus mensura cf. Ritschel. op. II p. 696 additis exemplis, quae Neuius collegit II², 202 sq. et 209; ipsĭus: ex Catullo, Verg. Ou. Manil.; illĭus: ex Lucilio Lucr. Cat., Verg. Hor. Tib. Ou. Manil. Licentiis his in Terentianis argumentis nihil potest comparari, in quibus tamen alia quaedam accuratiore digna sunt tractatione.

Obtinent cum Umpfenbachio Spengelius et Meissnerus diaeresin uocis 'sŭasu': And. 8: 'Daui sŭasu', quamquam legimus Eun. 9: suādet Parmeno (Aul. 6: suāsus ducere). Distractio illa exstat semel apud Lucretium IV, 1157 in fine uersus: 'Veneremque suadent', unde pendent, si quid sentio, hae apud multo posteriores poetas hexametri clausulae: Anth. L. c. 485, 65 R. (carm. de fig.) '— deinde suasi'; Anth. L. Burm. I p. 33: 'mutare suasit'; Anth. L. c. 594, 1 R.: 'Anna suadet'. In scaenica [1]) autem poesi frustra exempla quaeras cf. Ritschel. op. II, 598 sq. de similibus uocabulis disserentem. Quare cum Fleckeiseno corrigendum illum locum esse stat mihi sententia, dummodo probabilis inueniatur emendatio. Atque magis quam doctissimi uiri coniectura 'Huic Daui suasu' mihi mea arridet: 'Daui psuasu et q. s.'. Cf. 'Persuasu serui' [2]) Epid. arg. 2 et disce, quaeso, ex fabulae u. 375 sqq. uerbum persuadendi quam suadendi quanto sit aptius.

---

1) Hic non tacebo in Phaedri iambis quae a uerbo 'suesco' descendunt, ut ait L. Muell. ed. min. p. XII, modo uocalem sonare *u* modo consonam.

2) Substantiuum 'suasus' Terentius habet Phor. u. 730 'ob meum suasum'; Plaut. Pers. 597: codd. praeter A: 'suasu atque impulsu meo'. Redit uocabulum in Digestis demum, apud Apul. et Tertull. 'Persuasus' ter inuenitur: in arg. illo Plaut.; in uerbis Cic. apud Quintil. 5, 10, 69: 'huius persuasu' cf. Neuius I p. 504. Addendus hic est Augustin. c. Secundin. Man. 18 in p. 382 edit. Antuerp.: 'siue alterius persuasu'.

Similis quaestio oritur de mensura 'dĕin' Hec. 5, quam supra tetigimus p. 212. Reperimus 'dein' Phor. 9, nec ante Terentianum diductum in duas syllabas uocabulum cf. L. Muell. de re m. p. 265 ex. Eo autem quem tractamus loco uel cod. Bemb. scriptura 'den' monosyllabum indicat, quod uidit iam Spengelius in praef. And. p. XXXI § 8.

De mensura nominis 'Demeă' Ad. 10 liceat ad Corsseni Vocal. II p. 454 et ad Neuii locupletissimam collectionem I p. 53 sq. relegare. Spengelii regulae, qui docet in editione comicos in trisyllabis nunquam admisisse correptionem repugnat 'Simmiă' Pseud. 944.

Quaestio 3.

De sermone argumentorum Plautinorum non-acrostichorum.

De sermone non-acrostichorum primus sententiam tulit Osannus in Diurn. ant. stud. a. 1849 p. 213, qui propter antiquum quendam colorem aetati inter Aurelium Opilium et Ciceronem intermissae auctorem tribuit. Nec fugit me non ultra probabilitatem quandam duci posse singulas quaestiones. At est quaedam necessitas, qua cogamur, si intra tam artos fines inueniuntur complures res posterioribus potissimum temporibus usitatae, non ei aetati tribuere illas, qua perraro exstant apud poetas uel scriptores corruptioris sermonis praenuntios. Ac primum quidem uox 'indigus' Pseud. 2 digna uidetur, cuius historiam diligentius persequamur. Inuenitur autem primum bis apud Lucretium: 5, 223: 'Nauita nudus humi iacet, infans indigus omni Vitali auxilio' — et 2, 650 de natura: 'Ipsa suis pollens opibus nihil indiga nostri' ubi Wakefieldus praeter Iustin. 24, 6 confert Claud. Mall. Theod. cons. 4 et Lactant. de ira d. c. 8, ad quos locos infra redibimus. Interim consentaneum est uocem illam a Lucretio [1]), quantum intellegimus, inuentam non statim usu esse receptam cotidiano. Ac

1) A dactylico quidem poeta dactylicam formam metri causa fictam esse apparet.

poetae quidem omnino non uidentur nisi imitati Lucretium illo uocabulo usi esse. Hoc uel inde elucet, quod fere semper paenultimam hexametri sedem explere uox illa solet. At multo clariora imitationis testimonia exstant. Vergilius enim fere totum Lucretii locum alterum in suum usum conuertit Ge. II, 428: '(poma) Et uires habuere suas, ad sidera raptim Vi propria nituntur opisque haut indiga nostrae'.

Ex Ouidii autem textu (ex p. 4, 3, 44) hunc uersum: 'Indigus effectus omnibus ipse magis' ut interpolatum remouit Riesius cum aliorum consensu. At in Lucani uerbis genuinis 8, 446: 'Terra suis contenta bonis, non indiga mercis Aut Iouis', quis non agnoscit Lucretium? [1]) Apud Valerium Flaccum deest uox, non apud Silium Italicum, cuius uide imitationem: 2, 155: 'Agmina uastabat claua, nihil indigus ensis' neque apud Statium: Silu. V, 3, 252: 'Raperis, genitor, non indigus aeui' et III, 1, 102: '— mihi pauper et indigus uni Pollius'. Iam delabimur ad posteriora saecula, quibus uulgatum fuisse usum uocabuli probabile est, ut Ausonius habet: 192, 16 (Prof. Lat. Alc.): 'Aut liberalis indigis'. Sed etiam tum thema illud, ut ita dicam, Lucretianum aut Vergilianum uariatur cf. Claud. 17, 4 (Mall. Theod. cons.) 'Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis' et 47, 6 (Nilus): 'Aegyptos sine nube ferax, imbresque serenos Sola tenet. Secura poli, non indiga uenti Gaudet aquis, quas ipsa uehit, Niloque redundant'. Mart. Cap. 1, 21: 'quosque indiga ueri Cura facit dubios'. Paul. Nol. 27, 4: cui fortasse locus Vergilii obuersatur: 'Quos magis indiguos opis et uirtute carentes Affectu rimante uident'. [2])

Sed paullulum recedamus: in prosa oratione uocabulum legimus primum apud Plinium n. h. 4, 7 (11): 'Libera haec

1) Adoptatam sic semel uocem Lucanus rursus posuit 9, 592 W. et 254 (qui uersus codd. auctoritate nititur non omnium).

2) Formam 'indiguus' adferre non possum nisi ex Apul. de deo Socr. ed. Luetiohann. p. 6, c. I p. 113 Hildebr. (cuius cf. ad h. l. et ad Met. l. IX, 12 in. adn.) et ex Pallad. Nou. c. XI (uol. III p. 244), ubi Schneider non recte recepit aliorum codd. lectionem: 'indigus plantarum'.

ciuitas, nec indiga ullius praeconii amplius'; 8, 40 (61), 143: 'haec erant fidissima auxilia nec stipendiorum indiga'. Deinde usurpauit Tac. Hist. 3, 22 in.: 'indigus rectoris'; c. 48: 'ut — urbem quoque externae opis indigam fame urgeret', qui loci in memoriam reuocant illa exemplaria, duo priores antithesi, ultimus ipsis uerbis. At confidentius apud Apul. de deo Socr. c. I p. 113 Hildebr. imitationem reperio: 'pollens speciem sui uariat, seu tota proprii candoris expers, alienae lucis indigua et q. s.' ('indicia codd.', 'indiga' ed. Rom.), quo loco in Lucretii doctrina uersatur ipsumque mox laudat Apuleius.[1]) Unum ex posterioribus adferam, quod si casu factum, satis mirandum est. Etenim in Symmachi epistulis, si Parei lexico fides habenda est, quinquiens omnino exstat uox 'indigus', semper cum genetiuo 'opis' ut in Verg. loco coniuncta: 4, 67 in.: 'opis indigos subleuare'; idem 7, 107; 4, 68: 'nunc opis indiga — exoptat'; 5, 75: 'Opis indigum esse non patior — iuuenem'; 1, 3: 'meaene te opis indigum mentiare?' (ed. Mog. itemque Mignius: 'indignum'). Testis autem est Lact. de ira d. c. 8 (VII p. 95 Mi.) notum fuisse locum Lucretianum inter posteriores. Quibus cognitis de uocabuli 'indigus' origine et propagatione quis etiamnunc contendet iam ante Ciceronis aetatem tam tritum illud fuisse, ut quilibet exiles uersus faciens eo posset uti?

2. exspes Merc. 13: Legitur haec uox iam apud Accium nimirum tragico accommodata cothurno u. 376 R.: 'ille orbus exspes liberum' et 415: 'exsul inter hostis, exspes expers desertus uagus'; — deinde Hor. Epod. 16, 37: 'mollis et exspes' et A. P. 20: 'Si fractis enatat exspes'; Ou. her. VI, 162: 'Erret inops exspes'; quem locum ipse expressit Met. 14, 217: 'Solus inops exspes'. In pedestri sermone non ante Tacitum hoc uocabulum legimus, cf. Ann. 6, 24: 'Mox, ubi exspes uitae fuit'.

3. aether Amph. 9: Graecorum hoc uocabulum quamquam iam Ennius in suum usum uertit Ann. 520: 'clamor — per

1) Qua ratione etiam 'pollens' fulcitur, quod Salmasius et Luetiohannus sollicitauerunt.

aethera uagit'. Sat. 3 V.: 'aetheris oras Contemplor' (aethra A. 418), — Pacuuius tamen nondum receptum in linguam Latinam testatur u. 89 [1]); cf. etiam u. 93. Atque ad priorem uersum pertinent Ciceronis uerba haec (de nat. de. II, 36, 91): 'mutuemur hoc quoque uerbum dicaturque tam aether Latine quam dicitur aer'; scil. ut terminus technicus in philosophicis disputationibus, in quibus adhibuerat iam Lucil. I u. 1 cum Muell. adn., deinde adhibuit Lucretius, poeta simul et philosophus, et ex prosae orationis scriptoribus: Seneca, natt. quaest.; Plinius, n. h.; Apuleius, de mundo. Sed multo liberior usus erat posteriorum inde a Vergilio poetarum promiscue pro notione caeli hanc uocem usurpantium. Ad proprium discrimen pertinent, quae Lachmannus Lucr. p. 167 disserit.

Ex quo poeticorum flosculorum usu, quippe qui prorsus contrarius sit huius generis exilitati, cognoscimus illam aetatem, qua rhetoricis studiis uocabulorum color extinguebatur. Praeterea mirus quidam uigor non apto loco hic illic apparet; uelut in deliciis habuisse uidetur auctor uerbum 'aduolat' Merc. 4: 'Pater aduolat'; Mil. 7: 'aduolat Adulescens', quod ex dactylicis poetis, quamquam etiam a Cicerone in alacri oratione illud uerbum usurpatur, originem ducere suspicor heroes sic inducere solentibus [2]): Verg. X, 456: 'utque leo — aduolat'; u. 896: 'Aduolat Aeneas'; XII, 293: 'Aduolat hasta Messapus'; Lucan. IX, 885: 'quocunque uocatur Aduolat'; Val. Fl. I, 108: 'Tirynthius Argis Aduolat'; 163: 'regia proles Aduolat'; II, 124: 'aduolat ultro Impatiens'; III, 72 sq.: '(Custodum) manus — aduolat'; IV, 300: 'Pollux — Aduolat ora uiri'; VI, 342: 'aduolat Idas'; 370: 'aduolat ipsa'; 655: 'Aduolat Aesonides'; VII, 265: '(unus) aduolat'; 618: '(heros) aduolat'; Sil. It. XV, 243: 'Pedes aduolat'; Stat. Th. V, 555: 'aduolat ardens Arcas'; VIII, 135: 'Palaemon aduolat'; XI, 426: 'aduolat — Adrastus'. — Quocum studio bene congruit hic color Aul. 4, ubi de Euclione sermo est: 'Exsanguis amens seruat',

1) 'Id quod nostri caelum memorant, Grai perhibent aethera'.

2) Nimirum semper hac praesentis forma propter metrum.

ac recte nunc intellegimus illud 'naue exilit' Merc. 3, quo loco Bothius 'exiit' scribere maluit.

Aliam autem suae indolis partem, maiorem in syntaxi licentiam, prodit auctor his exemplis: Quamquam constat cum uerbo 'suadere' infinitiuum coniungi perraro inde a Ciceronis aetate, qui bis hanc constructionem admisit (cf. Draeger. synt. II, 312 sq.; Kuehner. gramm. II, 502[b]), accusatiuum autem pro datiuo non nisi labentis Latinitatis temporibus (cf. Draeger. II, 374, 7; Kuehner. II, 230) — accusatiuum cum infinitiuo inuenimus iam apud Terentium semel: Hec. 481: 'Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi'; praeterea apud Lucr. 1, 140 sqq.; Verg. Aen. 12, 813 sq.; Apul. Met. 5, 11 p. 337 Hildebr.; ib. 9, 26 p. 820. Neque tamen colligere inde licet etiam passiuam constructionem personalem antiquioribus temporibus posse imputari. Immo recte hanc ad posteriora Kuehner II, 76, 5 uidetur relegare, quae talia tulerunt: Apul. Met. 5, 6 p. 322 (quem l. Kuehner ommittit): 'Monuit ac saepe terruit ne quando sororum pernicioso consilio suasa de forma mariti quaerat; ib. 9, 22 [1]) p. 807 Hildebr.: 'Iam ego tibi probe suasum et confirmatum animi amatorem illum alacrem uadimonio sistam', ubi peruersa mihi uidetur propter coniunctam notionem 'confirmatum animi' Hildebrandii explicatio: 'qui comprobatus est et commendatus uxori propter uigorem'; adde Pseudo-Apul. Asclep. 25 in.: 'et his amplius multoque deterius ipsa Aegyptus suadebitur'; Arnob. 1, 64 Reiff.: '(Inmortalitatem) habere confiditis humanis paucorum adseuerationibus suasi'; id. 2, 26 l. 20 sq.: 'Oppositione alterius non impeditur nec potest aliquid suaderi perdere' (Oehler: sua de ui); Cael. Aurel. morb. chron. II, 5 p. 114 ed. Haller: 'erunt suadendi, ut'; ib. III, 8 p. 257: 'alii neque suaderi neque cogi posse probantur'.[2])

---

1) Etiam Terr. argg. sermo ex Apuleiano illustrari potest: nam Hau. 6: 'cupitam Antiphilam', ad quod Wagner adnotat 'geziert und nicht im Stile des Terenz' positum est pro 'amata A.' ut Apul. habet: 'ne cum sua cupita conueniret'; cf. Hildebr. ad Met. IX, 18 p. 797; ib. V, 28 p. 381.

2) Cf. Neuium II p. 261 (II, 822 sq.).

Videmus igitur Afrorum hanc constructionem esse propriam. Ceterum cauendum est hac in re, ne diuersa confundantur. Nam 'persuasus' quidem saepius iam antea inuenitur [1]), 'dissuasus' rursus semel omnino et apud Hyginum demum fab. 219: 'Ille ab amicis dissuasus fidem fraudauit'.

Aul. 11 sq.: 'obsecrat — sibimet cedere'. Verbum 'obsecrare' usquam cum infinitiuo coniungi negat Draeger II, 310 disertis uerbis, tacet autem de hoc usu Kuehner II, 502^{b}. Omiserunt igitur illum quem nos attulimus locum uiri docti. Atque hunc quoque quamquam facile quispiam ad normam redigere possit coniciens: 'obsecrat — cederet', tamen ferendum esse censeo infinitiuum ut posterioris aetatis licentiam, cum alia quoque uerba singulari abusu cum infinitiuo sint coniuncta scil. petere, precari, rogare.

Amph. 2: 'Dum bellum gereret'. Qua de constructione, quam Fleckeisenus non debebat corrigere 'quom b. g.' scribens neque Ussingius debebat ignorare, uide Draeger. II, 580; Kuehner. II, 913 sq., 7. Ciceronis aetate prima et rara uestigia apud illos auctores inueniuntur, qui genere dicendi utuntur minus puro, nunquam apud Ciceronem ipsum uel Caesarem. Itaque apud auctorem belli Hisp. 23 in.: 'hic dum in opere nostri distenti (Nipp.: cum) essent, complures — decucurrerunt'; apud Varr. in sat. Men. cf. Eum. fr. 34 p. 132 R.: ubi displicet mihi Draegeri explicatio 'bis': 'qui dum messem hornam adlatam imponeret aedilis signo Cybelae, deam gallantes uario recinebant strepitu', de ipsa scriptura non consentiunt uiri docti cf. Buechelerum. Incertus est locus Cornif. ad Her. 4, 50, 63 Or. et B., ubi codd. dissentiunt ac satis boni exhibent 'peregrinatur'. — Apud Corn. Nep. XX, 1, 4: haud scio an ex Timoleontis sententia dictus sit coniunctiuus: 'ne adspicere quidem fraternum sanguinem uoluit. nam dum res conficeretur procul in praesidio fuit, ne quis satelles posset succurrere'. [2]) Sed certa praeterea exempla exstant apud Liuium,

1) Cf. Neuium II p. 261 (II, 822 sq.).

2) Dubito, num idem cadat in argumenti simpliciter compositi locum, ubi ne propter subiunctiuas quidem sententias illa ratio se offerebat.

Valerium Maximum, Suetonium, posteriores quosdam prosae orationis auctores et apud poetas quoque hic illic inde a Vergilio. Hanc quaestionem tractauit etiam Koehler, 'de auct. belli Afr. et Hisp. Latin.' in Actis Sem. Erlang. uol. I p. 422, ex plebeio sermone illam consuetudinem deducens. In Afrorum quoque Latinitatem usum receptum esse docet Roenschius, Itala et Vulgata² p. 400. Reconditiora exempla protulit Paucker Mus. Rhen. uol. 35 (a. 1880) p. 602 sq. cum adn. 1.

Addendae sunt glossae nonnullae, de quibus hoc in uniuersum moneo: glossas qui adhiberent ne primo quidem ante Ch. n. saeculo defuerunt, sed haut tam multi tum erant Sisennae, ut hac re delectarentur. Contra multo latius patebat illud studium Hadriani et Antoninorum aetate, ad quam reliquo dicendi genere iam ducti sumus, atque eo confidentius huc referemus anonymum auctorem, si certos quosdam illorum temporum auctores his ipsis glossis usos esse ostendemus:

Ita aduerbium 'insperato' (Aul. 14), quod Nonius (p. 35) ex Lucilio adfert (30, 38 M): 'insperato abiit', Apuleius habet: Met. 9, 38 p. 855 Hildebr.: 'insperato et longe contra eius opinionem resistens', praeterea Sulp. Apoll. argum. And. 11. Hunc locum omittit Neuius II, 648, item Kuehner I, 679. De similibus formis cf. Hildebr. ad Apul. Met. uol. I p. 333.

'Protelare' (Merc. 12: 'protelat uirum') sensu uerbi 'expellere' Nonius p. 362 ex. et 363 in. ex his locis adfert: Ter. Phor. (213): 'Ne te iratus suis saeuidicis dictis protelet'; Sisenna hist. l. III et l. IV; Turpilius Lemniis (u. 91 Ribb.). Postea autem usurpauerunt hoc uocabulum Apul. Met. 8, 18 p. 704: 'cladem de uestris protelamus manibus' (cf. Hild. adn.); id. ib. 9, 2: 'ut exitium commune protelarent'; Fronto, cuius locus in lexicis deest, ad Caes. III, 3 p. 42 in.: 'protelarei conuiciis'. Tertull. de Spect. c. 1: 'ignorantiam protelet in occasionem et q. s.' cognata significatio uidetur esse.[1])

1) Cf. Fest. p. 234 [a] 24 'pr. longe propellere ex Graeco uidelicet τῆλε, quod significat longe'; alias significationes uide apud Ictos et Ecclesiasticos: 'differre, aufschieben, fristen', quae a uoce 'pro — latare' repetitae mihi uidentur.

Etiam uox 'asotus', quam Ritschelius certa coniectura restituit Merc. 1 cf. op. II p. 396 sq. — fortasse ex antiquo usu expressa est. Ritschelius iam attulit nomen comoediae Statianae 'Asotus'. Praeterea autem testis est Macr. Sat. 6, 4, 22: 'Sed hac licentia largius usi sunt ueteres, parcius Maro, quippe illi dixerunt et pausam et machaeram et asotiam et malacen et alia similia'. Posteriores caute hanc glossam adhibuerunt: Cic. in philosophico tantum sermone; Rut. Lup. II, 9 Halm. in Hyperidis uerbis ex Graeco uersis; Gell. 19, 9, 8 in Iuliani uerbis; 10, 17, 3 fortasse secundum Laberium.

'Praemercatur' autem, quod Merc. 10 ex Epid. 407 repetitum esse potest, redit apud Plin. n. h. 32, 2 (10) in uerbis Cassii Heminae.

Grauior de uoce 'cacula' oritur quaestio Pseud. 13 sq.: 'Dat subditicio caculae cum symbolo Lenonem fallit secophantacie [1]) cacula', quam ut soluere possimus, de uocabulo 'subditicius' [2]) accurate dicendum erit. Nam Bergkius (Beiträge z. lat. gramm. I p. 114 adn.) transpositis uocabulis 'subditicio' et 'cacula' illam formam argumenti auctori uindicans productionem uocis 'cacula' ab eo abiudicauit [3]), quod num iure fecerit, scire multum interest.

Ac primum quidem dubitari nequit, quin fab. u. 752: 'Subditiuom fieri ego illum militis seruom uolo' auctor ante oculos habuerit, ubi tamen rectam formam Ritschelius demum restituit, cum leniter corrupta sit in cod. C: 'subditium' scil. una littera *u* omissa [4]), longius processit corruptela in cod. D: 'subdiciu[u]m' et in B: 'subditum'. Itaque formam 'subditicius' cum antiqui codices nondum exhibeant, ex illis quidem auctor non recepit. Itemque forma 'subditiuus' metro postulatur Amph. u. 497 et u. 828; de Bacch. 26 cf. Ritschel. op. II p. 334 sqq.

1) 'Soecoph.' Ribbeckius sec. lect. cod. A SEC.

2) De formatione similium scripsit Aufrechtus Diurn. Kuhnii II p. 210 sqq.; exempla congessit Roenschius, Itala et Vulgata² p. 123 sq.

3) Secutus est Lorenzius in editione.

4) Quam omissionem licet ex inscriptionum his exemplis illustrare: 'dius, ingenus' aliis, cf. Brambach. orthogr. p. 87 sqq.

Praeterea Caecilii quaedam comoedia 'Subditiuos' sec. Gell. 15, 9, 1 ab ipso auctore, ut me monet Ribbeckius, Hypobolimaeus inscripta uidetur esse. — Cic. Verr. 5, 27, 69: 'subditiuum archipiratam' cum optimis codd. scribendum est, ubi solus Leidensis exhibet: 'subditicium', deteriores: 'subditum' uel 'subdituum'. — Sen. Oed. u. 803 Leo sine codd. uar.: 'quod subditiui praemium nati petit?'. — Apud Quint. I, 4, 3: 'subditos' Halmius scripsit: Ambros. I s. XI 'subito', solus Monac. s. XV: 'subdititios'. — Apud Suet. Nero 7 Rothius 'Britannicum fratrem — ut subditiuum' edidit. — Apud Arnob. adu. nat. V, 32 Reifferscheidius 'allegoricis sensibus et subditiuis' sine uar. — At apud Lampr. Heliogab. 17, 9 Iordan-Eyss. et Peter Salmasium secuti receperunt 'subdititio', quibus assentitur Paucker de Latin. scriptt. hist. Aug. Dorp. 1870 p. 31 et p. 22*. Attamen ab hoc quoque loco, si quid sentio, forma illa prohibenda est, nam codd. Palat. et Bamb. et ed. Mediol. exhibent 'subdecio', quae corruptela facile explicari uidetur ipsa *u* littera omissa: subdeci[u]o = subdeti[u]o. Quod eo magis probo, quia 'subditiuus' inuenitur apud eundem Lampr. Alex. 5, 3: quem locum lexicographi omiserunt. Quae cum ita sint, dum certiora proferantur testimonia, uocem 'subditicius' ex lexicis omnino expellendam censeo ut fictam a librariis analogia et facili propter ductuum similitudinem errore. Illo autem de quo dicimus loco forma illa 'subditiuo', quam iam Ritschelius restituit, uerborum collocatione defenditur, quam commutare non possumus, quin caesura optima deleta uersum elumbem reddamus, — qualem ne unum quidem auctor excudit, — simulque in uersu sequenti uocem 'cacula' transponamus, quod O. Seyffertus 'de uers. bacch.' thes. 6 sic conatus est: 'Lenonem fallit cacula sycophantice' consentiente Lorenzio. At quis huic libidini adstipulabitur, cum medela praesto sit tradito uerborum ordine seruato? Nam Loewius in Anall. Plautt. p. 150 'sycophantans cacula' proposuit, equidem autem auctorem scripsisse iudico: 'Lenonem fallit sycophanta eo cacula' sc. symbolo, ut Pseudulus dicit u. 690 sq.: 'nunc ego hac epistula tris deludam erum et lenonem et q. s.'. Veniamus nunc ad ipsum

illud 'cacula', de quo legimus apud Paul. ex Festo p. 45, 16 sq.: 'Cacula seruus militis. Plautus: uideo caculam militarem. Dicitur autem a Graeco κᾶλον [1]), quod fustibus clauisque ligneis ad tutelam dominorum armari soliti sint'. Glossariorum ceterorum locos collegit Loewius Annall. Phill. uol. 111 (a. 1875) p. 535 sq. Ac Plauti ille locus inuenitur Trin. u. 721: 'Video caculam militarem me futurum haud longius'. Praeterea Accius hoc uocabulo usus est — quod addendum lexicis — secundum Fest. p. 146, 30: 'Calones famulique metallique caculaeque'. Mensura uocis quamquam ex utroque loco facile erui potuit, non tantopere mirabimur primae syllabae productionem, si quidem conicere licet etymologiam illam (κᾶλον) esse obuersatam auctori periochae, qua fortasse etiam Accius commotus est, ut metiretur: 'Cālones et q. s.' itemque Horatius.

Alia frequentius apud Plautum inueniuntur: ut 'efflictim deperire', Pseud. 2 cf. Lorenzii adn. et de usu Apulei Hildebr. ad Met. V, 28 p. 381.

'Clanculum': Mil. 10, inprimis sane comicis usitatum est, sed ne a posterioribus quidem alienum cf. Auct. b. Hisp. 32 ex., Gell. 1, 8, 5: 'Demosthenes clanculum adit'.

'Usurarius' Amph. 3 sensu 'quasi per usuram captus' depromptum est ex ipsius fabulae u. 498 et 980, praeterea cf. Curc. u. 382. — 'Cluenta' Mil. 13 ex fabulae u. 789.[2])

Itemque uocabulum 'aula' Aul. 3 ex fabula ipsa originem ducit rediens etiam alibi.

Contra quod in arg. Mil. u. 13 pro tradito 'sollicitandum' Brixius censet fortasse scribendum esse 'sublectandum' propter fabulae illud 'sublecto' in u. 1066, concedere nequeo, cum uideatur mihi auctor aliam formam eodem sensu propterea posuisse, quia mox sequitur 'subornat'.

---

1) Ad eandem etymologiam spectat Seru. ad Aen. VI, 1; cf. Lucil. ed. L. Mueller p. 153 in. (qui non debuit recipere 'scinde calam ut caleas' cf. adn.); Loewius, prodr. p. 321 sq. Contra Fest. p. 225, 8 uox 'cacula' cum similibus (calo, calator) a Graeco καλεῖν deriuatur.

2) Vox est rarissima: ex 'Militis' loco fortasse sumpta etiam a Front. ad M. Caes. 2, 8 p. 32 uel ex Poen. 5, 4, 7 u. 1168 Geppert.; Rud. 893.

A uocabulis transeamus ad syntaxin:

Amph. u. 7: 'uterque deluduntur' numerus pluralis positus est constructione illa, quae κατὰ σύνεσιν uocatur. Quae licentia non modo antiquis, sed etiam posterioribus placuit: cf. Holtzii synt. II p. 198 sqq.; Kuehner II p. 16; Draeger I p. 147. Ex Plauto complura exempla adferuntur, unum ex Amphitruone (223): 'uterque imperator in medium exeunt', ut cogitari possit hinc illum pendere. Eadem ratione 'quisque' pronomen pluralem assumit ut Plaut. Ep. 212: 'Filios suos quisque uisunt', quo usu Stichi arg. acr. u. 7: emendandum censeo: 'Suam quisque retinent ac Sticho ludus datur', quoniam codd. BCD exhibent: 'retineat' (cf. RETINEN = RETINEAT).

Supinum 'mercatum' Merc. 1 Plauti proprium est, ut illud 'militatum' (cf. p. 210) Terentii, de qua re cf. Draeger synt. II, 827. Aliam constructionem habemus Pseud. 8: 'missus ad prendendum scortum a milite', cui Ritschelii emendationi non merito Buggius Philol. uol. 31 p. 251 praetulit [1]) suam: 'ut prehendat'. Tamen dubito an omnino uerbum 'prehendere' significans 'fassen, festnehmen' minus quadret. Fortasse quondam fuit: REPETENDŨ (cf. SCORTU), unde facillime fieri potuit: PREHENDIT.

Arg. Mil. 1: 'Meretricem ingenuam deperibat mutuo' a locutione 'deperire mutuo' Plauti usum abhorrere docuerunt interpretes Lorenzius in praef. adn. 3 et Brixius ad h. l., haesit autem in ipsa locutione solus Brixius, quae res sit, non perspiciens. Nam si comparamus cetera exempla: Varro sat. p. 178, 2 R: 'uiue meque ama mutuiter'; Planc. in Cic. fam. 10, 15 ex.: 'fac ualeas meque mutuo diligas' sc. ut te diligo; id. ib. 10, 9 ex.: 'te, ut diligas me, si mutuo te facturum scis, rogo' — uidemus non tam in uerbo 'deperire' offendendum esse quam in eo, quod minus facile suppletur: 'ut illa ipsum deperibat' neque legitur 'inter se deperibant'.

Finem faciant formae quaedam: 'Potitur' Pseud. 15 paenultimam correptam habet non prosodiae quadam licentia,

1) Secutus est Lorenzius.

sed quia, ut ait Seruius ad Aen. 3, 56, 'hoc uerbum de his est, quae permiscent coniugationes'. De usu, qui non desiit posterioribus temporibus cf. Neuium II, 418 sq. In Terentianis quoque argg. (Ad. 12) exstat illa forma ex Adelph. u. 871, 876 repetita. Illinc autem in Plautina transiisse uidetur.

De perfecto 'rediere' Amph. 6 cf. Corssen. uoc. I, 186 sq.; Neuium II, 389 sqq.

De aduerbio 'rursum' Aul. 3, quod fuit praeter 'rursus' iam antiquis temporibus, cf. Neuium II, 637.

Antiquae orthographiae duo tantum, in arg. Mil., exempla inuenio: u. 4: 'seruos', u. 8: 'reuortitur' in Vet., ut nimius sit Osannus l. l. p. 213 (ausserdem Formen, namentlich orthographischer Art et q. s.).

Ex iis, quae initio huius quaestionis disseruimus, hoc iam manifestum est Plautina non-acrosticha ipsa quoque ut Terentianas periochas ex posteriore, ac si Africae Latinitatis uestigiis quibusdam niti licet, ex eadem fere aetate originem ducere. Videamus igitur, utrum stabiliri possit an refutari Ritschelii suspicio, qui op. V p. 525 ex sola Plauti Terentiique propinquitate eundem esse auctorem collegit. Itaque primum proferam, quae iterum iterumque perlectis argumentis similia uel aequalia indagaui: Amph. 4: 'formam gerit' = Hau. 8: 'habitum gerens'. — uerbum 'uitiare' semper habent et Terentiana et Plautina argumenta, nunquam 'comprimere, stuprare' talia cf. Aul. 5 Aul. 11 = And. 2; Eun. 10 et 12; Hec. 11; Ad. 7 et 12 (Hec. 2: 'uitium obtulit' ex fabula). — pro notione 'in matrimonium dare', quae semel exstat in argumentis Plautinis, legimus 'conlocare' cf. Aul. 15 = Eun. 11 (semel praeterea 'coniugem dare' And. 12). — 'durus': Aul. 8: 'durus senex' = Hau. 2: 'durus pater', Ad. 4: 'sub duro ac tristi patre'. — 'mox' = 'tum': Aul. 13, Mil. 12, Pseud. 8 = And. 11, Hau. 4, Ad. 10. — Aul. 13: 'per dolum' = Hec. 3: 'per uim'. — 'aliquam deperire': Merc. 4, Mil. 1, Pseud. 2 = Eun. 8, Mil. 8: 'deuortitur Apud hospitem' = Haut. 4: 'deuortitur Ad Clitiphonem'. — Mil. 14: 'sperat nuptias' = And. 10: 'recusat n.'; And. 6: 'simulat futuras n.'. — Pseud. 11 sq.: 'symbolum Aufert' =

Hau. 10: ʻdecem minas — aufertʼ. — Pseud. 15: ʻscorto Calydorus potiturʼ = Ad. 12: ʻpotitur Ctesipho citharistriamʼ.

Notandus etiam defectus infinitiui ʻesseʼ Amph. 10: ʻadulterum se — confessus estʼ; Merc. 5 sq.: ʻpedisequam — ⟨fingit⟩ — emptamʼ = And. 6: ʻsimulat futuras nuptiasʼ; And. 9: ʻnatum ut uidit puerulumʼ; Ad. 3 sqq.: ʻhunc — captum — celabatʼ. Simillimae inter se hae quoque structurae sunt: Merc. 4: ʻuisam ancillam deperitʼ = Phor. 7 sq.: ʻeam uisam cum Antipho Amaretʼ, et: Pseud. 4: ʻMinis mercatus abiit, soluit quindecimʼ = Hec. 5: ʻProfectus dein in Imbrumst: nuptam haut attigitʼ. Unum restat grauissimum: Aul. 14: ʻinsperato inuenitʼ = And. 11: ʻinsperato adgnitamʼ.[1])

Hisce adiungam, quae discrimina possunt deprehendi: ac satis graue mihi uidetur quod Sulpicius deminutiua in deliciis habet: ʻmeretriculaʼ: And. 1, Hau. 10, Hec. 4; ʻpuerulusʼ: And. 9; ʻpuellulaʼ: Eun. 7; ʻseruulaʼ: Hau. 7; ʻadulescentulusʼ: Ad. 1; ʻpauperculaʼ: Ad. 8, quibuscum ne unum quidem in Plautt. argg. comparari potest, nam aliud quid est Mil. 10: ʻclanculumʼ. Praeterea Apollinaris antiqua uocabula minus studiose captauit, haec sunt omnia: illud ʻinsperatoʼ, ʻtechinisʼ: Hau. 9, et: ʻpauperculaʼ Ad. 8 (cf. u. 647) ex ipsa fabula. Porro hic ter utitur infinitiuo historico (Phor. 9; Ad. 10), qui deest apud anonymum. Dissentiunt auctores in constructione uerbi ʻpotiturʼ: alter ablatiuum habet (Pseud. 15), alter accusatiuum (Ad. 12, sec. Bemb.).

Sententias primarias particulis frequentius coniungit Apollinaris quam anonymus. Nam coniunctiones copulatiuas itemque aduerbia temporum seriem indicantia scil. inter sententias primarias deciens tantum legimus in Plaut. argg.[2]): ʻqueʼ: Aul. 3, 15, Pseud. 12; ʻatqueʼ: Aul. 8, 11; ʻetʼ: Mil. 15; ʻintereaʼ: Aul. 5; ʻmoxʼ: Aul. 13, Mil. 12, Pseud. 8. — in Ter.

1) In orthographia comparationem uersari nolo cf. Dziatzk. ad Phor. 12, qui tamen errare mihi uidetur Ad. 8: ʻeidemʼ (= idem) Apollinari tribuens, quod haud scio an propter superscriptum FIDICINA et subscriptum FIDEM hanc mutationem expertum sit.

2) Argumenta Amph. et Merc. prorsus carent iis.

autem deciens sexiens: 'que': And. 3, Eun. 3, Hau. 3, Ad. 5 (?) 'atque, ac': And. 5, Eun. 5; 'nam(que)': And. 4; 'sed': And. 9, Eun. 10, Ad. 3; dein': Phor. 9, Hec. 5; 'denique': Ad. 6; 'mox': And. 11, Hau. 4; 'mox tamen': Ad. 10.

Idem fere cadit in coniunctiones subiunctiuas: quibus copulantur enuntiata in argg. Plaut. quater tantum: 'dum': Amph. 2; 'cum': Aul. 14; 'postquam': Amph. 6; 'donec': ib. 9. — in argg. Ter. nouiens: 'dum': Hec. 10; 'cum': Eun. 8, Hau. 6, Phor. 7 (8), Ad. 1; 'ut': And. 5, 9, Hau. 4, Ad. 11. Praeterea ex mea coni. Eun. 10. His absolutis iam in eo est, ut meam de auctoribus sententiam expromam. Discrepantiae igitur, quas inuenimus, et sermonis et prosodiae et rei metricae, quamuis paucae sint, diuersos auctores mihi uidentur postulare. At propter summam in plerisque rebus metricis congruentiam ex eadem disciplina illa argumenta orta esse pro certo habeo, qua suspicione etiam sermonis similitudines explicantur. Sed ad hanc necessitudinem infra redibimus.

Quaestio 4.

De uita et aetate C. Sulpicii Apollinaris.

Quamquam Apollinaris uita cum Gellii iuuentute artissime cohaeret, nihil tamen inde proficimus ad illius aetatem definiendam, quia ipsius Gellii aetas alta caligine obruta est, quam paruo cum fructu docti uiri conati sunt disturbare. Etenim non minus quam quinque lustris in natali Gellii anno statuendo differunt inter se, cum Th. Vogelius (de Gellii uita et q. s. in progr. Zittau. a. 1860) Traiani temporibus eumque secutus Teuffelius litt. Rom. ed. I[1]) c. 340: anno 115, Baehrius autem (Ersch et Gruber, Enc. s. u. G.) a. 140 eum natum esse opinentur. Mediam autem uiam ingredi suo iure sibi uisus Friedlaender (Sitteng. III[5] p. 470 sqq.) in a. 130 uel 134 diem natalem Gellii collocauit. Cuius quaestio cum maxime pendeat ex anno, quo Athenas Gellius se contulerit, definiendo, non caute fecit, quod hunc incerto argumento circumscripsit.

1) In ed. III Gellium circa annum 125 natum esse dicit.

Nam quis hoc argumentum probabit (p. 473) Gellium Athenas profectum esse a. fere 160, quia nusquam appareret iam ante profectionem duos Augustos imperium suscepisse? Quod autem Apollinarem attinet, ex Capitol. Helu. Pert. c. 1: 'Puer (Pertinax) litteris elementariis et calculo imbutus, datus etiam Graeco grammatico atque inde Sulpicio Apollinari, post quem idem Pertinax grammaticen professus est' — ut fit probabile Apollinarem circum a. 140, quo Pertinax (a. 126 natus) quattuordecim puer annorum erat, etiamtum uixisse, ita nulla re cogimur ultra a. 146, quo Pertinax uicensimum uitae annum explebat, mortem Sulpicii promouere. Potest etiam paulo ante mortuus esse, cum non obstet hic locus Gellii (13, 18, 2): 'Erucius Clarus, qui praefectus urbi et bis consul fuit, uir morum et literarum ueterum studiosissimus, ad S. A. scribsit'. Nam si exprimere uoluisset auctor iam illo tempore iterum consulem fuisse Erucium — quod a. 146 factum est — 'bis consul erat' non 'fuit' dicere debuit. Gellius autem etiam exacto anno uicensimo quinto Apollinaris consilio usus est. Nam hanc aetatem munus iudicis postulabat, quod ipso legitimo tempore adeptus uidetur esse secundum locos a Friedlaendero p. 472 allatos. Possimus igitur, si in ultimos Apollinaris annos haec consuetudo incidat, Gellii natalem ponere a. circa 115, ut a. 145 (circum quem Ap. fortasse diem obiit) triginta fere annos fuerit natus. Cui temporis descriptioni non repugnat, — qua in re alterum Friedlaenderi argumentum uersatur p. 471 — quod de Terentio Scauro legimus N. A. 11, 15, 3. Nam si a. 130 hic iam mortuus erat, suo iure eum 'diui Hadriani temporibus grammaticum uel nobilissimum' Gellius potuit nominare, sicut suae memoriae doctissimum appellat Apollinarem (N. A. 13, 18, 2 et 18, 4, 1), neque opus est cum Friedlaendero propterea in finem imperii Hadriani natalem Gellii relegare. Nam puerulus profecto doctos aetatis suae grammaticos non multum curabat. Non igitur uidetur necesse esse ultra annum 146 Apollinaris aetatem prolatare.

Domitium quendam Apollinarem reperimus in Plinii epistulis, amplissimum uirum et gratissimum, quem commouere

studet Plinius ad Erucii Clari petitionem adiuuandam (ep. II, 9, 6). Fuit autem consul designatus a. 97, — sententiam dicit (ep. 9, 13, 13), — legatusque fuit Lyciae (δικαιοδότης) cf. C. I. Gr. III, 4236.[1]) Contra litteris minus uidetur operam dedisse, si quidem ex Plinii silentio in ep. 5, 6, ubi maxime in § 41 sqq. commemorandi talis studii occasio erat, illud conicere licet. Hunc igitur quidam docti uiri[2]) persuasum habent eum esse grammaticum, qui a Martiale compluriens commemoratur. Cui opinioni uel hoc repugnat, quod hunc artissimo cum Martiale coniunctum uidemus uinculo, quale uix amplitudo concessit illius. Sed utcunque haec res se habet: ut illum in litteris floruisse nusquam legimus, sic hunc ad munera publica gerenda accessisse ne uno quidem uocabulo traditum est. Itaque, ut sine ambagibus eloquar, quid sentiam: credo Martialis Apollinarem esse hunc de quo disserimus C. Sulpicium. Nam uide, quam accurate cum hac apud Gellium laude Apollinaris iudicii N. A. 12, 13, 4: 'cum uerborum Latinorum sententia, usus, ratio exploranda sit, scaeuus profecto et caecus animi forem, si, cum haberem tui copiam, issem magis ad alium quam ad te' et animi: N. A. 13, 20, 5: 'ut mos eius in reprehendendo fuit, placide admodum leniterque' — quam accurate, dico, cum hac iudicii et animi laude congruat hoc Martialis epigramma: IV, 86:

'Si uis auribus Atticis probari,
Exhortor moneoque te, libelle,
Ut docto placeas Apollinari.
Nil exactius eruditiusque est
Sed nec candidius benigniusque:
Si te pectore, si tenebit ore,
Nec rhonchos metues maligniorum
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnauerit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit,
Inuersa pueris arande charta.'

1) Cf. Mommsen. in ind. ed. Plinii Keil. 2) Cf. Schwabius in Teuffelii litt. Rom. c. 328, 3 et P. Giesii de personis apud Martial. comm. libellum.

atque simile est argumentum ep. VII, 26: 'Apollinarem conueni meum, Scazon et q. s.'. Eidem amico simul et iudici lasciuiam libri XI Mart. excusat cf. XI, 15 u. 11 sqq.

Ac temporis quoque ratio quae inuenimus confirmabit. Nam si statuimus circum annum 60 natum esse Apollinarem, a. 88 uel 89, quorum alterutro editus uidetur [1]) esse Mart. liber IV, annum 29 uel 30 agebat. Tam iuuenili eum aetate tam doctum iam fuisse, nemo mirabitur, qui secum reputauerit, quam mature [2]) illis maxime temporibus adulescentuli ad litteras accesserint, atque etiam minus mirabitur in iuuene Carthaginiensi, si Apuleium audiet: Flor. 20 ex.: 'Carthagini —, ubi tota ciuitas eruditissimi estis, penes quos omnem disciplinam pueri discunt, iuuenes ostentant, senes docent'. Martiale igitur anno 42 nato Apollinaris minor duodeuiginti fere annis erat, quae tamen res summam illius erga doctum amicum reuerentiam non impediebat. In epigrammate autem VII, 89 (a. fortasse 92 scripto [3]), quo Mart. quinquaginta annorum erat): 'I, felix rosa et q. s.' cum donum, tum uerba 'nectere candidas, sed olim' ad iuniorem hominem magis quam ad quinquagenarium quadrant. Ita a. 146 annos fere 85 Sulpicius habebat, quam ad aetatem quod statuimus eum docuisse neminem offendet. Ac sane uidetur non iunior fuisse illo tempore, quo Erucius Clarus, qui consulebat eum in quaestionibus difficilibus (N. A. 7, 6, 12; 13, 18, 2), ipse paene octogenarius erat, si a. 97 uel paulo post [4]) Plinii ep. II, 9 de petitione illa tribunatus scripta est. Huc usque si recte disseruimus, iam accuratiorem Apollinaris uitae imaginem proponere licebit: Natus Carthagine circum a. 60 mature Romam peruenit, ubi mox arte grammatica florebat. In matrimonium deinde duxit Tiburtinam aliquam cf. Mart. ep. X, 30, 5: 'Non ille sanctae dulce Tibur uxoris' atque fortunis auctus — nam uillam possidebat Formiis a Martiale ipso illo epigrammate laudatam —, et a nobilissimis aetatis suae hominibus celebratus (cf. inprimis N. A. 19, 13, 2)

1) Cf. Teuffel. litt. Rom. c. 322, 4. 2) Cf. Friedl. III[5] p. 341 sq.
3) Cf. Teuffel. l. l. 4) Cf. Teuffel. c. 340, 5.

uitam degit semper Romae usque ad mortem, quantum nos possumus iudicare.

In fine liceat aliam coniecturam addere, quam supra inserere non potui. Inueniuntur in Anth. Pal. duo epigrammata: 'Ἀπολλιναρίου' inscripta[1]): alterum XI, 399 Glyconem grammaticum irridens, alterum XI, 421 de falsis amicis, adespota nimirum per se, nam quis sine indicio de tot Apollinaribus certo cuidam attribuere ea audeat? Atqui G. Weigandus Mus. Rhen. uol. 3 (a. 1845) p. 552 demonstrauit tres locos ad ordinem elementarium compositos reperiri in Anth. Cephalae poetarum, quorum 'antiquissimus, Lucillius, sub Nerone floruit, recentissimus, Lucianus, uitam usque ad annum CC p. Chr. produxit'. His igitur in reliquiis operis ut uidetur a Diogeniano Heracleota compositi insunt illa quoque epigr. duo, quare iam Weigandus p. 554 de duobus putauit alterutri ea attribuenda esse aut Apollinari, episcopo Rauennati[2]), qui sub Vespasiano martyrium subiit, aut Claudio Apollinari, episcopo Hieropolitano[3]), qui circa a. 171 uixit. Equidem de hoc non minus quam de illo dubito, sed argumentorum auctori illa quoque opuscula uindicauerim.

Non Graecos solum, sed etiam Romanos symbolas suas ad corpus illud Diogeniani contulisse ex eo intellegis, quod Traiani epigr. (XI, 418) haud procul ab altero Apollinaris inest.[4]) Sulpicius autem Apollinaris, quam Graecis litteris doctus fuerit, supra uidimus p. 199. Denique ad quem alterius epigr. argumentum magis quadrat, quam ad grammaticum, cui nimirum riualis alicuius deludendi saepenumero se offerebat occasio? Praeterea color quoque horum poematiorum nonne prorsus conuenit illius hominis leni humanoque ingenio?[5])

1) Cf. Duebn. ind.: XI, 346 et 424 non iure eidem tribuuntur.
2) Cf. Fabricii bibl. Graec. ed. Harl. VIII p. 586.
3) Cf. Fabr. ib. et Paulii enc. s. u. Ap. 2.
4) De Latinis in Anth. Pal. nominibus cf. Finsler., krit. Unters. z. Gesch. d. gr. Anth. p. 125 adn., qui multa exempla collegit.
5) De diuersa nominis forma cf. Ritschel. op. IV, 446 sqq.

Pars II.

De acrostichis Plautinis.

Quaestio 5.

De auctore quid adhuc suspicati sint uiri docti.

Denuo nobis idque ad acrostichorum quaerendum auctorem ex portu nauigantibus certiora ab initio indicia uidentur suppetere, quae tamen nihili esse mox intellegemus. Ac primum quidem, quod Donatus locutionem quandam ex acrostichis ut Plautinam expromit [1]), credat quispiam ex antiquissimis quidem temporibus — nam de Plauto ipso nemo iam cogitat — illa originem ducere. Verum etiamsi Donatus, seu errore ductus seu parum accurate locutus, Plauto ipsi argumenta tribuit, haec uel ducentis annis ante Donatum orta esse potest putari.

Porro meram fabulam a Guarinio Veronensi, si Wolffio credere licet (cf. Prolegg. ad Plauti Aul. p. 24), institutam sequebantur ii, qui Prisciano argumenta tribuebant, eamque fallacem, ut ex Donati testimonio uidemus, praeterquam quod Priscianum tam bonos iambos scribere non potuisse carmen eius ad Anastasium missum (cf. Prisc. de laude imp. An. ed. Endlicher: initio) satis luculenter demonstrat.

Neque uero minus errant, qui a Sidonio Apollinare, celeberrimo quinti saeculi episcopo, facta esse argumenta nostra contendunt, ut Forcellinius in lexico s. u. 'compressor' Sidonium nominans; praeterea cf. uirum doctum in Paulii enc. s. u. Apollinaris Sidonius: 'ihm legen einige die den Stücken des Plautus vorgesetzten metrischen Inhaltsangaben (Acrosticha) bei, welche andre dem Grammatiker Priscianus zuweisen'. Nimirum hi episcopum cum Sulpicio Apollinare, Terentianarum periocharum auctore, confuderunt.

Qui M. Varronem idoneum, in quem conferrent argumenta

1) Cf. ad Ter. And. III, 5, 4: 'pretium ob stultitiam: Sic Plautus locutus est: Pretium ob asinos, pro asinorum pretium' scil. arg. As. u. 3.

illa, putabant, sine dubio Plautina eius studia spectabant, quam sententiam per se peruersam esse non contenderim [1]), si modo ullum adesset adminiculum nec certa quaedam obstarent. Adminiculum quidem Osannus inuenisse sibi uisus est certissimum, cuius tamen aestimatione obcaecatus quae repugnant circumspicere non curauit. Conatur enim commentatione, quae inserta est diurn. antiq. stud. a. 1849 p. 193 sqq., demonstrare Aurelium Opilium grammaticum haec conscripsisse poematia solis his nisus uocabulis Suetonii de ill. gramm. 6: 'Huius (sc. Aurelii) cognomen in plerisque indicibus et titulis per unam *l* litteram scriptum animaduerto, uerum ipse id per duas effert in parastichide libelli, qui inscribitur Pinax'.[2]) Speciosa sane coniectura Osanni et quae multis hominibus doctis probatur, quam tamen ne accipiamus grammaticis impedimur scrupulis grauibus, id quod infra demonstrabimus. Sed ne quis uel hoc Osanni sententiae opponat nescire nos, quas pro genuinis habuerit Plauti fabulas Opilius, continentur Varronianae quae dicuntur fabulae iis tantum, quae ab omnibus ante Varronem doctis uiris itaque etiam ab Aurelio Plauto attributae erant. Atqui id per se uerisimile est, si Opilius ad alias quasdam fabulas praeter XXI illas fecisset argumenta, haec separata intercidere potuisse.

Atque arbitretur quispiam acrosticha antiqua esse nisus Fleckeiseni, uiri doctissimi, commentatione (cf. Annall. Phill. uol. 93 p. 9—13, contra Ritschelium in Prolegg. CCCXVIII), qua illam formam 'Pseud*o*lus', acrosticho traditam certissime, meliorem esse et antiquiorem demonstrare conatus est — nam Ritschelio non persuasit (cf. op. III p. 7 adn.). At sit forma illa antiquissima, nonne ex libris Plautinis, quippe in quibus etiamnunc legatur, ab auctore potuit adoptari? [3]) Sed prius-

1) Cf. Ritschel. op. V p. 524 sub finem.

2) De hoc Opilii opere cf. Ritschelii Parerga p. XV sqq.

3) De antiqua forma 'Pseudolus' O. Seyffertus in Philol. uol. 25 p. 448 sq. adn. Fleckeiseno suffragatus ad aetatem acrostichorum definiendam alio argumento usus est, quod infra uidebimus; infra etiam de ceteris antiquis formis uerba faciemus.

quam ad meam argumentationem transeam, absoluenda est controuersia quaedam tacta tantum ab Osanno (cf. p. 199 et adn. †), qui locum attulit ex Bekkeri Anecd. Gr. uol. III p. 1461 adn. *) Andronici[1]) cuiusdam *περὶ τάξεως ποιητῶν*, ubi sub finem legimus haec: '*ἡ δὲ νέα* (scl. *κωμῳδία*) *μηδ' ὅλως αἰνιγματώδης, πλὴν ἐπὶ δούλων καὶ ξένων, ἧς ἐπίσημος Μένανδρος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις Τερέντιος καὶ Πλαῦτος, χρῆται δὲ προτάσει καὶ ἐπιτάσει καὶ ἀναστροφῇ ὁ Τερέντιος, καὶ εἰς πέντε σκηνὰς διαιρεῖ τὸ δρᾶμα. Πλαῦτος περιοχὴν ποιεῖ τῆς αὑτοῦ κωμῳδίας, Τερέντιος δ' οὔ. Τραγικῶν δὲ ποιητῶν* et q. s.'. Ex uerbis autem *Πλαῦτος περιοχὴν ποιεῖ τῆς αὑτοῦ κωμῳδίας, Τερέντιος δ' οὔ* Osannus grammatico illi Terentiana argumenta nota non fuisse colligens ante C. Sulpicium Apollinarem, auctorem illorum, eum fuisse contendit. Quod si recte iudicasset uir doctus, iam constaret ante Sulpicium scripta esse Plautina argumenta, aut non-acrosticha illa aut ipsa acrosticha. At primum mihi maxime est dubium, num nostra argumenta dicat ille grammaticus, si quid sentio, plane aliud quid in mente habet: prologos Plautinos et Terentianos. Namque cum Terentius in prologis identidem dicat se non exponere fabulae argumentum, in Plautinis prologis satis frequens est illa argumenti explicatio. Quae sententia etiam probabilior fit, si locum illum ex Donati comm. (ad And. u. 1) conferimus[2]): 'Haec scaena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae iaciuntur, ut uirtute poetae sine officio prologi uel *θεῶν ἀπὸ μηχανῆς* et periocham comoediae populus teneat et res agi magis quam narrari uideatur'. Quocum loco conferas haec Euanthii 'de tragoedia et comoedia' uerba: apud Klotz. uol. I p. XIV l. 16: 'Tum etiam Graeci prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent. Deinde *θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς*, id est, deos argumentis narrandis machinatos, ceteri Latini instar Graecorum habent: Teren-

1) De auctore illius scripti cum Osannus dubitaret, probabiliter ex Andronici Rhodii opusculo aliquo exscriptam esse hanc particulam coniecit Bergkius ed. p. VIII.

2) Quem Osannus non intellexit.

tius non habet'. Etiam Eugraphii comm. in And. ad prol. u. 1 adhibenda sunt uerba: 'omnis prologus triplici inducitur causa, uel ut argumentum fabulae possit exhibere, uel poetam populo commendare uel ut a populo audientiam postulet. Sed his omnibus causis Terentius non ita usus est'.[1])

Sed concedamus paullisper ad argumenta spectare scriptoris uerba, quis inde colliget fuisse illis temporibus Plautina argumenta, Terentiana non fuisse? Namque cum in codicem Plauti Ambr. posterioribus demum saeculis non-acrosticha pauca intrarint, omnino nunquam acrosticha, nonne etiam in Terentii quibusdam codicibus defuisse periochas statuere possumus? Sed mittamus hoc, quia uana est tota Osanni sententia.[2])

Iam ut accuratius cognoscamus argumentorum naturam, instituatur

Quaestio 6.

De sermone acrostichorum.

Quanta cautione opus sit in lubrica hac materia supra monuimus, tamen, quae cum probabilitate elici possint, statuere licebit. Quod mouit hanc quaestionem, laus est Ottii (in Annall. Phill. uol. 109 a. 1874 p. 863 adn.), quare ab huius argumento incipiendum erit. Docuit autem ille, ut ipsa uox 'inuicem' laxius et a posterioribus tantum ponitur pro locutione 'inter se' ad reciprocum, qui dicitur, conexum significan-

1) Cum Andronico Terentii interpretes etiam aliis in rebus consentiunt, ut Don. de quinque actibus identidem loquitur. Ita apud A. ἀναστροφῇ corrigendum est (quod dubitanter iam Bergkius proposuit ed. p. VIII, sine causa delens nomen Terentii) ex Euanth. comm. I p. XV l. 33 sqq.: 'prologum, protasin, epitasin, catastrophen'.

2) Unum addere mihi liceat: uidetur auctor in lyricis inprimis Sappho poetam amasse, quippe quam solam laude extulerit: cf. in uersu 8 Bekk.: ὡς τὰ τοῦ Πινδάρου καὶ Στησιχόρου καὶ Ἀνακρέοντος καὶ Ἀλκμᾶνος, Ἀλκαίου, Βακχυλίδου, Σιμωνίδου, Ἰβύκου, καὶ τὰ τῆς μουσικωτάτης Σαπφοῦς. Quare conicias eiusdem esse epigramma illud Anth. VII, 181 conformatum ex Sapphus carmine VII, 489, ubi Duebneri conferas adnotationem.

dum, abundanter coniunctum 'inuicem se' apud Iustinum demum esse usitatum. Ante eum duo tantum exempla inueniuntur (Tac. dial. 25; Plin. epp. III, 7, 15), quae tamen Ottius in dubitationem uocauit. Sed quoquo iure hoc fecit, uersus ille Men. 10: 'Ibi se cognoscunt fratres postremo inuicem' uidetur non ante exiens primum p. Ch. saeculum posse scriptus esse.

2. Amph. 5: 'Is aduenientis seruom et dominum frustra habet': Locutionem 'frustra habere' legimus Tac. Ann. 13, 37: 'Corbulo — frustra habitus' et ib. 14, 11, nam speciosa et certa paene est coniectura Mureti 'postquam frustra habita sit'. His duobus locis cum 'eludere' significet illa locutio (cf. Nipperdei et Orellii adn.), tertio pro uerbo 'neglegere' positam eam esse apparet Ann. 13, 51: 'quae breui seruata, dein frustra habita sunt'. Ad Ann. autem 13, 37 Nipp. disertis uerbis affirmat apud Tacitum locutionem illam primum inueniri. Qua, si Handium Turs. II p. 748, 6 et lexica sequimur, ex posterioribus auctoribus praeter Amm. Marc. nemo est usus cf. 18, 6, 6 (Eyss.): 'si Persae frustra habiti redissent'; id. 31, 12, 9 ex.: 'frustra habiti discesserunt'. At apud Symmachum inuenio ep. II, 72: 'Id si ita est neque me opinio frustra tui habet'. Plautus ipse ad sensum illum reddendum cum uerbo 'habere' datiuum substantiui coniungere solet ut 'inridiculo habere' Poen. 1172 Ge. (5, 4, 10), ludificatui h. ib. 1270 (5, 5, 2), frustratui h. Men. 695.

3. Legimus Aul. 7: 'compressor', quod in Mythogr. tantum Lat. exstat I, 18 ed. Bod. (scriptt. rer. myth. uol. I) 'a compressore in uaccam transfigurata est'. Quomodo inde a Liuio et Sallustio increbruerit studium talia substantiua fingendi licet e Pauckeri Meletem. Lexistor. spec. Dorp. 1875 cognoscere, qui in hac dissertatione 'kleine Beiträge zur lat. Lexicogr. etc.' Mélanges Gréco-Rom. III, 522 'compressor' inter uoces Hadriani aetate posteriores adfert.

4. Most. 6: 'Lucripeta', quamquam comoediam redolet, rursus offendimus apud solum Cassiod. Var. 12, 11 tom. LXIX ed. Mign. 'nesciunt enim esse lucripetes (!)'. Simile uocabulum Apuleius finxisse uidetur 'poscinummius' Met. X, 21 p. 933 Hildebr.

5. Certa aetas est rursus significationis, qua usurpari uide-

mus uerbum 'sustinere' Stich. 3: 'perseuerent — ita sustinere fratres neque relinquere'. Nam quam exspectes, 'aufrecht erhalten', non quadrat. Immo agnosco hic sententiam 'erwarten', quae apud Africanos demum uidetur inueterasse, ut ex litteris sacris plurima exempla attulit Roenschius It. et Vulg. p. 381 sq., praeterea ex Tertulliano, Cypriano, etiam ex Hygini fabulis et ex Peruigilio Veneris. Contra quod ex Martiale confert, non aeque dilucidum est, cum uerti posset etiam 'aushalten, sich gefallen lassen' cf. IX, 3, 13: 'Exspectes et sustineas, Auguste, necesse est'. At Apuleio uindicanda est illa significatio (quem R. omisit) Met. XI, 21 p. 1066 'me quoque oportere caeleste sustinere praeceptum', ubi negat eam omnino cogitari posse Hildebr. Nam cf. c. 22 in. p. 1068: 'nec me — longi temporis prolatione cruciauit deae potentis benignitas'.

Nouum autem inferioris aetatis testimonium haberemus, si Amph. 9 constaret non 'Alcumena' sed 'geminos' interpolatum esse, quod mihi quidem constare uidetur; tum adhibendus esset Boetticher in lex. Tac. 'eniti sine casu i. q. parere' in iis enumerans, quae Taciteae propria sunt aetatis. Ceterum de hoc loco cf. quod infra dicemus.

Verum tamen nondum exhaustae sunt nostrae copiae, immo reperimus praeterea nonnulla, quae iam melioribus temporibus a poetis uel uergentibus etiam a pedestris sermonis scriptoribus, neglegentioribus quidem, passim admissa, postea in communem usum recepta sunt.

Ordiar a uoce 'terrificus' Most. 4, quam paulo longius rursus non sine fructu prosequemur. Ac primum quidem affero locos Lucretianos: VI, 387: 'Quodsi Iuppiter atque alii fulgentia diui Terrifico quatiunt sonitu caelestia templa' et II, 632: 'Terrificas capitum quatientes numine cristas': qui u. redit fere totus: V, 1315: 'Terrificas capitum quatientes undique cristas', ubi deleuerunt Faber, alii.[1] Aperte

---

1) Transponi maluit Bockemueller post uocem 'tenere' in u. 1312 Lachm. cf. etiam Gneissii de uersibus in Lucretii carmine repetitis, Dissert. Argent. uol. II p. 77.

secundum locum imitatus est Ouidius, qui semel omnino uocabulum illud habet, Met. I, 179: 'Terrificam capitis concussit terque quaterque Caesariem'. Tectius Vergilius primum Aen. VIII, 431: de fulminibus in Aetna monte factis dicens: 'Fulgores nunc terrificos sonitumque metumque Miscebant operi' (de lect. 'horrificos' cf. Ribbeckii adn.). Praeterea inuenitur illa uox Aen. XII, 104: 'Mugitus ueluti — taurus Terrificos ciet' et ib. V, 523 sq.: 'Docuit post exitus ingens, Seraque terrifici cecinerunt omina uates Namque uolans liquidis in nubibus arsit harundo'. Posteriores autem Vergilium ita secuti sunt, ut plerumque ibi uocem 'terrificus' adhiberent, ubi de monstro aliquo a uatibus praedicto uel omnino de Phoebi sacris sermo est. Cf. Lucan. V, 128: 'Limine terrifico metuens consistere Phoebas — noscendi ardore futuri'. Liberius uocabulo usus est Val. Flacc. I, 785 sumpto tamen ex Vergilio, siquidem etiam alibi (V, 261 cf. W. Ribbeck. ad Verg. V, 524) illum locum imitatus est. Frequentior usus apud Stat., cuius Theb. III u. 666 sq., VII u. 407 coll. u. 402 sq., X u. 170; Silu. V, 3, u. 96 sq. similes sunt loco Vergilii (V, 523 sq.), contra Theb. III, 224: 'Fulmine cristatum galeae iubar, armaque in auro Tristia, terrificis monstrorum animata figuris, Incutiens' magis locum Lucretii in animum reuocat. Restat Theb. VI, 835. Deinde Claudiani conferamus in cons. Eutr. II (20) Ieep. u. 45 sqq.: 'Tum uates sine more rapi lymphataque passim Pectora terrifici stimulis ignescere Phoebi Fac nullos cecinisse deos et q. s.', quae conscripta sunt, ut recte monet Gramlewiczius apud Ieep. uol. II p. CIX ex Aen. VII, 377 — sed assonant praeterea ad V, 524. 'Terrificos mugitus' ut Aen. XII, 103 sq. habemus de rapt. Pros. II (35) 8: 'Terrificis gemuit mugitibus Aetna'. Praeterea Claudianus uocem habet: ib. I (33) 163 sq.; Ruf. I (3) 131; Gigant. (37) 75; Hyst. c. min. 20, 23.

Hinc si respicimus, uidetur Lucretius huius uocabuli auctor esse eo magis, quod apud eundem primum uerbum 'terrificare' inuenitur. At exstat apud Censor. in frg. de met. 96 I.[1]) hic

1) Gramm. Lat. uol. VI p. 614 K.

uersus Aristobolii (?) cf. Ribbeck. tragg. inc. inc. u. 96: 'Quae tám terribilis túa pectora turbát terrifico sónitu impulit', quem uersum cum uicinis fictum esse a grammatico contendit L. Mueller Annall. Phill. uol. 97 (a. 1868) p. 434 sine causa, si eum Ribbeckio anapaestos metimur. At hoc nescimus, num ante Lucretium auctor illius uersus fuerit, immo expromptus mihi uidetur hic ex loco Lucretii: 'Quod si Iuppiter atque alii fulgentia diui Terrifico quatiunt sonitu caelestia templa', ubi subsecuntur haec: 'Pectore perfixo' u. 392, 'turbine caelesti subito correptus et igni' u. 395. Sed ut sit Lucretius imitator, utique prorsus poetica uox illa initio fuit, quare prosae orationis scriptores raro ea usi sunt. Apud Plinium maiorem unus reperitur locus, N. H. II, 25 Detl. (p. 88 l. 22): 'Sed cometes nunquam in occasura parte caeli est, terrificum magna ex parte sidus'. Quare equidem persuasum habeo Plinio obuersatos esse hic illos de uatibus terrificis omina canentibus et de cometa uersus Verg. Aen. V, 524 sq. Quod cadit etiam in Plinii minoris locum illum, quo solo uox 'terrificus' apparet ep. VI, 20, 19: 'Plerique lymphati terrificis uaticinationibus'. Et ne mireris nos tantam auctoritatem uindicare loco illi Vergiliano etiam Spart. uita Getae c. 3, 7 ad eum respexit, quod indagauit Baehrensius Ann. Phill. uol. 107 p. 67. Itaque hic quoque dicendum erit non iam Aurelii Opilii temporibus in quolibet poesis genere illam uocem potuisse adhiberi.

Verbum 'generare' et apud poetas et apud scriptores posteriores haud raro inuenitur, ut semel apud Enn. Ann. u. 31 sq.: 'isque pium ex se Anchisen generat', tum apud Vergilium, Ouidium, Manilium, Silium et apud Curtium, Plinium (N. H.), Quintilianum, Suetonium, Iustinum, Gellium, Modestinum (Dig.). Poeticam autem huius uocabuli originem uel ex iis locis cognoscimus, ubi Cicero eo usus est, nimirum nusquam nisi in elata oratione de diis uel de rebus diuinis sanctisque uerba faciens. In orationibus semel exstat Phil. IV, 2 (5) Baiter et Kayser: 'deo —, a quo populum Romanum generatum accepimus'. Paulo frequentius in scriptis philosophicis; uerum animaduerte hic

quoque orationis colorem: de legg. I, 9 (27): 'hominem — generauit et ornauit deus'. Adde: Tusc. V, 24 (69); Offic. I, 7 (22); ib. 29 (103); de rep. 2, 12 (24); Tim. 2. Plane similis est unus ille locus Cornelii Nep. Att. I: 'T. Pomponius Atticus, ab origine ultima stirpis Romanae generatus'. At toto caelo distat ab his Cist. 2: 'natam generat nuptiis'.

Corruptela laborat Mil. u. 8: 'Obherentis', atque cum facile cognoscatur ex sequentis uersus primo uocabulo 'Ridiculis' ultimam syllabam in eum intrasse, ut ex hoc in alterum praepositio 'de' (de tegulis) delata est (cf. 'deluditur' in codd. praeter Vet.), euadit fere lectio 'obhaerens', quam tamen ipsam quoque Ritschelius op. II p. 410 sq. spernendam esse uidit. Nusquam eodem sensu, quo 'occubare', et non nisi apud poetas uel posteriores scriptores legitur cf. Lucr. IV, 420; Seneca Tranqu. a. VIII, 3, alibi; Suet. Tib. 2, id. Nero 19; Apul. Met. VI c. 12 ex.; Auct. de origine gent. Rom. 20, 3; Lactant. op. dei 11 apud Mign. uol. VII p. 52. Restat igitur quod satis probabiliter scripsit Ritschelius: 'oberrans'. Attamen ne hoc quidem uocabulum excepto uno loco Horatiano A. P. 355 sq.: 'ut citharoedus Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem', apud meliores scriptores legi ex lexicis intellegas, ubi nulla nisi ex Curtio, Seneca, Persio, Plinio (N. H.), Silio, Tacito, Claudiano deprompta afferuntur exempla.

Truc. 8: 'Natique causa dat propensa munera'.

Vocabulum 'propensus' proprio sensu, ut sit 'propendens', non saepe adhibetur: a Solino p. 109, 1 Mo.: 'Est et alce mulis comparanda, adeo propenso labro superiore et q. s.', a Capit. u. Gord. 19, 4 P.: 'quem uulgo iocantes quod esset natura propensior Priapum non Priamum saepe uocitarunt'. Eandem sententiam statuo Cic. Parad. III, 2 (24), ubi a libra repetitur similitudo: 'Causa igitur haec, non natura distinguit, quae quoniam utro accessit, id fit propensius, si utroque adiuncta est, paria fiant necesse est'. — Pluribus locis ad hominem relatum adiectiuum 'propensus' significat 'inclinatum ad aliquid', scil. translato sensu, uel absolute 'facilem, habilem', quas significationes non opus est illustrare exemplis. — Restat

tertia quaedam, 'grauidum', quam ut Ciceronis illo loco, quem iam expediuimus, ita Plaut. Bacch. u. 513 R. adiectiuo illi subesse docent uiri docti:

'Verum quam illa umquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propensior,
Mendicum malim mendicando uincere'.

Ussingius igitur adnotat: 'propensior i. e. grauior', ipsa Truc. arg. uerba conferens. At primum quidem satis miro modo Mnesilochum de pondere amicae sua pecunia augendo loqui unusquisque concedet, praeterea autem ille non eo in Bacchidem animo est — quam u. 505 R. etiamtum amare se dilucide confitetur — ut uel minimam a se utilitatem ad eam redundare nolit, uerum hoc tantum affirmat nunquam sua pecunia (hoc urgendum uidetur) infidelem illam se placaturum esse i. e. paulo scil. plumae ramenta propensiorem — nam 'multo' non sperat — redditurum. Ceterum perperam hos uersus intellexit iam auctor alterius recensionis: 'Ramenta fiat grauior aut propensior'. Sed ut redeamus ad Trucul. arg., ne hic quidem sensus 'grauia' aptus uidetur, cum munera sint: ancillae duae u. 530, pallula 536, tus, amomum 540. Quare haud scio an scribendum sit: 'dat propense munera'. Quod tamen aduerbium satis raro et apud laxiores tantum scriptores inuenitur: apud Lentul. in Cic. ep. XII, 15 (3): 'ut hanc concordiam — propense non crederent esse factam'. Liu. 37, 52, 6: 'propensius cumulatiusque — senatum facturum'. Apul. Flor. XX p. 96 Hildebr.: 'eoque propensius fortasse laudandus est, quod et q. s.'. Hygin. de mun. cast. § 7 L.: 'binos equos possidentes propensius tendant'.

Truc. 2: 'Rure unus, alter urbe, peregre tertius'.

De ablatiuo loci, quem habemus in uoce 'urbe', adeas Draegeri synt. I, 485, ubi legimus: 'andre mehr vereinzelte Ablative der Ortsruhe als die oben erwähnten sind in alter und classischer Zeit höchst selten, werden aber von Livius ab und dann im silbernen Latein gebräuchlicher. Namentlich wird später der blosse Abl. ohne Attribut häufiger'. Huius quidem casus ex Liuio haec tantum exempla habet: I, 34 (8) 'Ibi ei carpento

sedenti', ubi Weissenb. cl. Ou. Fast. 4, 345: 'plaustro sedens' poeticum colorem cognouit; V, 40 (9): 'Plaustro coniugem ac liberos habens'; XXII, 4 (6): 'nebula campo quam montibus densior sederat'. Ex Curtio duos locos adfert, ex Tacito multo plures; cf. etiam Kuehneri grammaticam II p. 261 sq. i, adn. 5.

Mil. 9: 'Ridiculis — luditur': Seyffertus Philol. uol. 25 p. 439 'ridicule is' sine necessaria causa scribere maluit, cf. Ritschel. op. II p. 412 adn. Adiectiua in casibus obliquis raro pro substantiuis usurpari docet Draeger I p. 41 sq. § 21: ex iis autem, quae attulit, exemplis maxime illi, de quo quaeritur, respondere uidentur Tacitea: Ann. II, 27: 'iuuenem — facilem inanibus'; II, 78: 'promptus ferocibus'. Etiam Kuehner II p. 174, 4 docet inprimis apud posteriores et apud poetas hunc usum latius patere.

Capt. 9: 'Indicio quoius alium agnoscit filium'
et Cas. 2: 'Alium senex adlegat, alium filius'.

De 'alius' pronominis pro 'alter' usu cf. Draeger. I p. 88, secundum quem constat uel in duplicato pronomine tum tantum 'alius' locum habere, si ipsa diuersitas prematur. Repugnat huic regulae exemplum illud inscriptionis Gracchorum fere aetati tribuendae in Anthol. epigr. Lat. spec. I (ind. schol. Gryph. aest. a. 1870) p. 8 sq. c. XX, 5 cum adn. editae a Buechelero, qui tamen ipse quoque nullum praeterea ex antiquis temporibus exemplum inueniri censet laudans Reisigii lectt. (ed. Haasius) p. 334 sq. Ac singularem esse etiam posteriore aetate unum locum illum Liuii I, 25 (5) recte statuit Draeger: 'duo Romani super alium alius — corruerunt'. Sed Africanis uidetur placuisse illa licentia, ut Apollinari And. 12: 'Hanc Pamphilo, aliam dat Charino coniugem' et Haut. 12: 'Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit' et Apuleio, de cuius usu cf. Hildebrand. ad II p. 210. Ex posterioribus scriptoribus exempla attulit Paucker de Latin. script. hist. Aug. melett. Dorp. 1870 p. 66 adn., qui tamen non apte comparat Plautinos locos: Capt. 455 Brix. et 507, ubi 'alii' est 'οἱ ἄλλοι' scilicet 'ceteri' (Draeger I p. 87). Praeterea inspice Mélanges Gr.-Rom.

III p. 595 sq. cum adn. 4. Itaque non persuadet Stowasser in Stud. Vindob. uol. III a. 1881 p. 298 formam 'altrum' in argumentis Plautinis restituens.

Trin. 9: 'quoius nubunt liberi' laxior est et proprius posteriorum scriptorum usus uerbi 'nubere', quamquam hic, ubi cum filio coniuncta est filia, aliquid sane habet excusationis.

Stich. 2 sq.: 'Tam perseuerent — ita sustinere'. Non ante Ciceronis quidem aetatem coeptum est uerbum 'perseuerare' coniungi cum infinitiuo, frequentissime autem a Seneca filio cf. Draeger. II p. 305 sq.; Kuehner. II p. 492 c.

Stich. 7: 'quisque' habemus pro 'uterque', quod inde ab Ouidio demum et Liuio inuenitur cf. Draegeri synt. I p. 85; Kuehneri gr. II p. 475, 10.

Fortasse unum desideras: coniunctionis 'et' pro coni. 'etiam' usum in his uerbis Trin. 4: 'Nam et aedis uendit', quem non nisi ante pronomina locum habere sunt qui doceant. Satis autem multa exempla illi similia etiam ex Cicerone et maxime coniunctorum 'nam et' Kuehner II, 636, 15 collegit, quamquam in uniuersum sane rarum illum usum dici posse apud bonos auctores concedit.

Ad aliud quoddam genus, scilicet locutionum audaciorum, haec refero, ipsa quoque florentis aetatis scriptore indigna: Truc. 6: 'rapiant — parsimoniam' plane singulari modo dictum est pro hoc: 'rapiant rem parsimonia partam'. At causam quidem huius usus infra afferemus. Tum Mil. 6: 'Geminis communem clam parietem in aedibus' offendit, quamquam absurda non est, praepositio 'in', de qua cf. infra p. 268. Grauius uidetur Mil. 11: 'Omissum facere', quod nusquam reperio, cum 'missum facere' uel 'omittere' sescentiens legatur. Aequa ratione Pseud. 8: 'palam cognoscitur' conflatum est ex duabus locutionibus scil. ex 'cognoscitur' et ex 'palam fit'. Contra logicas leges est Men. 6: 'Quaeritat Circum omnis oras. Post Epidamnum deuenit' particula 'post', quam uix eo licet excusare, ut dicamus pro ipso 'postremo' positam esse ut Mil. u. 653 (cf. Brixii adn.).
648

Denique uerborum collocatio torta est duobus locis: Amph. 8: 'Uter sit, non quit, Amphitruo decernere', cuius rei causam infra exponam, et Pseud. 7: 'Nam Simmiae Leno mulierem, quem is supposuit, tradidit'. Sine dubio facilior ad intellegendum est haec collocatio: 'Nam tradidit Leno mulierem quem is supposuit, Simmiae', quam ab auctore adhibitam esse ego censeo: nam pronomen ante enuntiatum relatiuum omittitur etiam Cist. 6: 'ducit quam compresserat'; Trin. 7: 'Mandat qui dicat'; Truc. 10: 'ut — ducat, qui uitiarat, conuenit'.

In iis, quae de laxioribus constructionibus protuli, unam fortasse uidebor omisisse Aul. 6: 'Auro formidat Euclio', cum datiui constructio, usitatissima illa in uerbis 'metuere' et 'timere', admodum rara et poetica sit in ceteris 'pauere, pallere, formidare' cf. Ruddiman. inst. gramm., qui unum praeter illum locum secundum Forcellinium adfert [1]), itemque Ramshornius, gramm. (a. 1830) p. 371 adn.* addens tamen ex Plinii Pan. 27 in.: 'Nemo iam parens filio — horret'. Recentiores tacent de hoc usu. Sed inuenitur in uerbo 'formidare' iam apud Accium trag. 354 R. Similiter apud Ter. 'paueo' Phor. 187: 'quom mihi paueo'; Hor. epist. I, 7, 7: 'pueris — pallet'. Verum Plautus ipse — nimirum orationis concinnitate adductus — semel constructionem illam adhibuit Amph. u. 1113: 'Metuens pueris, mihi formidans'. Quare cautus hanc licentiam seposui a ceteris illis. Atque etiam alia reseruaui, quae utrum ex Plauto (aut Terentio) expressa sint an posterioris aetatis consuetudini debeantur decerni nequit. At dubito de directa imitatione etiam in his exemplis:

Amph. 7: 'Raptant pro moechis': uerbum 'raptare'. Plautus rarissime adhibuit: Aul. 632: 'Quid me adflictas? quid me raptas? qua me causa uerberas?'; Cist. II, 1, 8 sq.: 'Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit, Raptat, retinet, lactat, largitur: quod dat, non dat: deludit' — nusquam Terentius. Contra poetae dactylici hoc uocabulo sae-

1) Vol. II p. 153 adn. 27.

pius usi sunt et Cicero quoque in oratione elata pro Sest. 69 (145): 'euersa domus est, fortunae uexatae, dissipati liberi, raptata coniunx, frater et q. s.'; de domo 23 (59): 'uxor mea misera —, quam uexauistis, raptauistis, omni crudelitate lacerastis?' Adde auct. b. Afr. 73: 'ut legiones — huc atque illuc raptaret'. Postea redit uocabulum apud Tac. Ann. 1, 30: 'turbine atque unda raptabantur'; Ann. 4, 23 in.: 'raptabat Africam', ib. 12, 54: 'raptare inter se'; Hist. 3, 22: 'huc uel illuc raptabat', cf. etiam Boettich. lex. Tac. p. 398 s. u. 'raptare'. Ceterum sensum 'increpandi, obiurgandi' uno tantum loco inuenio: Prop. III, 11, 27 Baehr.: 'Nam quid ego heroas, quid raptem in crimine diuos?', si quidem hic cum archetypo bonorum codd. (O) 'in crimine' legendum est. Nam cod. V (Ottob.-Vat. saec. XIV) man. 2 scripturam 'in crimina', quam Baehrensius probauit, non intellego; cf. etiam Hertzbergii adn.

Vox 'forare', cf. Mil. 5: 'forat — parietem', semel apud Plautum inuenitur: Most. 56 R.: 'Ita te forabunt patibulatum per uias' et redit apud Sen. phil. demum (de breu. u. 10, 5), apud Columellam (cf. Ritschel. op. II p. 408), apud Celsum, Macrobium, Sidonium Apollinarem in epistulis.

Rud. 6: 'Suoque amico Pleusidippo iungitur'.

Verbum finitum 'iungi' raro apud bonos scriptores cum ablatiuo aut datiuo nudo componi uidetur cf. Kuehner II, 233 adn. 5; Draeger I p. 393 § 187 in. De actiuo ille nihil certi profert, sed quod hic affirmat: 'Erst Vergil hat den Dativ auch beim Activum', haud scio an refutetur loco Ter. Hec. 798: 'Refert grátiam ei unáque nos sibi ópera amicos iúngit'.

Capt. 4: 'Tantum studens, ut — natum recuperet' de constructione 'studere ut' tacent interpretes, at Draeger II, 253 sq. docet: uerbum 'studere' cum coni. 'ut' diuersis quidem temporibus, sed raro esse coniunctum. Adfert Cato de re r. 5, 8 K.: 'stercilinum magnum stude, ut habeas'; auct. b. Alex. 1: 'C. maxime studebat, ut — hanc — excluderet'; cf. etiam Phaed. II epil. 6: 'ne solus esset, studui' et digestorum locos nonnullos. Aliena sunt illa exempla, ubi pronomen 'id' praecedit: Poen. 3, 1, 72 (u. 566 Gepp.): 'Lenonem periurum ut

perdas, id studes'; Haut. 382: 'Id cum studuisti, isti formae ut mores consimiles forent'; Liu. 40, 56: 'id studere — ne frueretur'; Quint. 10, 2, 6: 'in id solum student, ut — sciant'.

Porro Stich. 5: 'Habere ut sineret, quos semel nactae forent': 'forent' cum part. perf. positum est pro coni. plusquamperf., de qua licentia destituimur a Draegero I p. 267. Complura dedit Reisigius in lectt. (ed. Haasius) p. 514, sed plurima exempla collegit Neuius, ubi non exspectantur, II p. 367—369, ex Plauto unum afferens: Most. II, 2, 62 (494 R.): 'Mirum quin uigilanti diceret, qui abhinc sexaginta annis occisus foret', deinde ex Sallustio tria, plurima ex Liuio, ex Tacito complura. Atque poetae Augusteae quoque aetatis hanc consuetudinem adoptauerunt.

Cognatus est ille usus Men. 7: 'Hic fuerat alitus [1]) ille surrupticius' ab interpretibus plane omissus, ex quo pro forma 'erat' adhibetur 'fuerat' cf. Neuium II p. 357 sqq., qui ex Plauto tres locos attulit (cf. etiam Lorenz. ad Most. 472 et 808), duos ex Terentio, ex Ciceronis epistulis, quattuor ex Sallustio, plurimos ex Liuio, nonnullos ex Quintil. Plin. min. Suet. neque tacebo Hadrianae aetatis auctores amasse hunc usum, cum Apuleius duodecim exempla praebeat, Gellius sex atque Frontonis alius discipulus haec duo: cf. 3, 21 p. 57 N.: 'ipse in alio negotio occupatus fueram'; et 5, 39 (54) p. 87: 'dimisso — eo, per quem fuerat allatus'.

Rursus ἅπαξ εἰρημένον est apud Plautum uox 'subseruire' Men. u. 766 R.: 'quae uirós subseruire sibi postulant', ut Amph. arg. 4: 'Habitu Mercurius ei subseruit Sosiae'. Semel praeterea inuenitur apud Naeu. com. 112: 'regum filiis Linguis faueant atque adnutent .. aut subseruiant', quem locum laudat M. Caesar in epistula ad Frontonem data p. 33 lin. ult. N. — Semelque apud Terentium in And. u. 735: 'tu ut subseruias Orationi, utcumque opus sit, uerbis uide'; ad quod cf. Don. And. IV, 4, 4: illum Terentii locum respicientem: 'Non mihi

1) De forma 'alitus', quam cum Pylade credo latere in codd. lectt.: 'auttus', 'auitus', cf. Neuium II, 555.

respondes?' Bene: 'non respondes?' supra enim memor est uetitam quidquam dicere, nisi subseruiat orationi Daui. Ac placuit haec uox posterioribus cf. M. Caesaris ep. ad Front. p. 61 l. 4: 'nam omnium aures tuae uoculae subseruiunt'; Apul. de dogm. Plat. 1, 13 p. 201 Hildebr.: 'Cetera enim membra ancillari et subseruire capiti'; Pacat. pan. 18 Baehr.: 'an — sic tibi aliqua uis diuina subseruit'?; Augustin. ep. 154, 1: 'subseruiente uerecundia'.

Versamur igitur hic in sententiis uocabulisque ex antiquorum usu in posteriorum, inprimis Apuleiorum, Frontonum receptis ut iam supra similia uestigia inuenimus.

Exceptionem facit uocabulum 'clandestino' Truc. 4, non rediens postea, cuius exempla non exhaurit Neuius II p. 649 nec lexica omnes locos exhibent. Exstat autem apud Plaut. in Mil. u. 956: 'nam hoc negoti clandestino ut agerem mandatumst mihi' et laudatur in glossario Plaut. ex deperdita Amphitruonis parte cf. Ritschel. op. II p. 273. Adde Pompon. com. 23 et Lucil. 26 u. 68 p. 86 M.

De uoce 'cacula' cf. p. 223 sqq. et infra.

Sed ut nostri auctoris imitandi amor et Plautina studia certius apparerent, quae ex unaquaque fabula in argumentum eiusdem recepit, singula uerba uel continuas locutiones, in unum collegi eo libentius, quia haud raro ad textum siue argumentorum siue fabularum restituendum haec collatio potest utilis esse. Sed presse mihi liceat totam materiam enarrare.

Amphitruo ed. Fl. in exitu u. 474: 'denique Alcumenam Iuppiter' = a. 1: 'Alcumenas Iuppiter'; u. 476: 'Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet' = a. 6: 'Turbas uxori ciet Amphitruo'. Ex perdita fabulae parte cf. frg. XIX in recentissima recensione S. Brandtii Mus. Rhen. uol. 34 p. 589: 'Qui nequeas nostrorum uter sit Amphitruo decernere' = a. 8: 'Uter sit, non quit, Amphitruo decernere'; u. 491 sq.: '— resciscet tamen Amphitruo rem omnem' = a. 9: 'Omnem rem gnoscunt'; u. 1004: '— eius studio seruire addecet' = a. 4: 'ei subseruit';

u. 480: ‘Hodie illa pariet filios geminos duos’; u. 1070: ‘atque illam geminos filios pueros peperisse conspicor’; u. 1088 sq.: ‘omnium primum Alcumena geminos peperit filios A. Ain tu geminos? B. Geminos’. Ex tribus tamen his locis caue colligas etiam a. 9 ‘geminos’ seruandum, ‘Alcumena’ fortasse in ‘illa’ mutandum esse. Immo lector aliquis ut necessarium ‘geminos’ illud ex locis prolatis interpolauisse uidetur; cf. Spengel. in Philol. uol. 17 (a. 1861) p. 562 hoc proponentem: ‘Omnem rem gnoscunt (quom) Alcumena enititur’. Quod ita mihi arridet, ut post ‘gnos-cunt’ formam ‘cum’ facilius intercidere putem potuisse. Schoellius contra in Anall. Plautt. p. 33 sq. adn. pro his ‘geminos cum illa enititur’ falso suppleta esse haec putat: ‘g. (Al)cum[ona]illa enititur’ — minus probabiliter. Huic autem interpolationi infra alias addemus.

Asinaria ed. G.-L. u. 57: ‘Tune es adiutor nunc amanti filio?’ et u. 309: ‘Sis amanti subuenire familiari filio’ = a. 1: ‘Amanti argento filio auxiliarier’; u. 87: ‘dote imperium uendidi’ = a. 2: ‘Sub imperio’; u. 347: ‘Ait se ob asinos ferre argentum atriensi Saureae’ = a. 3: ‘Itaque ob asinos relatum pretium Saureae’; u. 934: ‘Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit’ iam Camerarius ad restituendum a. 8 adhibuit, ubi codices praebent: ‘eius trisrae (tris rae)’, scribens: ‘Adcurrit uxor ac uirum e lustris rapit’.

Aulularia ed. G. pr. 26: ‘Feci thensaurum ut hic repperiret Euclio’ = a. 1: ‘Aulam repertam auri plenam Euclio’; pr. 39: ‘ne subreptum siet’ (uocabulum subripere etiam u. 464, 634, 760, 822) = a. 8: ‘Id surpit’; in exitu u. 577: ‘— abstrudam foris’ = a. 6: ‘abstrudit foris’ (codd. fores, Pius: foras); u. 709: ‘Exfodio aulam auri plenam’; u. 821: ‘Aulam auri plenam’ (contra ‘onustam’ u. 611: 617, 809), ex quibus locis suspicor librarium aliquem a. 1 uerborum collocationem sic mutauisse: ‘Aulam repertam auri plenam Euclio’, cum quondam legeretur: ‘Aulam repertam ⟨auarus⟩ plenam auri Euclio’ (sic Bothius) — nam cum

transpositione facile uocabulum aliquod intercidere potuit — uel quod Goetzius dubitanter proponit: 'Aulam senex repertam plenam auri Euclio'.

Captiui ed. Fl.: In hac fabula duplicem hic illic imitationem cognoscimus: prologi auctor Plautum, argumenti auctor prologum imitatur (u. 760: 'Puerum quadrimum, quem mihi seruos surpuit'): pr. 8 sq.: 'Altrum quadrimum puerum seruos surpuit Eumque hinc profugiens uendidit in Alide' ita contraxit noster, ut nullam uocem adderet, u. 2: 'Alium quadrimum fugiens seruos uendidit'; u. 100 sq.: 'Homines captiuos conmercatur, si queat Aliquem inuenire, suom qui mutet filium' = pr. 27 sq.: 'Coepit captiuos conmercari hic Aleos Si quem reperire posset, qui mutet suom' = a. 3: 'Pater captiuos conmercatur Aleos'; uersus qui sequitur, ex illis fortasse sic supplendus est: 'Tantum studens, ⟨mutatum⟩ ut natum recuperet'.

Itaque maxime mirum esset, si u. 94 sq.: 'illi captust Alide Philopolemus huius Hegionis filius' (codd. lectio: 'illic est in Alide' suppletur ex u. 330: 'Filius meus illi apud nos seruit captus [in] Alide') argumenti auctor u. 1 non sic contraxisset: 'Captust in Alide Hegionis filius'[1]), praesertim cum 'in Alide' initio argumenti uel perspicuitatis causa flagitatur. Atque adminiculum huius coniecturae haud leue inde repeto, quod secundum Goetzii, cui uiro doctissimo hic quoque gratias ago, collationem mecum benigne communicatam in cod. E Ambrosiano post 'pugna' est circa septem litterarum (puto: 'in Alide') spatium. 'In pugna' autem glossema est ut supra 'geminos'. Pr. 36 sq.: 'Quo pacto hic seruos suom erum hinc amittat domum, Itaque inter se commutant uestem et nomina' = a. 6: 'Is suo cum domino ueste uorsa ac nomine, ut amittatur fecit'; 'amittere' etiam u. 332 alibi exstat.

Curculio ed. G. u. 67 sq.: 'Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum Petitum argentum'; et u. 206 sq.: '— para-

1) In eandem coniecturam etiam Stowasserum nunc incidisse uideo (cf. Studd. Vindob. III 1881 p. 298).

situm misi nudiusquartus Cariam Petere argentum' = a. 1: 'Curculio missus Phaedromi iuit Cariam Ut petat argentum'; u. 609: 'elusi militem, inquam in alea' et 629 sq.: 'unde illum habeas aqulum, Quem parasitus hic te elusit' = a. 2: 'Ibi eludit anulo Riualem'. Fortasse argumenti quoque auctor scripsit 'anulū', quod facile corrumpi potuit; u. 423: 'cape signum nosce' = a. 4: 'Cognoscit signum'; u. 621 et 625: 'ambula in ius' et 683: 'ille in ius me uocat' = a. 6: 'in ius rapit'.

Casina ed. Par.[2] pr. 52: '— pater adlegauit uilicum', (u. 55): 'Filius autem armigerum adlegauit suom' = a. 2: 'Alium senex adlegat, alium filius'; u. 80: 'Quam serui summa ui sibi uxorem expetunt', unde a. 1 sic putaui hiatu posse liberari: 'Conseruam uxorem duo conserui ⟨ui⟩ expetunt'.

Cistellaria ed. Par.[2] I, 3, 9 sq.: 'Mercator uenit huc ad ludos Lemnius Isque hic compressit uirginem adulescentulus' = a. 1: 'Comprimit adulescens Lemnius Sicuoniam Is et q. s.'; I, 3, 18 sqq.: 'Dat eam puellam ei seruo exponendam ad necem, Is eam proiecit; haec puellam sustulit, Ille clam obseruauit seruos; Quo aut quas in aedes haec puellam deferat' = a. 3 sqq.: '— hanc seruolus Tollit atque exponit et ex insidiis aucupat Eam sublatam meretrix alii detulit', ad quae praeterea cf. I, 2, 5: 'Puellam proiectam ex angiportu sustuli' et III, 1, 5: 'crepundia insunt, quibuscum te illa olim ad me detulit'. — Illum autem u. I, 3, 20 ex arg. 4: 'hanc seruolus Tollit atque exponit et ex insidiis aucupat' sic sanandum esse censeo 'Ille clam obseruauit ⟨ex insidiis⟩ seruo⟨lu⟩s', praesertim cum etiam I, 3, 38 sq. legatur: 'Meretricem illam inuenire, quam olim tollere, Quom ipse exponebat, ex insidiis uiderat'. 'quam compresserat' uide in fine u. I, 3, 14 et a. 6; I, 3, 43: 'Is amore proiecticiam illam deperit' = a. 8: 'Amore capto illius proiecticiae'; II, 1, 21: 'mihi — quam despondit pater', II, 3, 57: 'filiam Suam despondit in diuitias maxumas'; attamen a. 7, ubi codd. exhibent 'de-

spondit', uersu flagitatur simplex uerbum: 'Lemnique natam spondet adulescentulo'. Habemus igitur nouum exemplum interpolationis ex fabula ipsa repetitae, certissimum uel propter perfectum.

Bacchidum argumentum deest ut totum fabulae exordium neque quidquam in fragmentis inest, quod ad illud possit referri; suppositicia autem argg. Ritschelius tractauit Par. p. 399 sq. et in adnotatione.

Epidicus ed. G. ex u. 312 sq.: 'Sed me una turbat res ratioque, Apoecidi Quam ostendam fidicinam aliquam conducticiam' a. 2 mutilatum sic suppleas: 'Persuasu serui qui aliquã conducticiam'; codd. exhibent: 'Persuasu serui atque conductam', aliorum conamina uide infra; cf. etiam u. 315: '— mane me iussit senex Conducere aliquam fidicinam'; u. 490: 'Nam pro fidicina haec cerua subposita est tibi' = a. 3: 'Iterum pro amica ei subiecit'; u. 429: 'os sublitum esset', u. 491: 'Senex, tibi os est sublitum plane et probe' = a. 6: 'Cognouit — sibi senex os sublitum'.

Mostellaria ed. R. u. 471: 'semel ut emigrauimus', u. 503: 'nunc tu hinc emigra', u. 953: 'hodie emigrauit' (ad restituendum u. 951 uocem illam adhibuit R.) = a. 5: 'inde — emigratum'; u. 1139 sq.: 'Fateor potauisse, amicam liberasse absente te Faenori argentum sumpsisse: id esse absumptum praedico' = a. 2: 'Omnemque absente rem suo absumit patre'; u. 505: 'Quae hic monstra fiunt', unde correctum est olim a. 4: 'monstra dicit fieri', ubi cod. Ba: 'dici .... leri', Bc: 'dicit .. sileri', CD: 'dicit sileri'; u. 663: 'in uicinum hunc proxumum' cl. u. 669 = a. 9: 'ait uicini proxumi'. Cf. 'sodalis' u. 310, u. 1154: 'sodalem me esse scio gnato tuo', u. 1120: 'tui gnati sodalem' addito u. 1175: 'exorarier', u. 1180: 'sine te exorem' = a. 11: 'Ab sui sodale gnati exoratur tamen'.

Menaechmi ed. R. pr. 17 sq.: 'Mercator quidam fuit Syracusis senex Ei sunt nati filii gemini duo' = a. 1: 'Mercator Siculus, quoi erant gemini filii, Ei subrupto

altero mors optigit'. Durior hic est ellipsis, nam 'erat' uel 'fuit' auctor nunquam omisit. Et quam facile scopulum euitare potuit scribens, quod fere Florentinus quidam codex (cf. Osann.) praebet, nimirum ex coniectura: 'Ex illis subrepto altero mortem oppetit'. Fortasse tamen maluit: 'Eorum s. a. m. o.'. Vestigia corruptelae in cod. B apparent, qui 'ei' exhibet 'e corr. post ras.' et prima manu 'altero .. morſ ſoptigit' (puto: 'mortẽ o.'). Itaque hic quoque librarius quidam fabulae uerbis ad interpolandum ductus est. Pr. 42: 'Illius nomen indit illi qui domist' = a. 3: 'Nomen surrupti indit illi qui domist' (codd. illi indit); u. 60 in fine 'surrupticium', itemque u. 68: 'surrupticius' ut a. 7. U. 70 sq.: 'Hodie in Epidamnum uenit cum seruo suo Hunc quaeritatum geminum germanum suom', adde u. 237 sq.: 'orasque Italicas omnis — sumus circumuecti' = a. 5 sq.: 'Et is germanum, postquam aduleuit, quaeritat Circum omnis oras. Post Epidamnum deuenit'.

Miles gloriosus ed. R. u. 114: 'Athenis auectam' = a. 1: 'Athenis auehit'; u. 102: 'legatus Naupactum fuit' = a. 3: 'legato peregre'; u. 120: 'Ille qui me cepit, dat me huic dono militi' = a. 4: 'Et eidem illi militi dono datust'; u. 139: 'Qui amantes una inter se facerem conuenas' = a. 7: 'Licere ut quiret conuenire amantibus'; 'de tegulis' in exitu u. 173 et a. 8. U. 1145 sq.: 'Nam ipse miles concubinam intro abiit oratum suam ab se ut abeat.... (1148:) omnia dat dono, ab se ut abeat'; u. 1095 sq.: 'de concubina? .... quam illam omiserim' (codd. obmiserit [!]) = a. 11: 'Omissam faciat concubinam.... (13) Ultro abeat, orat, donat multa'. 'Moechus' legitur saepius ut 1390, 1398, 1436 cf. a. 14.

Mercator ed. R.: pr. 9: in fine uersus: 'forma eximia mulierem' ut u. 210 et 260 = a. 2: 'Emit atque adportat scita forma mulierem', unde etiam u. 106 sanatur: codd. 'mi atque aduexi heri': R. cum Reizio: '⟨e⟩mi ⟨eam⟩ atque aduexi heri'.

Pseudulus ed. R. u. 302: 'praesentes minae' addito

exitu u. 53: 'quindecim miles minas' = a. 1: 'Praesentis numerat quindecim miles minas'; u. 57: 'qui huc adferret eius similem symbolum', u. 649: 'qui argentum adferret' = a. 3: 'qui eum — adferat'; u. 541: 'qui me argento circumuortant?': codd.. R. delet 'me'[1]); Lorenzius: 'qui me argento interuortant'; u. 900: 'muliere interuorteret' = a. 4: 'interuortit symbolo'; u. 706: Palatini exhibent: 'In libello hoc opsignato ad te attuli pauxillulo', ubi aut ex u. antecedenti 'laetitias' supplendum est aut deletis uoculis 'ad te' aliud quid interponendum, quod mihi magis placet, quia cod. Ambr. scriptura 'obsonato abs te hoc attuli'[2]) antiquam lectionem obliteratam esse indicat. Possis igitur cum iucunda adliteratione conlatis u. 669, 671, 708 scribere: 'In libello hoc opsignato Opem attuli pauxillulo', ut explicentur, quae antecedunt ('ich habe nämlich Hülfe gebracht'). Fortasse tamen pro illo 'ad te' legendum est 'hasce'. Sed utut haec res se habet, hoc probabile est argumenti auctorem u. 6 scripsisse Plauti uerba imitatum: 'Opemque erili ita ⟨at⟩tulit'. Reducimur igitur ad Bothii coniecturam uel per se maxime probabilem.

Poenulus ed. Gepp.: Prologi u. 66 totum sibi adsumpsit auctor cf. a. 1: 'Puer septuennis surripitur Carthagine'; u. 74: 'Osori mulierum' et u. 75—78: 'emit — Puerum illum eumque adoptat sibi pro filio Eumque heredem fecit' = a. 2: 'Osor mulierum emptum adoptat hunc senex Et facit heredem'.

Ad prologi uerba (u. 66) arte cum sese adplicaret argumenti auctor, in eundem errorem atque illius auctor inductus est. Etenim cum in fabula ipsa sexennis puer raptus esse dicatur cf. u. 892: 'Agorastocles Ibidem gnatust, inde surptus fere sexennis postibi' et u. 976: 'qui illim sexennis perierim Carthagine', in prologo legimus: septuenni illud accidisse. Quem errorem explicare me posse spero. Certam

1) Codd. lect. tueri conatur Rebling. Annall. Phill. 1880 p. 368.
2) Cf. O. Seyffert. Stud. Plaut. p. 7.

quandam necessitudinem inter Poenuli et inter Menaechmorum prologos intercedere doctos uiros non fugit, cuius tamen natura adhuc latuit, ut Brixius [1]) ad Men. prol. u. 55 satis habet illam statuere, ad u. autem 62 prologi auctorem ipsa 'Poenuli' uerba imitatum esse adnotat: mea quidem sententia, qui 'Poenuli' prologum scripsit, Menaechmorum ante oculos habuit indeque cum illos locos tum ex u. 24: 'Postquam iam pueri septuennes sunt, pater Onerauit et q. s.', id quidem inuitus, Agorastoclem quoque septuennem raptum esse finxit.

Persa ed. R. u. 457: 'Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo' = a. 5: 'Atque ita intricatum ludit potans Dordalum. A. 3 in codicibus legitur: 'Raptamque ui emeret de praedone uirginem' (nisi quod 'vi' cod. C exhibet), ubi iam Pius scripsit, quem Ritschelius secutus est, facillima mutatione: 'raptamque ut'; attamen uix de lectione 'ui' dubitare possumus, si comparamus fab. u. 380, ubi ex cod. Ambr. scriptura: ETUTUISURRUPTA (cett. praebent: et id ut surrupta) Ritschelius hoc recepit: 'et ut ui surpta (fueris)'.

Qua occasione contrariae conmutationis exemplum adferam: Trin. u. 681 codd. exhibent: 'Meam uis sororem tibi dem suades sine dote . . .', ubi Ritschelius Guyetum et Reizium secutus 'uis' omisit, quod Bothius seruare maluit omissa uoce 'suades' hunc in modum: 'Meam sororem uis tibi dem'. Verum uidetur hoc: uoculam 'ut' corruptam in 'ui' ex sequenti uocabulo litteram *s* ad se arripuisse: 'meam ut sororem tibi dem suades'.

Rudens ed. Fl. uox 'eiectus' in fabula nonnunquam legitur, absolute pro 'eiectus e naui' pr. 73, 155; uel pro 'eiectus e mari' 188, 409 ut a. 5: 'Naufragio eiecta deuenit'. — u. 1109 sq.: '. . . in isto uidulo, ubi sunt signa'; u. 1130: 'estne hic uidulus, ubi' = a. 1 sq.: 'uidulum, ubi erant et q. s.'.

Stichus ed. R. 'delenitur' in a. 4 ex fab. u. 457: 'deleniam'.

---

1) Ed. 3 a. 1880.

Trinummus ed. R.[2] u. 112 sq.: 'Quoniam hinc iturust ipsus in Seleuciam Mihi conmendauit uirginem gnatam suam Et rem suam omnem': 'mandare' u. 117, 128, 136 sq., 158, 956; u. 149: 'Quoniam hinc est profecturus peregre Charmides' codd. cum exhibeant 'profectus', 'profecturus' coniectura est Scaligeri, quam Ritschelius merito in alteram editionem recepit. Nam, si quid uideo, corruptela ex compendio profectur' nata est. Cf. a. 1 sq.:

'Thensaurum abstrusum abiens peregre Charmides
Remque omnem amico Callicli mandat suo'.

Vides, quam arte Plauti uestigia presserit auctor: Cur igitur participium futuri repudiauit, quod exspectamus? Causam non uideo, quare adstipulor Fleckeiseno, qui 'abiturus' proposuit. Ac si cui forte corruptelae origo difficulter explicari posse uidetur, ego hic quoque compendium scriptum fuisse suspicor sc. abitur', cf. exempli causa Truc. a. 5: 'trucib; morib;'. V. 330: 'qui eam perdidit sc. rem'; u. 332: 'ubi rem perdidit' = a. 3: 'male rem perdit filius'; u. 374 sq.: 'soror illist adulta uirgo'; u. 378: 'indotatam' = a. 5: 'uirgo indotata soror istius poscitur'; u. 778 sq.: 'Seque aurum ferre uirgini dotem a patre Dicat' = a. 7: 'Mandat qui dicat aurum ferre se a patre'.

Truculentus ed. Sch.: Vox 'bolus' legitur u. 31, 723, 844, cf. a. 3: 'Utque ista ingenti militem tangat bolo'. Verbo 'tangere' Petitus u. 886 restituit scribens 'tactum iri militem' pro codicum lectione 'tantum rimlitem'. — Vocem 'lupae', quae certa coniectura illata est a. 6, — cod. B: 'Lut poeni'; C: 'I poeni'; D: 'It poeni' —, ex fab. u. 657 auctor argumenti hausit.

Sequitur exemplum, ex quo discimus tantopere Plauti sermonem affectasse argumentorum auctorem, ut in errorem incideret. A. 6: 'Lupae ni rapiant domini parsimoniam' propter inauditum uocis 'parsimonia' usum Scaliger 'patrimonium' coniecit. At perperam in fab. u. 309 sqq.: 'Non enim illic meretriculis Moeniendis rem coegit, uerum parsimonia Duritiaque, quae nunc ad nos clam exportatur, pessu-

mae' pronomen relatiuum 'quae' ad uocem 'parsimoniam' (et duritiam) referens, non, id quod Plautus noluit, ad 'res' illud 'rapere parsimoniam' admisit.

Pr. 20 sq. ex corruptissimis textus uerbis his: 'Quid multa? ..... Stuic superet mulierem (D: superē) Hiscum anima ad eum habenti erce teritur' sat diuersa uiri docti elicuerunt, quae collecta nunc in Schoellii editione habemus. Videamus nos, num quid argumenti ope hac in re difficillima proficiamus. Atque cum iam Spengelius in u. priore coniecerit: 'Quid multa? tris uicissim pereunt mulierem', ubi sane 'uicissim' illud minus placet, equidem in alterius u. exitu: '(habent) ierce teritur' arg. uerba u. 2 'pecre tertiuſ' agnosco, ad quam clausulam apta exempli causa cetera uerba sic possint emendari: 'ex his dum amica duo habent, peregre tertius'.

Sed ne quis forte existimet auctorem ex singulis fabulis miseros quosdam pannos ad argumentum consuendum collegisse, studium Plauti satis strenuum etiam ex aliis uestigiis apparet: sic 'ut nanctus' habet Plautus compluriens ut in Truc. u. 844: 'Nunc habeas, ut nanctus''. — Rud. 871: 'ut nanctus' habe'. — Trin. 61: 'habeas ut nanctus'' = Cist. a. 11: 'Alcesimarchus, ut erat nanctus, possidet'.

Tum ellipsin animaduerte in Pseud. a. 5 uocis 'seruos' uere Plautinam: 'Dicens Syrum se Ballionis Pseudolus', ad quem l. Lorenzius exempla omnia collegit.[1]) Eadem autem ellipsi tuendam esse censeo codd. lectionem Curc. a. 1: 'Curculio missus Phaedromi iuit Cariam' (Gulielmius, quem Goetzius secutus est,: missu), si quidem u. 67 legimus: 'Nunc hinc parasitum in Cariam misi meum'.

Adde locutionem 'Sticho ludus datur' Stichi a. 7 — eo sensu, quo nos dicimus: '(sich) einen guten Tag machen' —, quam Plautus habet Bacch. 1082 R. cum adn. crit., Cas. pr. 25[2]) ambigue.

Nec dubito ex Plauti imitatione deducere, quod auctor

---

1) Spengel. ad And. u. 357 monet in inscriptionibus (quoque) sepulcralibus semper omitti uocem 'seruos'.

2) Ex posterioribus: Cic. pro Cael. 12 (28); Hor. od. 3, 12, 1.

'tam' pro 'ita' posuit Stichi a. 2 'tam perseuerent', de qua licentia frustra recentiores adii. Prohibendi autem sunt, si quid uideo, omnes ii loci, ubi particulae 'tam' — 'quam' sibi respondent, neque aliud mihi uidetur illud exemplum, quod in lexicis circumfertur: Vell. 2, 88, 2 ex. H.: 'nec minora consequi potuit, sed non tam concupiuit (puto: quam Agrippa)'. Comicorum autem exempla collegit Th. Braunius obss. gramm. Berol. a. 1882 p. 51 sq., ex Plauto haec: Pers. 693; Bacch. 779; Cas. IV, 4, 24; Cist. I, 1, 56; Most. 890 (?).

Huc pertinet etiam illa auctoris consuetudo, qua laxius pronomine 'is' sententias copulat, quod cotidiani sermonis proprium est; cf. Mil. u. 134 cum Brixii adn., in uniuersum Holtzii synt. I p. 357 sq. In argumentis: Amph. 4 sq.: 'Mercurius ei subseruit. Is — frustra habet'. — As. 6 sq.: 'Riualis amens ... Is — nuntiat', ubi superflua est Gulielmii mutatio 'It'. Nam simillimum est Catonis de agric. 157, 3 K: 'Cancer ater, is olet'. — Cist. 1 sq.: 'Comprimit adulescens — Is redit'. — Truc. 5 sq.: 'Vi magna seruos est ... Et is tamen mollitur'.

Alterum genus imitationis in eo cernitur, quod eadem uerba uel eaedem locutiones eisdem uersus locis, quibus apud Plautum saepius (ac maxime in exitu), in argumentis redeunt. Ad quod demonstrandum pauca sufficiant exempla: Cist. a. 4: 'ex insidiis aucupat' = Men. 570: 'ex insidiis aucupa'. Ep. a. 4: 'destinat' = Rud. pr. 45. Poen. a. 6: 'adligat' = Rud. pr. 46. Mil. a. 4: 'dono datust' = Stichus 665. Formae uerbi 'expeto' Pseud. 1087; As. 27 = Cas. a. 1. 'Emittat manu' similia: Rud. 1388, 1410; Pseud. 358 = Pers. a. 2 et Epid. a. 8.

Hanc totam imitationem si consideramus, duae res fiunt planissimae, altera: ne ueteres quidem illas formas ex uiuo sermone, sed ex grammatico studio fluxisse, ut infinitiuum 'auxiliarier' As. 1; gen. 'Alcumenas'[1]); formas 'Capteiuei', 'Menaechmei'. Praeter has in acrosticho traditas uerisimile est etiam alias auctorem adhibuisse, quarum reliquiae hic illic exstant in codd. ut 'seruos' Merc. 4 (B), 'quoius' Trin. 9 (B),

1) De cuius usu cf. Ritschelii op. V p. 526; Lor. ad Pseud. u. 1082.

'uolt' Mil. 2, 'interuortit' Pseud. 4. Diphthongi autem 'ei' pauca uestigia remanserunt: unum Gruterus inuenisse sibi uidebatur 'feieri' Most. 4, certius Buecheler[1]) 'eiei' Mil. 11 (CEF: 'celi'), equidem addiderim As. 7 E: 'uxore⟨i⟩'; Truc. 2: 'rure⟨i⟩'; Rud. 1 Dec.: 'rete⟨i⟩'[2]); Aul. 6: 'fore⟨i⟩s'. — Nec plura uerba faciam de aliis quibusdam formis. Infinitiuus 'obduxe' (scortum) Merc. 7, etsi nusquam redit in litteris Latinis (cf. Neuium II, 537 sqq.), sequitur tamen similium analogiam, ut Plautus ipse dixit '(pelices) adduxe' (codd. adduxisse) Rud. 1047, quem locum arbitror illi cum argumentum conderet obuersatum esse. Praeterea dignum, quod commemoretur, formam 'suipte' Rud. a. 4 esse sine exemplo[3]) — ut omnino multa, quae rara sunt, in acrostichis inuenimus —, cum plerumque ablatiui 'suo, sua' sic augeantur; cf. Neuium II, 190 sq., qua ex licentia haud scio an posterior aetas cognoscatur. Imperf. coni. 'quirem etc.' omnis fere aetas singula exempla praebet (cf. Neuium II, 608), ut Pl. Merc. 49 'quirem', noster habet 'quiret'[4]) Mil. 7. — Ratio autem illius imitationis, quam Osannus cogitari posse confidenter negat p. 213, eadem erat atque Alexandrinorum Homeri usum affectantium — nimirum ueterum temporum nimius amor. — Altera autem res haec est: De acrostichorum auctore non eo contemptu loquendum esse, quo de Vergilianorum argumentorum auctoribus locutus est L. Mueller Mus. Rhen. uol. 19 p. 124: ab adulescentulis uel ambitione inductis uel cibo detracto coactis ea esse conscripta iudicans. Immo grammaticus iam satis uersatus in studiis Plautinis, cui quasi in sucum et sanguinem se mutauerat comicorum dictio, haec opuscula confecit.

Appendicis loco, qualis inter acrosticha et non-acrosticha intercedat necessitudo, accuratius quaeramus. Sunt autem indicia certa imitationis hae in eiusdem fabulae argumentis similitudines eaedemque uerborum collocationes:

1) De decl. Lat. p. 61.
2) 'Rete' iam Osannus sic explicari posse putauit.
3) Nam Fleckeiseni coni. 'tuipte' Amph. 819 (codd. tete) non probo.
4) Non sollicitanda lectio est sec. Ribbeckium in editione.

Aul. n.-a. 1—4: 'Euclio — aulam — seruat' = a. 1—2: 'aulam — Euclio — seruat'; n.-a. 4 sq.: '— eius filiam Lyconides uitiarat —' = a. 3: 'Lyconides istius uitiat filiam'; habes in hoc exemplo eadem initia easdemque clausulas, eosdem exitus etiam in his: n.-a. 1: '— Euclio', a. 1: '— Euclio'; n.-a. 6: 'Megadorus a sorore suasus ducere' = a. 4: 'Volt hanc Megadorus indotatam ducere'; in fine: n.-a. 9: 'abstrudit locis' = a. 6: 'abstrudit foris' (fortasse utrumque ex fabula ipsa).

Amph. n.-a. 1: 'In faciem uorsus Amphitruonis Iuppiter' = a. 1: 'Amore captus Alcumenas Iuppiter'; n.-a. 2: 'Dum bellum gereret cum Telebois hostibus' = a. 3: 'Pro patria Amphitruo dum decernit cum hostibus'.

Mil. gl. n.-a. 6: 'Capitur donatur illi captus militi' = a. 3 sq.: 'captust ... Et eidem illi militi dono datust'; initio cf. n.-a. 1: 'Meretricem ...' = a. 1: 'Meretricem ...'; n.-a. 3: 'Legatus abiit ...' = a. 3: 'legato peregre'.

Pseudulus: Dubia est imitatio n.-a. 5 sqq. = a. 2 sq., cum uterque fabulae uerba uideatur expressisse, cf. u. 53, 55, 57; initio: n.-a. 9: 'Venit calator' = a. 8: 'Venit Harpax'; in fine uersus 'symbolum': n.-a. 5, 11, 13 = a. 4. — 'Pseudolus': n.-a. 10, 15 = a. 5.

Mercator n.-a. 1: 'Mercatum — pater' = a. 1: 'Mercatum — patre' (codd. Missus mercatum). — 'Sodalis' n.-a. 14 = a. 8; n.-a. 5 sq.: 'seruos pedisequam Ab adulescente ⟨fingit⟩ matri emptam ipsius' = a. 4: 'Confingit seruos emptam matri pedisequam', ubi animaduertas maxime uocem 'pedisequam' in fine uersus, quae cum in tota 'Mercatore' non inueniatur (sed semper: ancilla) et bis tantum apud Plautum (As. 183, Aul. 807), hic imitationem certissimam deprehendimus. Quaeritur id tantum, uter imitatus sit auctor alterum. Duo restant loci, ex quibus superandi quoddam studium cognoscatur, quare acrostichorum auctorem ante oculos habuisse illa existimo. Sunt autem hi: a. Aul. 6: 'auro formidat Euclio' cf. n.-a. 8: 'atque aulae timens'.

— a. Aul. 2: 'Vi summa seruat, miseris adfectus modis' cf. n.-a. 4: 'Exsanguis amens seruat'.

Denique cum in Pseuduli argumentis propter uocem 'cacula' dubitari nequeat, quin alterum pendeat ab altero: illam ex Trin. u. 721 repetiuisse mihi uidetur non-acr. auctor, quippe qui posito uocabulo 'calator' u. 9 (ex fab. u. 1009) deberet uariare orationem et illinc habeat etiam adiectiuum 'militaris' ad uocem 'calator' positum. Quod si recte statuimus, iam paene certum fit alterum cum uoce ipsa etiam mensuram (căcula) suscepisse.

Ipse sua uerba repetiuit auctor locis his: Most. 1: '.... suos amores Philolaches' = Pers. 1: '.... suos amores Toxilus'; Most. 9: 'Requirit quae sint' = Merc. 3: 'Requirit quae sit'; Merc. 2: 'Emit atque adportat' = Pers. 2: 'Emit atque curat'.

Quaestio 7.

De re prosodiaca et de re metrica.

Prosodiacas licentias duas potissimum obseruamus: Namque in prima uersus sede syllabas positionis ui uel natura productas auctor corripuit, qua in re non ratione mihi uidentur uti, qui, si quod uocabulum apud antiquos haud inuenitur ita correptum, propterea mutandum esse censent. Immo auctorem minus felicem fuisse in imitatione credemus: Reperiuntur autem haec exempla: 1. As. 2: 'Sub ĭmpério uiuens': plerique loci apud Muellerum Pros. Plaut. p. 343 nihil ualent, duo ultimi incerti sunt. — 2. Cist. 4: 'Tŏllit átque exponit': sine exemplo, cf. Muell. p. 443; de 'tollít atque' uide infra p. 265. — 3. Ep. 8: 'Sed ĭnuénta gnata' Ritschel. op. II p. 415 correptionem reiecit, contra quem quae attulit Mueller exempla p. 359, prorsus nil ualent. — 4. Most. 1: 'Manŭmísit emptos' sine exemplo [1]), itemque 5. Pers. 4: 'Subŏrnáta suadet', cf. Spengel. T. Maccius Plautus 112 sq.; Muell. p. 258; Ritschelius 'suadet, subornat et q. s.'. — 6. Pers. 5: 'Ătque ita íntri-

1) Comici semper adhibent: manu (e)mittere.

catum': de mensura 'ătque' cf. Muell. p. 292 sqq. et p. 436 sqq. Ritschelius 'atque intricatum ita', ubi collocatio uocabuli 'ita' minus placet. — 7. Poen. 1: 'Puer séptuennis' ex ipso Plauto (prologo).

In ceteris uersus sedibus nusquam auctor syllabam longam corripuit, ut de tali uersu Rud. 1: 'reti piscator de mari ĕxtraxit uidulum' non possit cogitari. Attamen certa quaedam excepta est condicio: si in tertii pedis arsi post caesuram ponitur uox pyrrhichia in consonam desinens ante uocabulum, quod incipit a consona, positionem neglegere illi libuit. Quam licentiam non in omnibus uocibus admiserunt antiqui. In argumentis autem certa exempla habemus haec tria: Cist. 3: 'Sicyonia aeque părĭt puellam'; 'părĭt' inauditum est apud antiquos cf. Muell. p. 128. Truc. 9: 'Tandem compressae pátĕr cognoscit omnia', unum praeterea exemplum exstat in interiore senario: Amph. 104 'ut sit pater meus', ubi Fleckeiseni transpositio 'meus pater' commendatur; cf. Muell. p. 128. — Men. 4: 'Auos paternus fácĭt Menaechmum e Sosicle': in senario quidem non admissum a ueteribus cf. Muell. p. 110.[1]) De Most. 9: 'ăĭt' uide infra p. 264. Quod autem argumentorum auctor in solo tertio pede praeter primum positionem neglegi posse uidetur credidisse, uel hoc licentiarum illarum naturam indicat. Videmus igitur, quo iure quidam propter eas ipsas acrosticha saeculo post Plauti mortem primo attribuant.

Syllabae autem sine dubio productae contra posteriorum usum nullae inueniuntur. Huc referas Cist. 10: 'Itáque lege et rite'. At apud antiquos quae exstant huius mensurae exempla (cf. Muell. p. 13 sq.) in senario quidem incerta sunt omnia et facile corrigi possunt. Scribendum autem est, ni fallor, 'illamque', quod si mutatum erat in 'litãque' (ut Truc. a. 10, ubi Schoellius 'istam' elicuit), prima littera acrosticho repugnante illa corruptela facile potuit irrepere. Itaque non licet ad seruandum u. elumbem hanc adhibere productionem Merc. 6: 'Tradit | uicino eum | putāt | uxor | sibi', uel ad hiatum de-

1) Nouum exemplum coniectura inferre uoluit O. Seyffertus Philol. uol. 29 p. 396: 'érŭm tabellis'.

fendendum Poen. 2: 'Osor mulierum emptum adoptāt hunc senex'.

Contra alia quaedam antiquorum consuetudo late patet in argumentis: synizesis in his formis: eī Amph. 4, Trin. 6, quibuscum cf. mensuram 'ēidem' Mil. 4 a Ritschelio auctori uindicatam op. II p. 419, et iambicam 'ĕi' Mil. 11, de qua Brixius ad Mil. arg. a. 5, Neuius II, 193; 'eūm' Pseud. 3 (siquidem 'relicuo' legendum est); 'suī' Pers. 4, 'suipte' Rud. 4; 'suos' Most. 1, Pers. 1; 'dūo' Cas. 1; 'aīt' Most. 9, ubi possis etiam metiri 'áït'.

Itaque si tres argumentorum auctores comparamus, Apollinaris licentiis prosodiacis colorem antiquum adpinxit nullum, haud multum non-acrostichorum, plurimum acrostichorum auctor. Qui crescens usus haud scio an superandi studio natus sit, ut rursus haberemus hanc imitationis seriem: Terentiana argumenta: non-acrosticha: acrosticha. Quodsi O. Seyffertus in Philol. uol. 25 p. 448 adn. acrosticha septimo a. u. c. saeculo non orta esse non posse contendit propter praestantiam artis metricae, hoc unum, quod periochae Terentianae Sulpicii metricas leges secuntur Plauti et Terentii uel seueriores his — ut supra exposui —, quae sit uis illius argumenti, luculenter demonstrat.

De legibus illis cum satis dictum sit, nunc ea tantum, quae abhorrent uel dubia sunt, tractabo: Ac primum quidem, quam seuere euitauerit auctor uocabulum spondiacum sede pari, declarat collocatio Most. 11: 'Ab sui sodale gnati', ubi consentaneum erat scribi (cf. p. 253): 'Ab sui gnati sodale'. Suspectus autem uel propter hiatum est Amph. 3 exitus: 'dum cernit cum hostibus' et accipienda sine dubio syllaba 'de' ('decernit'), quam man. 2 in Vet. addidit. Ep. 5: 'Imprudens iuuenis. compressáe ac militis Cognouit opera sibi senex os sublitum', qui uersus ipse quoque hiatu laborat, mihi uel sententiae causa necessaria uidetur haec emendatio: 'compressae ⟨a se⟩ [1]) ac militis', cum alii 'mox' ante 'compressae'

1) In pronomine 'se' nemo offendet coll. Capt. 6; Pers. 1; Pers. 4.

inserant. Poen. 1: 'Puer septuennis sur|rĭpĭtŭr|[1]) Carthagine' haud scio an, si non prologi auctor u. 66, at argumenti auctor scripserit 'surpitur', cum breuiorem formam 'surpit' habeat Aul. 8. Contra excusandum uidetur uocabulum anapaesticum in clausula ex Plauto adsumpta nomine proprio Amph. 8: '.... Amphitruo decernere'. — Prorsus nullam probabilitatem habet Cist. 7: 'Lemnique natam despondit adulĕscentulo': iam restituimus 'spondet'. — Singularem sane, sed satis excusatum compositione uidemus dactylicae uocis (ante anapaestum positae) usum in prima sede Cist. 1: 'Comprimit adulescens Lemnius Sicyoniam'. Abicienda est contra u. 4 mensura: 'tollit atque'. Restat tertia sedes: falluntur egregie qui metiuntur Men. 4: 'Auos paternŭs facit'; de Merc. 6: 'tradit uicino eúm putat uxor sibi' cf. supra p. 263, quem u. infra ut Ep. 3 sq. de hiatu disputantes sanabimus, nam iis assentiri nequeo, qui in his exemplis uocabulum iambicum admittunt. Rud. u. 4: 'Ea in clientelam suipte imprudens patris' uel propter caesurae defectum condemnandus, cf. p. 266, iam a Fleck. in rectum ordinem redactus est: 'Ea suipte impr. in cl. p.'. — Separatim loquimur de clausulis. In uocabulo quattuor aut plurium syllabarum auctor sexiens breuem quinti pedis thesin admisit, ante creticum uel dactylicum deciens quater. Praeter ceteras debilis est clausula Cas. 5: 'Nequam qui dominum mulcat atque uilicum', quam dubito an auctor euitauerit scribens: 'aeque ⟨ut⟩ uilicum'.[2]) Propter artiorem uocabulorum conexum excusatur Trin. 7: 'ferrĕ se a patre', ut nihil obstet transpositioni Mil. 3: 'captust ipsŭs in mari'. Artiorem conexum statuas etiam Men. 9: 'meretrix, uxŏr et soror', cum absit talis excusatio Poen. 2: 'Osor mulierum emptum adoptăt hunc senex', quare hunc u. corrigendum censeo cf. p. 263 sq. et 272 sq. Ante paeonem quartum cretici mensuram aequantem exeunte uersu semper longa thesis deprehen-

1) Sic omnes codd. secundum Goetzii collationem.

2) Optime conuenit auctori 'aeque — ut', quod post Horatium et Plinios Apuleius compluriens habet: de deo S. 22 p. 163 H. cf. Hildebr. de Mag. 14 p. 475.

ditur, nimirum ne breues coaceruentur, atque alia solutae in quinta sede arseos exempla cum desint omnino, auctor in polysyllabis tantum solutionem admisit.[1]) Quare spernenda est Gepperti coniectura Poen. 2: '... adoptat sibi senex'.

Restant caesurae: Ex omnibus argumentorum uersibus 166 caesuram primariam habent 161, in quibus etiam Cist. 8 numero: 'Amore capto illius'. Quae caesura adiuuatur semiseptenaria omnino in 54 uu., debilis autem uideatur propter monosyllaba in his: Amph. 8: 'Uter sit, non quit'; Merc. 3: 'Requirit, quae sit'; Most. 9: 'Requirit, quae sint', ubi tamen artum monosyllaborum conexum animaduertas. — Pseud. 5: 'Dicens Syrum se Ballionis Pseudolus' infirmam semiquinariam nomina propria excusant. — In duobus autem uersibus As. 3 et Cas. 2 compositorum uocabulorum diremptione (re-latum, ad-legat) caesuram efficias, in duobus aliis defectus uicariis expletur: Aul. 3 et Truc. 7, quam compensationem etiam in illis statuas et in hoc coniectura effecto: Capt. 4: 'Tantum studens ⟨mutatum⟩ ut natum recuperet'. Etiam Merc. 5: 'Amat senex hanc: at se adsimulans' et Cas. 3 (e coni.): 'Senem adiuuat sors: uerum ...' optio datur, praefero primariam propter sententiae incisionem. — Omnino autem caret caesura Rud. u. 4 uel propterea corrigendus. — Habiliorem equidem puto reddendum esse caesuram Cist. 4: 'Tollit átque exponit et | ex insidiis aucupat' omissa uoce 'et' (ut dittographia), praesertim cum sic illa anapaesti diremptio euitetur inaudita; nam alia non offendunt uelut: Stich. 1: 'quod eae'; Mil. 2: 'Id ero'; Rud. 2: 'Ubi erant'; Aul. 9: 'ab eo'; cf. p. 212.

Proceleusmaticum bis inuenimus in primo pede: As. 2 et 3, praeterea semel inter duos diuisum Cist. 1: 'Comprimit adulescens ...'[2]), a quo antiquorum ars abhorret cf. Ritschel. op. V p. 513 sqq.

De hiatu illa quaestio usque ad fastidium paene trac-

1) Cf. p. 214 adn.

2) Si corrigere liceret per prologi uerba (cf. p. 2[illegible]), proponerem: 'Comprímit adueniens (aduectus)'. At imitator ne in hac quidem re Plauti artem uidetur mihi perspexisse.

tata, quae doctorum uirorum, qui in studiis Plautinis uersantur, ingenia animosque etiamnunc mouet, in argumenta quoque cadit acrosticha. Itaque ex iis, qui post renatas litteras primi Plauto emendando operam dederunt, cum plerique maculam eradicare conarentur, posteriores quidam omnibus uiribus tuebantur. Horum ex numero Lingium nomino (de hiatu p. 21), Osannum (l. l.), Spengelium ('Plautus' inprimis p. 238 sqq.), Bergkium (Beiträge z. lat. Gramm. I p. 114 sq.), Lorenzium, Ussingium (in editionibus). Acerrimus contra hos eorumque asseclas castigator exstitit Ritschelius (op. II inde a p. 414, denuo Nou. Exec. p. 123), quem secutus est Mueller in 'Prosodia Plautina'. Alii dubitant uerum pro certo amplecti ut Brixius ed. Menaech. a. 1880 p. 92, Loewius in 'Analectis' p. 151. Quare operae pretium uidetur esse, postquam prosodiacam metricamque artem cognouimus, omnes locos huc pertinentes colligere, disponere, examinare, num tandem aliquando maculam illam ex editionibus Plautinis exturbare possimus.

Atque quaesiuit Bergkius (p. 114), cur non-acrosticha, quae eadem fere aetate — scil. secundo p. Chr. saeculo ineunte — orta sint, hiatum non exhibeant, si librariorum incuriae eorundem hiatum acrostichorum imputemus: Cui facile opponas, ne illa quidem hiatu carere coll. in Merc. u. 4: 'Pater aduolat uisam ancillam deperit'; u. 6: 'ab adulescente matri emptam ipsius'; u. 15: 'Orat suo cum pátre, nato ut cederet' — qua labe, quod cetera libera sunt, casu quodam felici factum est —; praeterea primas argumentorum uicissitudines ignoramus: nam uidentur non-acc. multo post, quam scripta sunt, in codices illata esse, quoniam in Ambros. quidem quinto demum uel sexto saeculo intrauerunt (cf. Studemund. in comm. in hon. Momms. p. 803). Quibus autem ad id tempestatibus acrosticha adflictata sint, nescimus.

Porro, ut miseram acrostichorum condicionem detegamus, primum hiatu interim neglecto omnes uersus, qui alia certa corruptela inquinati sunt, nunc ante oculos ponemus: Amph. 9: 'Omnem rem gnoscunt geminos Alcumena enititur'; As. 4: 'Numerari iussit seruo Leonidae'; Capt. 4: 'Tantum studens ut

natum recuperet'; Cas. 3: 'Sors senem adiŭuat, uerum decipitur dolis'; Cist. 10: 'Ităque lege et rite ciuem cognitam'; Cist. 7: 'Lemnique natam despondit adulescentulo'; Ep. 2: 'Persuasu serui: atque conductam'; Mil. 5: 'Suom arcessit erum Athenis et forat'; Mil. 8: 'Obherentis custos hos uidet de tegulis'; Most. 8: 'Acceptum tum dicit pignus emptis aedibus'; Merc. 6: 'Tradit uicino. eum putat uxor sibi'; Rud. 1: 'Reti piscator de mari extraxit uidulum'; Rud. 4: 'Ea in clientelam suipte imprudens patris'. Alias corruptelas supra deteximus, aliae uersus legibus non repugnant. Quam facile autem hiatus oriri potuerit, uide Mil. 12, ubi Vet.: 'Senis uicini cupiat uxor nubere', Cod. C: 'Senis uicinis uxor et q. s.', qui u. optimus est, nisi quod sine *s* illo spurio laborat hiatu. De cuius usu ne quid statuamus, quod argumentis nequeat demonstrari, concedamus aduersariis in inscriptionibus certa hiatus uestigia inueniri — quamquam carmina sepulcralia ab indoctis confecta et horridas uetustissimorum temporum leges consuetudine traditas secuta cum nostris lusibus comparari posse iure negatur —; item concedamus hiatum uideri posse in corrupto Plauti textu repertum auctori placuisse. Atqui, quod modo largiti sumus, statim labefactatur, cum nonnullis locis auctor aperte deprehendatur hiatum euitans, quam rem neminem adhuc obseruasse uideo: Capt. 9: 'Indicio quoius'; Curc. 8: 'Oratu quoius'; Ep. 8: 'seruolum (seruom) emittit manu'; Rud. 4: 'Ea suipte imprudens' (inaudita forma!); Trin. 3: 'Istoc absente'; uerum etiam in caesura, quae est post thesin pedis paenultimi: Mil. 6: 'Geminis communem clam parietem in aedibus' — ubi iniuria praepositionem expulisse mihi uidentur uiri docti — nec minus in penthemimeri: Aul. 8: 'Id surpit; illic Euclioni rem refert', cum ne nomen proprium quidem satis excusationis praebere uideretur.[1]) Itaque hoc merito nobis concedi putamus, quod iam Ritschelius iudicabat, eos uersus maxime suspectos esse, in quibus sanam causam deprehendere non

1) Qualia uestigia si etiam in fabulis Plauti dedita opera colligerentur, clara lux quaestioni afferretur.

possimus, cur poeta facili mutatione et maxime transpositione hiatum declinare noluerit. Sed uideamus exempla ipsa.

Ac primum quidem legitimus ille et apud Plautum usitatissimus hiatus (◡́|, ◡◡) — triciens fere redit in 'Pseudulo', cf. Lor. ad Pseud. arg. I, 3 — in acrr. certo bis inuenitur: Mil. 2: 'dúm ero', Men. 1: 'quoi erant'.

Ex ceteris primum n o u e m elegi, qui cum non insigni uersus loco, qualis est caesura primaria, inueniantur, ne a propugnatoribus quidem hiatus obstinate defenduntur.

Emendationi autem a me probatae quam breuissime, ne conspectus obscuretur, addam uncis circumclusas aliorum sententias, quae quidem dignae uideantur, ceterum ad editiones criticas lectorem relegans.

I. 1. Cas. 3: 'Sors senem adiŭuat, uerum decipitur dolis'; Bothius recte: 'Senem adiuuat sors'.

2. Ep. 5: 'Imprudens iuuenis. compressae ac militis', u. supra condemnatum sanaui: 'compress a e ⟨a se⟩' [Pylades: 'mox compressae'].

3. Merc. 5: differunt ipsi codd.: CD exhibent: 'Amat senex hanc se adsimulans uendere', B: 'hanc ad se sim.', quas lectiones R. bene conflauit hunc in modum: 'ac se adsimulans' [Gruter: 'ac se sim.'; Gulielmius: 'at se sim.'].

4. Men. 8: 'Menaechmum omnes ciuem credunt aduenam' Pyladis transpositione 'ciuem credunt omnes' uerborum conexum apertiorem fieri uidit Mueller p. 514.

5. Curc. 1: 'Curculio missus Phaedromi it Cariam' hiatum in arsi molestissimum expulit Gulielm. sic: 'iuit Cariam' (ante 'it' spat. 1—2 litt. in cod. B) ['it in' Pylades, Goetzius].

6. Curc. 2: 'Ut petat argentum. Ibi eludit anulo', Goetzius: 'clam ibi', qua ratione simul alter hiatus post 'argentum' tollitur' [alii: 'inibi'; cogitaui etiam de 'tum ibi', ut 'ibi tum'[1]) inuenitur].

Hic monebo aliquid, quo tota quaestio multum illustratur: ut prorsus carent hiatu argumenta Asinariae, Persae, Rudentis,

1) Ut And. 106 saepius, atque illud 'tum ibi' exstat in ipsa 'Curculione' in corrupto uersu 648: 'tum ibi me nescio quis arripit'.

Stichi, ita alia quaedam in compluribus deinceps uersibus atque eodem fere loco maculam illam exhibent, ut facile coniciae hic archetypum maiora damna expertum esse uel librarium aliquamdiu dormiuisse. Tales quasi nidi hiatuum sunt praeter illum (Curc. 1 sq.) hice: Amph. 2 sq.; Cas. 1, 3; Most. 4 (aliter corr.), 5; Men. 2 sq. et 8; Mil. 3, 5; Poen. 2 sq. et 6; inprimis autem Epid. arg.:

cf. u. 2: 'Persuasu serui atque conductam'
u. 3: 'Iterum pro amica ei subiecit filii'
u. 4: 'Dat erili argentum. eo sororem destinat'
u. 5: 'Imprudens iuuenis compressae ac militis'
u. 7: 'Ut ille amicam, haec quaerebat filiam'
et Merc. cf. 1: 'Missus mercatum ab suo adulescens patre'
5: 'Amat senex hanc se adsimulans uendere'
6: 'Tradit uicino. eum putat uxor sibi'
7: 'Obduxe scortum. Tum Charinum ex fuga'
8: 'Retrahit sodalis postquam amicam inuenit'

quae deprauatio etiam in alterum argumentum irrepsit. Talia ne in ipsis quidem fabulis desunt, ut As. u. 756—760 in quinque continuis uersibus hiatum inuenimus, ad quem locum hariolatur Ussingius, cuius cf. etiam Prolegg. p. 218 in. Sed pergo in enumeratione:

7. Men. 3: 'Nomen surrupti illi indit, qui domist' prologum secuti transposuimus: 'indit illi' cf. p. 254.

8. Aul. 7: 'Re omni inspecta compressoris seruolus', Mueller: 'inspectata', cf. Most. 10 [Camerarius: 'reque'].

9. Capt. 5: 'Et inibi emit olim amissum filium': iam pridem restitutum est: 'in íbus'. Corruptela mihi uidetur ex compendio orta esse: 'in ib;' cf. Truc. 5: 'trucib; morib;'.

Quibus absolutis pergimus ad hiatum, qui est in caesura post paenultimi pedis thesin intercedente, ubi retardatione quadam aduersarii illum defendi autumant.

II. 1. Amph. 3: 'Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus', uersum aperte corruptum supra ex cod. B restituimus 'decernit' legentes.

2. 3. Merc. 7 sq.: 'Obduxe scortum. Tum Charinum ex fuga
Retrahit sodalis, postquam amicam inuenit'.
Poterat auctor, nisi hiatum in deliciis habebat, in altero u. scribere: 'repperit'. Maluit, ni fallor, 'amicam illam (cf. litam Truc. 10) inuenit' [R. 'ei inuenit']. Priorem autem uersum me transpositione restituisse spero: 'Tum sodalis ex fuga Retrahit Charinum'; de clausula cf. p. 265.

4. Cas. 1: 'Conseruam uxorem duo conserui expetunt' ex fabula supra inserui 'ui': 'conserui ⟨ui⟩ exp.' [Mueller 'sibi inseruit' etiamque alia proposuit p. 528, Luchsius: 'una expetunt', qui poterat aptius 'unam exp.'].

5. Aul. 1: 'Aulam repertam auri plenam Euclio'. Causam corruptelae indicaui p. 250. Ex emendationibus praefero Bothii: 'Aulam repertam auarus plenam auri Euclio'.

6. Truc. 4: 'Clam sibi supposuit clandestino editum'. Possit aliquis auctori 'clandestinod' uindicare, quales formas ante oculos habebant posteriores in antiquis monumentis. Nam Ritschelii nequeo assentiri sententiae censentis Nou. Exc. 123 procul habendam esse illam medelam a posterioris aetatis opusculis. Illic tamen aliud quid ultro se offert: cum u. 460 cod. Vet. exhibeat: 'supposiui' (cett. supposui), uerisimile est (iam Scaligero uidebatur) scriptum fuisse: 'Clam supposiuit sibi cl. ed.'. Atque quae dubitandi causa est, quoniam antiquitatis amatores etiam non moniti illam formam adhibebant? Cf. Apul. in fragm. apud Prisc. (Hildebr. II p. 637).

7. Poen. 6: 'Lenoni obtrudit; ita eum furto adligat': scribendum est 'itaque' sine dubio cf. Mueller p. 534, in cod. B scriptura 'itae' fortasse uestigium latet.

Haec igitur septem uel potius sex exempla (nam primum nihil ualet), si paucitatem emendationisque facilitatem respicimus, non possunt non maxime suspecta uideri.

III. Nunc diffidentes potius quam confidentes codicum memoria ad tertiam classem transimus, ad hiatum, qui in caesura penthemimeri inuenitur. Atque de uiginti fere illis quae apud Osannum reperiuntur exemplis, statim septem detrahenda sunt, quia falso aut ambiguo fundamento nituntur. De emen-

dandi autem ratione hoc praemitto: descripta uersus parte usque ad incisionem librarius posteriorem addens uoculam ad explendos pedes non necessariam neglegere potuit facillime.

1. Plane destituta est codd. auctoritate Osanni lect. Most. 4: 'Terrifica monstra ait uideri in aedibus'.

2. Neque magis certum uidetur Men. 3: 'Nomen surrepti indit illi qui domist'. Nam excidisse aliquid post uocem 'surrepti' docet cod. B script. 'surreptiti' (CD 'surrepit'). Itaque propono: 'Nomen surrupti cum indit — facit et q. s.'. [R. 'ibi' inseruit, Brixius dubitanter 'tum', Mueller p. 490 de forma 'surreptici' cogitat.]

3. Ep. 2: 'Persuasu serui atque conductam'. Supra p. 253 sq. ex fabulae locis quibusdam restitui: 'Persuasu serui qui aliquam conducticiam'. [Goetz.: 'qui aliam', Gepp.: 'qui aeque', Hasper nuperrime in progr. Dresd. de Epidico 1882 p. 8: 'P. s. atque is (sic Bothius) conductam mulierem' uel 'seruoli atque is conducticiam'.]

4. Merc. 6: 'Tradit uicino. eum putat uxor sibi' (CD: 'cum'): mihi CLAM ante CUM excidisse uidetur coll. fabulae u. 807 sqq.: 'Nam uir si scortum duxit clam uxorem suam' et u. 815: 'Si quis clam uxorem duxerit scortum suam'.

5. Mil. 5: 'Suom arcessit erum — Athenis et forat' sine dubio corruptus est: ex cod. B lect. 'erumna thenis' elegantissime Ribbeckius elicuit: '(Suom arcessit seruos) erum ab A.'. Initium iam Ritschelius sic restituit: 'S. a. seruos erum'. [Gandino in Riuista di Filol. I p. 432 hoc monstrum uenditat: 'Suom ar sese arcessit e. A. e. f.', nec melior est Ussingii hic uersus: 'Suum seruos arcessit erum Athenis et forat'.]

6. Most. 5: 'Et inde primum emigratum. interuenit'. Hoc 'primum' cum aperte corruptum sit, pro certo testimonio ne hunc quidem u. habere audeo. Fortasse latet in 'primum' 'pridem' (iam), ut scribendum sit 'et inde pridem iam emigratum'. [R. 'esse' inseruit, quod omittere solet noster, uide infra.]

7. Poen. 2: 'Osor mulierum emptum adoptat hunc senex'. De cuius uersus praeter hiatum morbo quoniam supra p. 265 disseruimus, utimur cum Ritschelio hac transpositione: 'Osor

mulierum adoptat hunc emptum senex'. Quid significet cod. B scr. 'mulierũı' (sec. Goetzii coll.), nondum perspexi.

8. Men. 2: 'Ei surrupto altero mors optigit'; cf. p. 254, ubi hanc emendationem necessariam esse demonstrauimus: 'Eorum surrepto altero mortem oppetit' [R. 'illorum', Mueller p. 498 'ilico' inseruerunt].

Secuntur duo loci, quos iam supra propter alterum hiatum sanauimus:

9. Aul. 1: 'Aulam repertam ⟨auarus⟩ plenam auri Euclio'.

10. Curc. 2: 'Ut petat argentum. ⟨Clam⟩ ibi eludit anulo'.

Dimidio sic expedito uideamus, quae restent:

Tres uersus sola transpositione restituo:

11. Mil. 3: 'Legato peregre, ipsus captust in mari' scribens cum Pareo: 'captust ipsus in mari', cf. p. 265.

12. Merc. 1: 'Missus mercatum ab suo adulescens patre' cum eodem: 'Mercatum missus' [R. 'Missús adulescens' contra auctoris usum].

13. Ep. 3: 'Iterum pro amica eī subiecit filii'. Ut artius coniungantur quae cohaerent notiones, facillime efficio hac collocatione unice uera: 'Iterum subiecit eī pro amica filii'. [Errant, qui 'ĕī' metiuntur in tertia sede; Brugmanus (de senario p. 10 sq.) in perfecto iniuria offendit; cf. etiam Hasperi progr. p. 8.]

14. Ep. 4: 'Dat erili argentum. eo sororem destinat' cum Brugmano (p. 11) sanandum censeo pronomine relatiuo ('quo'), cf. Capt. 9: 'Indicio quoius'; Curc. 8: 'Oratu quoius', praeterea Trin. u. 9: 'Ut uenit ad aedes, hunc deludit Charmides
Senex, ut rediit; quoius nubunt liberi'.
Sed cum duae illae sententiae a coniunctione 'ut' incipientes nimis molestae et ne aptae quidem sint, proponam: 'Senex, (q)ui rediit; eius nubunt liberi'.

15. Poen. 3: 'Et facit heredem: eius cognatae duae', ubi eadem medela praesto est, possis etiam 'istius' conicere, coll. Aul. 3: 'istius uitiat filiam', et Trin. 5: 'soror istius poscitur'. Fortasse scripsit 'stius' ut Fronto solebat, cf. ed. Naberi p. 280. [Geppertus: 'eiusce'.]

Quam formam non dubito adhibere

16. Amph. 2: 'Mutauit sese in formam eius coniugis' scribens: 'formam stius [1]) coniugis', cum recc. codd. apud Osann. exhibeant 'illius' et docti quidam uiri, in his Fleckeisenus, transpositione uocabulorum conexum malint obscurare [Goetzius et Loewius in ed.: 'in formam absentis coniugis'].

17. Ep. 7: 'Ut ille amicam, haec quaerebat filiam'. Adstipulor Muellero p. 685 'ita' inserenti, quippe quod facillime excidere potuerit post 'amicã' [Camer. 'quaeritabat'].

18. Capt. 1: 'Captust in pugna Hegionis filius'. Spero me p. 251 extra dubitationem posuisse hanc lectionem: 'Captust in Alide H. f.', ut p. 268 ad Aul. 8 demonstraui nomine proprio hiatum non excusari.

19. Trin. 1: 'Thensaurum abstrusum abiens peregre Charmides'. Muniui p. 257: Fleckeiseni emendationem: 'abiturus' [Mueller: 'thensaurum auri'; Loewius Anall. Plaut. p. 195: 'abetens', quia cod. Vet. exh. 'abe ens'].

20. Pseud. 6: 'Opemque erili ita tulit; nam Simmiae' haud infelicem Bothianae coniecturae 'ita ⟨at⟩tulit' me propugnatorem exstitisse (p. 255) puto [Camer.: 'ita tetulit'; nuper Th. Braunius in obss. gramm. et critt. Berol. 1882 p. 17: 'sic'].

21. Pseud. 4: 'Venientem caculam interuortit symbolo' mensuram 'cācula' p. 262 (223 sqq.) ita uindicauimus, ut nonacrosticha acrostichorum auctori ante oculos esse uersata probaremus. Contra si cui non-acrr. auctor imitator esse uidetur, in acrostichis hiatum inuenisse non potest, nam si inuenisset, non tanta fiducia prauam mensuram adoptasset.

Ad finem perueni. Quod autem assecuti sumus, si mecum reputo, non uideo, quid grauius quidque utilius cogitari possit ad Plautini hiatus qui dictitatur quaestionem illustrandam. Nam si concedendum est ex 166 uersibus argumentorum tantam partem hiatu inquinari potuisse, iam desinent in Plauti fabulis coniuere et tergiuersari.

---

1) De 'iste' pronominis usu (= ille) cf. p. 281.

Quaestio 8.

De argumentorum metricorum latinorum origine et de acrostichorum Plautinorum auctore.

Quoniam uidimus propter sermonem acrosticha Antoninorum fere aetati esse tribuenda nec metricae artis praestantiam repugnare, nunc de origine argumentorum in uniuersum quaerentibus non neglegenda nobis uidetur uel haec deliberatio: argumentorum quotquot cognouimus, nullum certo testimonio (nam Donati error omittendus est) ex antiquis oriundum esse temporibus traditur, contra nonnulla in posteriorem aetatem relegamus siue propter disertum testimonium siue quod ad scriptorem pertinent posteriorem, cf. Apollinaris argumenta Terentiana et Vergiliana, alia illa Vergiliana, Lucaniana, Statiana. Sed certius res potest stabiliri. Namque fontem mihi uideor inuestigasse, ex quo totum hoc poeseos genus emanauerit. Rhetores nimirum ut in aliis poetis ita in comicis quoque satis aptam exercitationum suarum materiam inueniebant. Sic Donati, qui dicuntur commentarii, multa rhetorici studii uestigia demonstrant. Atque ad Terentium maxime uidentur se applicasse rhetores, simul autem ad Vergilium [1]; quod ut intellegas, cf. Eugraphii in comment. And. praef.: 'Cum omnes poetae uirtutem oratoriam semper uersibus exsequantur, tum magis duo uiri apud Latinos, Vergilius et Terentius. Ex quibus, ut suspicio nostra est, magis Terentii uirtus ad rationem rhetoricae artis accedit; cuius potentiam per singulas comoedias, ut possumus, explicabimus'. Qua re sane, qui argumenta nata sint, nondum explicatur, sed mox dilucidum fore spero. Conferas, cum nostris poematiis themata, quae ante rhetorum Senecae, Quintiliani, Calpurnii Flacci controuersias leguntur, ut hoc, quod instar omnium est: Sen. exc. contr. III, 3 p. 249 K.:

1) Notissima est Vergilii uirtus rhetorica, de qua cf. Comparettium, Vergil im Mittelalter cap. IV p. 32 sqq.

Cum tricenario filio pater patrimonium diuidat.
Quidam habuit filium frugi et luxuriosum.
Abdicauit luxuriosum. frugi peregre profectus est;
A piratis captus est; de redemptione scripsit patri.
Patre cessante luxuriosus praeuenit et redemit.
Rediit frugi; adoptauit fratrem suum. abdicatur.

Nonne plane eandem agnoscis naturam eundemque colorem? Porro quam saepe redeunt in controuersiarum thematibus comoediarum argumenta; inuenimus enim, ut exempla proferam, piratas et homines ab eis raptos ut in Mil. glor.: Sen. I, 6 et 7; excerpt. III, 3 — maritos peregre profectos, quorum coniuges a patre iubentur illos deserere, ut in Sticho: Sen. II, 2 (10) — non speratos patris reditus, ut in Most. Trin.: Sen. exc. V, 2 et 4 — filios luxuriosos: Sen. exc. III, 8; exc. IV, 1 — fratres, quorum alter frugi, alter luxuriosus, ut in Adelph.: Sen. exc. III, 3 — patres, qui luxuriante filio luxuriari incipiunt, ut in Asin. et in Bacch.: Sen. II, 6 (14) — adoptiones, ut in Adelph. Men. Poen.: Sen. II, 4 (12) — meretrices, ut ubique: Sen. II, 4 (12); IX, 25 — adulteros (deprehensos), ut in Cas. et in Mil.: Sen. II, 7 (15); exc. IV, 7; exc. VI, 6; IX, 24 — uestium mutationes, ut in Eun.: Sen. exc. IV, 1; exc. V, 6 — furta, ut in Aul.: Sen. X, 35 — communis parietis perfossiones, ut in Mil.: Sen. VII, 5 (20); X, 35 — uirginum uitiationes, ut in Eun. Hec. Aul. Cist.: Sen. VII, 6 (21); exc. VIII, 6 — expositos liberos, ut in Haut. Cist.: Sen. IX, 3 (26) — pauperis filiam a diuite petitam in indotatas nuptias, ut in Aul.: Sen. VIII, 6 — naufragia, ut in And., Rud.: Sen. exc. V, 1; exc. VIII, 6 — bella, ut in Amph. Capt.: Sen. exc. IV, 4 et 8; exc. V, 7; exc. VI, 5; VII, 7 (22); X, 3 (32) — captiuos, ut in Capt.: Sen. exc. V, 7; VII, 7 (22); X, 5 (34) — legatos missos ad redemptionem, ut ibidem: Sen. VII, 7 (22) — manumissiones, ut saepe: Sen. VII, 6 (21).

Haec, quae nunc exhaurire nolui atque aliorum ex controuersiis augeri posse haud ignoro, argumentorum thematumque affinitatem satis luculenter demonstrant. Quid, quod ipsa forma haec ad illa accedunt, cum persaepe numero decurrant

iambico? quod ut demonstrem, rursus unum exemplum proponam, Sen. exc. VI, 4:

Veneficii sit actio.

Proscriptum uxor secuta est. quodam tempore
Secreto poculum tenentem interrogauit,
Quid esset; ille dixit uenenum et mori
Se uelle. rogauit illa ut partem sibi daret
Et dixit se nolle sine illo uiuere.
Partem bibit ipse, partem uxori dedit.
Periit illa sola. testamento inuentus est
Maritus heres. restitutus arguitur ueneficii.

Quae uide quam facile in senarios redigantur, licet sane non omnes seueras leges sequantur:

Proscriptum uxor secutast. quodam tempore
Secreto poculum tenentem interrogat,
Quid esset, dixit ille uenenum, nam mori
Se uelle. Rogauit illa, ut partem sibi daret,
Et dixit nolle se sine illo uiuere.
Partem bibit ipse partemque uxori dedit.
Perit illa sola. testamento inuentus est
Maritus heres. arguitur uenefici.

Atque etiamsi non omnia themata tam constanter iambis decurrunt, nonnullos tamen in iis hic illic uersus integros inueni, sententias autem, quae leniter correctae uel suppletae ad senarii normam accommodari possint, plurimas.

Quid autem ex tota hac similitudine colligemus? Duas res, quantum ego intellego, et hoc quidem praeter cetera: haud modice comoedias expilasse, qui [1]) in rhetorum scholas induxerunt controuersiarum argumenta. Itaque, quamquam suo iure E. Rohdius (d. griech. Roman p. 338) eorum iudicio ad-

1) Cum dubium esse nequeat ex Graecis importata illa esse ad Romanos (cf. Rohdii, d. griech. Roman p. 288 sqq., 336 sqq. cum adnott., praeterea Dirkseni scripta I p. 254 sqq., inprimis p. 260), tamen ipsi quoque rhetores Latini Graeca exemplaria augebant et imitabantur (cf. Dirksen. p. 260 cum adn. 43, p. 261 in.).

stipulatus est, qui matrem sophistarum nominauerunt tragoediam, hoc uelim non omitti, quantum etiam ex comoedia materiae illis redundauerit.

Alterum autem hoc est: cum solerent Latini rhetores controuersiarum argumenta presse et concise uersiculorum modo proponere, poetarum similia ex parte et cognata scripta adeuntes, ut Terentii, horum quoque ut summam breuiter conderent, uersibus, ut par erat, facile commouebantur. Atque si ad Terentium primum se applicauit haec consuetudo, quod uerisimile est propter huius uirtutem rhetoricam, uix ante finem primi p. Ch. saeculi incepit, qua aetate resuscitatum est acre antiquarum litterarum studium. Verum etiam aliorum auctorum scripta eodem modo excerpta sunt, inprimis Vergilii — epica puto aptius uersu heroico — atque ex ipsis his temporibus totum illud epitomandi studium percrebruit.

Hic alia quaedam poematia comparabo, quae primo p. Ch. saeculo orta sunt sat singularia, fabularum Aesopicarum iambicas, quas Phaedrus fecit, paraphrases, quae tamen epitomarum potius pleraeque quam fabularum speciem praebent, ut haec I, 4 (Luc. Mueller):

Canis per fluuium carnem ferens.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.
Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in speculo uidit simulacrum suum,
Aliamque praedam ab altero ferri putans
Eripere uoluit: uerum decepta auiditas.
Et, quem tenebat ore, dimisit cibum,
Nec, quem petebat, potuit adeo adtingere.

Agnosco in his quoque rhetorum themata, cum breuitate et toto colore eorum sint simillimae ac saepe ipsa causae, ut ita dicam, commemoratio in fronte inueniatur. Nec fugit uiros doctos mira Phaedri illa breuiloquentia a fabulae natura prorsus aliena, cf. Nachtr. z. Sulzers Theorie d. schönen Künste VI p. 73 sqq. et p. 76: 'Bey weiten in den meisten Fabeln unsers Phaedrus ist die Erzählung durchaus summarisch'. Quod autem

longiores quoque fabulas confecit, a pristino consilio aberrauit, cf. III, epil. u. 8; IV, epil. 7 sqq.; III, 10 u. 60. Quae Phaedri poematia cum uerisimile sit nota fuisse inter posteriores, inprimis inter scholasticos [1]), non mirabimur, si certam in argumentis imitationem inueniemus, cf. Most. 5 sq.: 'Interuenit Lucripeta faenus faenerator postulans' cum Ph. II, 1, 2: 'Praedator interuenit partem postulans'.

Itaque, ut comprehendam, quae sentio: ubi de argumentis cuiuslibet scriptoris quaestio oritur, non iam quauis aetate auctor quaerendus erit, uerum utique ea, quae Augusti tempora secuta est, quippe ex quibus, quamquam declamatum est iam Ciceronis aetate, prima declamatarum controuersiarum testimonia habeamus, cf. Sen. contr. I, praef. 12: 'hoc enim et q. s.', praeterea: 24. De comoediarum autem argumentis hoc dicendum erit: Plautina orta esse post Terentiana, quia ad horum exemplar uidentur esse conscripta, ut liceat iam cum aliqua probabilitate hanc proponere seriem [2]), qua periochis Sulpicii succedunt non-acrosticha (cf. 'insperato' alia), his acrosticha (cf. 'cacula' alia). Quam imitationem et communem tribus illis auctoribus rei metricae seueritatem si specto, nunc hoc quoque argumento utor, ut dicam acrostichorum auctorem solum admittere hiatum uoluisse non uideri credibile.

Atqui perlustranti illa tempora ex ipsis Sulpicii Apollinaris, si non discipulis, attamen aequalibus quidam idoneus mihi uisus est, in quem acrosticha conferremus — M. Cornelius Fronto.

Hunc ipsum auctorem ut existimem, satis firmis argumentis commoueor. Namque aetate illa renascentis antiquorum scriptorum studii Fronto quasi antesignanus exstitit:

Primum in rebus orthographicis, ex quibus ut ea tantum, quae in argumentis reperiuntur, commemorem, 'ei' semper pro 'ī' littera uidetur scripsisse in terminationibus: corpusculei p. 90 l. 14; Asianeis p. 86, XXXVI, 51 l. 6; seruilei 233, 10; nataleis p. 91, LIV, 69 l. 4; progredei 96, 6; placarei 210, 17

1) Quamquam raro laudantur.

2) Quam iam supra uerisimilem esse cognouimus.

— sed etiam in mediis uocibus: Seisenna 114, 4, eimaginem 46, 18. Quod autem in acrosticho poeta formam 'Capteinei' adhibuit, contra 'Miles gloriosus', puto eum unum uersum lucrifacere uoluisse in longiore argumento. Nam hallucinatur Osannus ad h. l. ut ad Truc. u. 8, ubi forma 'nata' est in acrosticho. Porro 'o' pro littera 'u' recentiore legitur, ut 'auom, nauom' p. 226, 6; 'quom' 122, 3 alibi; 'uolsus' 128, 15; 'uolgaris' 151, 6; 'uolgo' 214 laud. Negl. 6; 'uolnera' 205, 17; 'uoltus' 234, 17; Locretium (?) 149, III, 15. Adde: 'surrupuisset' 227, 9 ut Men. 2, et alia singula.

Verum etiam formas ueteres uerborum Fronto usurpauit, cf. 'ipsus' p. 84, 1, ubi ignarus librarius *i* superscripsit, cum Mil. 3; Capt. 7. 'Portendier' 220, 4 = As. 1: 'auxiliarier'. Cum illo 'obduxe' Merc. 7 cf. 'indixtei' 227, 6. Grauior etiam uidetur forma 'Patricoles' p. 19, 5, cum plane respondeat formae 'Alcumena' in arg. Amph. Praeterea magna multitudo glossarum Cornelii studium demonstrat, quas non opus est enarrare. Ipse disertis uerbis suum antiquarum uocum amorem confitetur identidem ut p. 151, 4 sqq.: '— uerbis interdum singularibus requirendis? .... ut de uolgaribus elegantia, de contaminatis noua redderes (cf. 'lucripeta' Most. 6), imaginem aliquam accommodares, figuram iniceres, prisco uerbo adornares, colorem uetusculum adpingeres' (scil. orthographia). His adde Gellii uerba N. A. XIX, 8, 16: '— ut nobis studium lectitandi in quaerendis rarioribus uerbis exerceret et q. s.'. Quo pertinet uocabulum 'subseruire' (Amph. 4), quod M. Caesar adhibuit, cf. huius commentationis p. 248 sq. Audaciorem animaduerte usum substantiuorum in -or, ut haec sunt ἅπαξ εἰρημένα: 'eductor', 'esor', 'libator', 'promulgator' (cf. Klussmann. emendatt. Fronton. ed. Berol. a. 1874 p. 75 sq.), ut eidem auctori etiam illud 'compressor' Aul. 7 possit uindicari. Singula quaedam, quae ad syntaxin spectant, addo: coniunctionem 'postquam' cum praesenti tempore coniunctam p. 237, 9 sq.: postquam id frustra orat, cf. Merc. 8: 'postquam amicam — inuenit'. Vide A. Ebert. Synt. Front. (Acta sem. Erlang. II p. 344); Draeger.

II p. 557. Ad locutionem 'alitus fuerat' Men. 7 supra p. 248 duos locos M. Caesaris, discipuli Frontonis, attulimus. Praeterea cf. hanc constructionem particulae 'inuicem' Men. 10, de qua diximus p. 237 sq., Fronton. p. 59, 15: 'neue inuideant inuicem amici tui sibi', ubi nullo iure Maius pronomen 'sibi' omisit. Locutioni illi 'frustra habere' apud Frontonem comparari potest 'insuper habere' = neglegere, cf. Ebert. p. 331 sq.; Hand. Turs. uol. II p. 386, 6. — De frequenti apud Frontonem usu pronominis iste = ille cf. Ebert. p. 327 sq.: in argg. Aul. 3, Trin. 5, Amph. 2 (?), Trin. 3, Truc. 3, Truc. 10 (?). — Quod ellipsin attinet, docet Ebert. p. 351: Praesens uerbi 'sum' saepissime apud Frontonem omitti, item infinitiuum 'esse' post adiectiua et participia plerumque, cf. As. 6: 'Riualis amens'; Poen. 3 sq.: 'Cognatae — raptae'; Ep. 6: 'cognouit — sibi — os sublitum'; Most. 5: 'ait — emigratum'; ib. 8: 'acceptum dicit pignus'; ib. 10: 'se derisum dolet'; Men. 8: 'ciuem credunt — aduenam'; Merc. 4: 'confingit — emptam'; Pseud. 5: 'dicens Syrum se'. — Et si allitterationem quaeris (Eb. p. 353 sq.), cf. talia: Pers. 4: 'Subornata suadet sui parasiti filia'; Stich. 2: 'Tam perseuerent peregrinantes pauperes'. Quatenus omnino antiquitatem Fronto affectauerit iam uidimus; maxime Plauti fuisse illum ueneratorem Studemundus in Klussmanni emendatt. Frontt. p. XXX sqq. accuratius exposuit. Et bene congruit acrostichi usus, quem receptum ab Ennio, ni fallor, ex Pseudoepicharmeis[1]) cum antiqui haberent, posteriores renouauerunt, si quidem post Italicum, 'Homeri latini' auctorem, aequalis Frontonis, Iustinus Faustinus acrosticho usus est, cf. Anth. Lat. ed. Meyer I p. 252 c. 812; Teuffel. litt. R.[3] c. 362, 1. Atque si quis indignum putet argumentorum lusum celeberrimo homine, hunc de 'Laudibus Fumi et Pulueris' et de 'Laudibus Neglegentiae', praeterea autem de Apollinaris periochis recordari iubeo. Ceterum ab ipsis Frontonis discipulis anti-

1) De Ennii cum Epicharmeis conexu cf. Bernhardii litt. Gr. II[3], 2 p. 521, de acrostichis Epicharmeorum Ritschel. Par. p. XVI.

quarum comoediarum argumenta confecta esse ex hoc loco colligas: ep. M. Caes. p. 34 l. 13 sqq.: 'Feci tamen per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis: sed cum leges sexaginta: inibi sunt et Nouianae et Atellaniolae et Scipionis oratiunculae: ne tu numerum nimis expauescas', quo indicare Caesar uidetur se Atellanarum fabularum paucis uerbis condidisse argumentum [1]), cf. Klussmanni emendd. Frontt. part. (Gotting. 1871) p. 20 sq. cum adn., qui recte hoc subaudit: Nouianas et alias Atellaniolas.

Quid? hoc quoque, quod per se est probabile, Frontonem italicos fecisse senarios apparet ex hoc uersu (frg. 6 Naber): 'Et illae uestrae Athenae Dorocorthoro' — quem adfert L. Mueller de re m. p. 97 ibidem disputans de studio italici uersus resuscitato.

Pars III.

De argumentis Vergilianis, Lucanianis, Statianis, ceteris.

Quaestio 9.

De codicum in tradendis argumentis Vergilianis fide siue de duplici recensione.

Tertio loco de Vergilianis argumentis et de aliis quibusdam uersu heroico conscriptis breuius disputare proposuimus. Nam ad aetatem definiendam neque metricas leges spinosas enucleare refert, quoniam usque ad ultima fere tempora, qui poetarum classicorum placita sequerentur, non defuerunt, neque ex sermone multum elucebit, quod suam naturam hi auctores plane exuerunt, poetarum, quos excerpunt, induerunt. Nihilo minus hic quoque nonnulla neque ea spernenda indagari posse speramus. Ac primum quidem de Sulpicii argumentis Vergilianis (Anth. Lat. ed. R. c. 653) non excuso, quod adhuc neglexi L. Muelleri sententiam, qui in Mus. Rhen. uol. 19

1) De glossariis cogitari posse censet Ribbeckius.

(a. 1864) p. 114 sq., nomen auctoris prorsus non curans, quinto uel sexto p. Ch. saeculo ea attribuit (consentiente Comparettio in 'Vergil im Mittelalter' p. 139 cum adn. 8), quam sententiam tum restrinxit ipse ib. uol. 23 (a. 1868) p. 657 saec. quartum uel quintum proponens. Atque hanc opinionem ut defenderet, nimis acerbum iudicium de opusculis illis tulit illic p. 122: 'die Erzählung nämlich ist fast überall in dem ganzen sogenannten Gedichte ungeschickt, und häufig nur durch genauere Kenntniss der Aeneis verständlich. Manches, besonders die Anfänge, in denen immer der erste Halbvers des entsprechenden Buches von Virgil paradirt, ist beinahe unsinnig zu nennen'. Quod ita impugnabimus, ut singulos locos, qui solius Vossiani Fol. 111 saec. IX auctoritate nituntur, accurate examinemus. Sed ut bene praeparati ad proelium accedamus, altius repetentes initium primum ex aliis argumentis, quae compluribus codicibus traduntur, discamus, quanta fiducia possit offerri illi Vossiano. Eo autem libentius instituimus hanc quaestionem, quia cohaeret cum alia quadam, quae est de duplici recensione. Cuius naturam demonstrabimus in interpolatorum officinam penitus introspicientes. Itaque euolue, quaeso, carmen illud, quod primo loco exstat in Anthologia Riesiana [Poet. Lat. Min. ed. Baehrensius uol. IV c. 176].[1])

Statim in primo uersu (Monosticho I): Voss. E exhibet aperta interpolatione:

'Aeneas primo Libyae conpellitur undis'.

Nimirum iam tum offensus tradita lectione ceterorum 'Libyae depellitur oris' nescio quis eam superscriptis illis uocabulis corrigere studuit sat infeliciter. Adhibuit autem, ni fallor, uerba arg. III, 6: 'compulsus ab undis'. Itaque ueram scripturam etiamnunc quaerimus. Potest rectum esse, quod Ribbeckius coniecit: 'depellitur oras'. At quam facile praepositio-

1) Cum iam probata esset haec dissertatio summo philosophorum ordini, editum est Baehrensii Poet. Lat. Min. uol. IV, ubi inueniuntur argumenta Vergiliana inde a c. 176. Baehrensius contra nostram sententiam codicis E lectiones plerumque praetulit ceteris; coniecturas eius breuiter addidimus.

nes 'de' et 'ac' (= at) confundi potuerunt, et, ut hiatum procul habeas, uide, num fortasse Vergilium imitatus scripserit (coll. I, 377: 'Libycis tempestas adpulit oris'): 'Libycis adpellitur oris', quae lectio exstat iam in edit. Heynii (cur. a Wagnero) nulla addita adnotatione et nuper ex Sangallensi quodam saec. IX edita est ab Huemero (Studd. Vindob. uol. II p. 73).

VII, 1: 'Hic quoque Caietam sepelit, *tum deinde* profectus', Voss.: 'H. q. C. tumult d. pr.'. Particula 'tum' iam librario superuacanea uidebatur. Superscripsit igitur ex Aen. VII u. 6: 'Aggere composito tumuli' uocem 'tumuli', unde ortus est Vossiani error. At minime sollicitanda est coniunctio particularum 'tum deinde', de qua cf. M. Hertzium Annall. Phill. uol. 111 (a. 1875) p. 785 sq. Quare omni fundamento carent coniecturae Muelleri Mus. Rhen. uol. 19 p. 117: 'tumulo dat'; Maehlii, qui in Ephem. Gymn. Austr. uol. 22 (a. 1871) nonnullas coniecturas edidit, p. 332: 'tumulo inde'.

VIII, 10: '(casusque suorum) Sortitus clipeo diuina intentus in arte est', quamquam rectus per se uerborum sensus, latere poterat hominem minus attentum. Itaque correxit anonymus ex Aen. VIII, 619 et 730: 'Miratur' atque in sequentibus 'diuinam natus in artem'.

IX, 3: 'Teucrorum naues Rutulis iaculantibus ignem' (sc. uersae sunt): cum intra huius uersus fines se teneret ille, addidit praepositionem 'in': in naues sc. iacul.

IX, 8: 'Pandaron altum': interpolator offendens in epitheto rariore, quo exprimitur Aen. IX, 735 'ingens' (cf. Ribbeck. Proll. Verg. p. 375), 'acrem' scripsit.

X, 8: RcγX exh.: 'Aeneas perstat Mezenti caede piata', ubi sensu carent ultima uerba, nam nimis artificiosa est Heynii explicatio 'caedes sc. a Mez. facta'. Rectam uiam ingressus est Ribbeckius coniciens 'parata', cui emendationi Maehlius p. 333 male praetulit suum inuentum: 'Pallantis caede pianda'. Ni fallor, ne mea quidem coniectura contemnenda est: 'M. caede petita', quoniam litterae *e* et *i* saepius confunduntur, cf. III, 10: 'Dripanis', XI, 6: 'ligati'. Eo autem facilior fuit error, si librario obuersabatur exitus u. III, 3:

'Polydori caede piata'. Contra interpolatori, qui scripsit 'M. caede cruentus', in mentem uenerat clausula hic non apta Aen. I, 471: 'uastabat caede cruentus'. [Ratione non utitur Baehrens. coniciens: 'Mezenti caede cruenti'.] Videmus igitur atque uidebimus satis fortem eius fuisse memoriam in tenendis uersibus Vergilianis.

Sed interpolati hi quoque codices sunt bcγX apud Ries., qui cum inter se cognati esse tum ad eundem ac Voss. archetypum redire uidentur. Quorum nonnullos locos afferam, quia librariorum rationem ipsi quoque optime ostendunt.

[II, 5]: 'Somnum, quo monitus acceperit Hectoris atri' mirum per se epitheton, sed illustratum Aen. II u. 272, cum non intellegeret, nescio quis 'atrum' coniecit (bcγ).

[IV, 8]: 'nec iam datur ulla facultas': cγ: 'ulla loquendi'. Scriptum erat: 'facultas' (loquendi superscr.) et spectat fortasse glossema ad Aen. IV, 390: '(Dido) linquens multa metu cunctantem et multa parantem dicere', cf. praeterea similes clausulas apud Verg.: 'data copia fandi' Aen. I, 520; XI, 248.

[V, 5]: Voss.: 'Iris item Beroen habitu mentita senili'. Quid sibi uelit mira scriptura codd. bX: 'Iris nutricem Beroen', intelleges comparans hos de alia illa Beroe locos Ou. Met. 3, 278: 'Ipsaque erat Beroe Semeles Epidauria nutrix' et Hyg. fab. 167: 'Iuno in Beroen nutricem Semeles se commutauit'. 'Iris tunc' exhibent codd. quidam apud Burm., 'I. tum' scripsit Ribbeckius, 'I. anum' Heinsius et, ut suum uenditans, Maehlius. At cum cod. c 'syllabam te ut uid.' habeat 'erasam', auctoris manum sic restituemus: 'Iris iam Beroen', cf. 'iam' II, 6; IV, 1; VIII, 8; IX, 10; XII, 1.

[VI, 3]: 'Ramum etiam diuum placato numine portat', γ: 'ante deum', quod per se rectius est, cf. Ribbeckii adn.; sed glossema esse 'ante' apparet ex eo, quod X et 'ante' (c: 'antea') et (cum cod. c) formam 'diuum' seruat.

[IX, 7]: 'Audacem Remulum et q. s.': Legimus in codd. RX: 'Romulum', in cod. c: 'Rutilum' puto ex Aen. VII, 409 initio: 'Audacis Rutuli'.

Videmus igitur inprimis tum, cum tradita lectio offenderet,

aliam esse superscriptam. Ex certissimis autem illis locis profectos iudicare licebit etiam in iis exemplis, quae ambigua uidentur esse:

Mon. II exh. cod. R saec. V—VI: 'Funera Dardaniae narrat flectaeque secundo', E: 'defletque', cui scripturae parum credo; aliam coniecturam praebent recentiores 'fletusque', quam Riesius recepit. Si quid sentio quondam legebatur: 'fledēq.', scribendum autem est: 'clademque', cf. in monostichis c. 634, 2 R.: 'Edocet excidium Troiae clademque (dadēq;) secundus'.

VII, 8: 'Concurrunt dictis, quamuis pia fata repugnent'. Locutio 'concurrunt dictis' — non intellecta a Maehlio p. 333 —, quae apta est XI, 8 [1]), hic minus placet, quia colloquium non erat contra fata deorum. Sine dubio fortius aliquid desideratur, ut Maehlius scripsit 'coniurant trepidi'. Plane aliam uiam ingressus est interpolator: 'Rex cedit furiis' coniciens. Atqui comparanti Aen. VII, 520: 'concurrunt undique' et 582 sqq.: 'Undique collecti coeunt — Ilicit infandum cuncti contra omina bellum, contra fata deum peruerso numine poscunt', haec mihi arridet emendatio: 'Concurrunt ⟨a⟩uidi, quamuis etc. . . . ., belli. Causa sc. concurrendi et q. s.', praesertim cum sententiarum conexus, in quo Riesius iure offendit, sic expediatur. Praeterea loco illo Vergiliano defenditur traditum 'fata' a Muelleri conamine 'uota' [Baehrensius: an 'pacta'?], eodem refutatur Baehrensii coniectura: 'Rex cedit fatis'.

XI, 5: 'Corpora caesa uirum passim digesta cremantur' illustratur uox 'digesta' Aen. XI, 185 sq. (cf. Ribbeck.) et 204 sqq. At facile suspicio poterat nasci scribendum esse 'disiecta', quod habet Vossianus.

Neque uero semper certa interpolandi causa apparet, immo saepius sola aliorum locorum memoria ad textum corrumpendum uidetur inuitasse.

1) Spectant, quae antecedunt, ad Aen. XI, 321 sq.: 'aequas dicamus leges', ut Mueller non debuerit addubitare 'leges aequante Latino'. Cf. Mus. Rhen. uol. 19 p. 120.

I, 4: 'Iactatus tandem Libyae peruenit ad oras'. Voss.: 'Naufragus et — est aduectus ad oras'. Vocem 'naufragus', ad quam minus quadrat uerbum 'est aduectus', sumpserit auctor ex arg. III, 6: 'Naufragus utque foret et q. s.', clausulam fingens secundum Aen. III, 108: '— primum est aduectus ad oras' (alii: 'in oras').

III, 7: Variam lectionem sic ortam esse conicio: 'Inde fugam et dirae narrat praecepta (horrenda) Celaenus' (Voss.: 'I. f. et d. praecepta horrenda C.') coll. Aen. III, 712 sq.:

'Nec uates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno'.

Quare Muelleri coniectura, quam queritur a Ribbeckio temerariam nominatam esse, sc. 'percepta oracla' re uera temeraria est.

Monost. V: 'Quintus habet ludos et classem corripit ignis'. Hic quoque additamentum esse cod. Voss. lectionem 'ludos, quos concelebraret' (cetera uide apud Ries.) manifestum est, sed quaeritur de eius scriptura, cum ultima uerba sint euanida. Multa mutatis mutandis docti uiri temptauerunt: potestas, Auerno, Anchisae, Acestes. Mihi proxime ad litterarum ductus accedere uidetur 'quos concelebrarĩt (uel: concelebrarũt) Teucri'.

[V, 10]: 'Et placida Aeneas Palinurum quaerit in unda' cod. E; 'placidum — in undis', lectionem codd. bcγX, fortasse rectam esse censet Riesius. At si reputamus, quantopere Vergilius hoc extulerit mare serenum fuisse, cf. Aen. V, 848 sq.: 'Mene salis placidi uoltum fluctusque quietos Ignorare iubes?' — et 870: 'O nimium caelo et pelago confise sereno' —, credibile est etiam argumenti auctorem hoc commemorasse. Corruptelae autem originem hanc puto, quod illato semel 'in undis' ex Aen. V, 868 'rexit in undis' 'placidum' sit corrigendo restitutum. [Scripsit Baehrens. 'placitum' cum cod. P. Palat. s. X.]

Manifestum etiam [VI, 10]: 'graditur classemque (socios) reuisit', contulit enim iam Ribbeckius Aen. VI, 899: 'sociosque

reuisit’, itaque cγ habent: ‘sociosque reuisit’, aperte interpolationem prodens X m. 2: ‘*t* socios’.

VII, 3: ‘Mensis en uescimur inquit’; Eb: ‘Mensis iam’, nimirum quia propter Aen. VII, 116: ‘heus! etiam mensas consumimus’ quondam fuit: ‘mensis $\overset{\text{etiam}}{\text{en}}$’. [Maior interpolatio indidem repetita exstat in cod. Z apud Baehrens. ‘mensas consumimus’.]

Non merito mihi uidetur VIII, 5 Riesius cum cett. editt. [secutus est Baehrens.] prae cod. E lectione ‘Arcadia profugum’ spreuisse[1]) reliquorum: ‘Arcadiae profugum’, quae est electior, cf. Kuehner gramm. II p. 325, qui adfert Tac. A. 15, 1: ‘profugus regni’.

IX, 10: ‘Iamque fatigatus recipit se in castra suorum’, Voss. ‘in tuta suorum’. Monere uoluit interpolator de usu Vergiliano, cf. Aen. IX, 366: excedunt castris et tuta capessunt, praeterea VI, 358; VIII, 603; XI, 871. 882.

X, 3: ‘Aduenit Aeneas multis cum milibus heros’. Cf. c. 600, 2 sq. R.: ‘auxiliis instructus Troius heros Aduenit’. Recepit Baehrens. ex Voss. ‘multis cum milibus inde’, quod non intellego; ni fallor, superscriptum erat ‘u*inde*x’, quod uersui tum est accommodatum.

X, 9: ‘Et Lausum inuicta perimit per uolnera dextra’, pro quo uersu exstat in Voss.: ‘Lausus fata patris praesenti morte redemit’; uersus sat elegans, at uix dubitabis de interpolatione, si disces, quomodo conflatus sit: scil. ex Aen. VI, 121: ‘Si fratrem Pollux alterna morte redemit’ et VIII, 495: ‘Regem ad supplicium praesenti *Marte* reposcunt’.

XI, 2: ‘Exanimumque patri natum Pallanta remittit’. Quamquam in argumento tam accuratam descriptionem non exspectas, Voss. habet: ‘patri feretro Pallanta remittit’ ex Aen. XI, 64: ‘feretrum texunt’ et ex simili exitu u. 149: ‘feretro Pallanta reposto’.

---

1) Cf. etiam Addend. uol. II p. LVI.

At restant quattuor maiorum interpolationum exempla, ubi decernere difficilius est:

V, 7: duplicem recensionem in archetypo fuisse inde apparet, quod cod. X hos duos uersus exhibet:

'In somnis pater Anchises, quae bella gerenda (sc. monstrat)

Tunc natum Anchises solatur noctis in umbris'.

Concedo prioris uerbis 'quae bella gerenda' non prorsus reddi locum Aeneidis V, 730: 'gens dura atque aspera cultu debellanda tibi est Latio'. At multo suspectius est in altero 'solatur', quod ex Nautae oratione u. 708 ('solatus') uidetur inlatum. Locutio 'noctis in umbris' orta esse mihi uidetur ex memoria huius loci II, 621: 'noctis se condidit umbris'.

VII, 10: 'Tum gentes sociae arma parant, fremit arma iuuentus'.

Voss.: 'Arma ferunt gentes socia dat bella iuuentus'.

Contendas [cum Baehrensio] priorem u. ex carminis 653 uersu 18 R. refictum esse: 'fremit arma iuuentus'; at magis hoc cadit in alteram recensionem, cuius uerba: 'ferunt' 'socia' cf. cum his: 'Tum gentes socia arma ferunt'. Et quid sibi uolunt uerba ultima: 'dat bella iuuentus'? In quibus si latet 'flat b. i.' (cf. Ries. praef. Anth. II p. LVI), habemus explicationem interpolatoris, cui fortasse displicuit duplex illud 'arma' in tradita lectione.

VIII, 6: 'Accipit auxilium: huic natum et socia agmina iungit Euander'.

Voss.: 'Accipit auxilia hic. natus socia agmina iungit Euandri'.

Cod. b, quamquam priorem recensionem sequitur, exhibet tamen 'Euandri'. Fuit igitur in arch.: 'Euander' (Euandri) uel: 'Euandri' (Euander). Repudianda hic quoque uidetur Voss. lectio, quia argumenti auctoris erat patrem efferre auxilium mittentem, cf. Aen. VIII,

514 sq. ('hunc tibi praeterea — Pallanta adiungam'), interpolatoris autem filii auxilia addere ex u. 519.[1])

Restat VI, 3 sq.:

'Ramum etiam diuum placato numine portat
At uates longaeua una descendit Auernum'.

Voss.: 'Ad uatis tecta adque una descendit Auernum' (mixtae ex duabus recensionibus sunt lectiones codicum cγ: 'at uates' — 'tecta atque').

Potest illic 'longaeua' inlatum esse ex Aen. VI, 321 et 628: 'longaeua sacerdos', potest etiam 'ad uatis tecta' ex Aen. VI, 211: 'et uatis portat sub tecta Sibyllae'. Huc equidem inclino, quamquam cod. Voss. lectione habiliorem fieri rerum conexum non nego. — Atque haud scio, an hunc locum imitatus sit auctor tetrastichi c. 654 u. 26: 'Descenditque domus[2]) Ditis comitante Sibylla', ut contra Muelleri coniecturam 'Auerno' seruandum sit 'Auernum' et 'comitante Sibylla' respondeat illi 'uates una descendit'. Videmus igitur fere ubique codicem Vossianum interpolationis coargui. Qua macula num antiquus cod. Vatic. R plane liber sit, nunc non quaerimus: id unum tamen addam paucos locos in suspicionem uocari posse ut II, 7: 'Et regnum Priami fato miserabile semper', sed sunt minoris momenti talia. Certa interpolatio est carm. 2 u. 17: 'Te quoque' pro 'Teque' ex Vergilio inlata, cf. Georg. III in.: 'Te quoque magna Pales'. Contra u. 15 non merito Ries. uidetur repudiasse lectionem codd. RcγX: 'descriptasque' — 'uites' (= digesta Ge. II, 267) [non necessaria est Baehrensii mutatio: discr. c. 551, 7], quia alterius rec. scriptura redolet explicationem sc. 'discretasque'; nec u. 17 Riesio assentior, ubi causam desidero, cur ipse auctor Vergilii notionem 'memorande' (Georg. III, 1) spreuisse putandus sit, cum altera lectio inuito librario importari potuerit, ut saepius confunduntur haec duo uocabula, cf. Baehrens. Annall. Phill. uol. 105 (a. 1872) p. 51.

1) Utique corrigendum censeo 'huic' in 'hinc' cum Muellero, quod latet fortasse in cod. E lectione: hic (= hič).

2) Iure spreuit Ries. Buech. coni.: 'domum', cf. Ἀΐδαο δόμους ap. Hom.

Explorata interpolatorum ratione redimus eo, unde aberrauimus ad c. 653 [c. 177 apud Baehrensium], quod quale a Riesio editum est, multa sane continet, quae indigna uideri possint Sulpicio Apollinare. Itaque, quae mutanda censeamus, aut aliena ope adhibita aut nostris uiribus confisi breuiter indicemus, uanos autem scrupulos repellamus. Ac ne in ipso limine haereas, monemus uerba 'Iunonis ob iram' pertinere ad sequens enuntiatum, ut propria structura sit: 'et I. ob iram — turbatum aequor'. Difficilior in u. 10 sq. oritur quaestio, qui locus est satis mirabilis: corruptus sine dubio, uel propterea, quod in secundo demum libro Aeneas patriae casus enarrat, neque tamen excepto pronomine 'quo' corruptum uidetur ullum uocabulum. Habet enim Voss.:

'Hospitium Didus casus quo gentis et annos
Aenean Troiae fatumque et bella referre'.

Acquieuerunt editores in hac coniectura: 'Hospitium Didus, casus quo g. et a. Aeneas — referret', parum considerate. Namque offendit etiamnunc 'quo' et, si comparamus ceterorum argumentorum locos c. 1: I, 10: 'iussus narrare'; c. 654: I, 4: 'Utque — casus regina requirat'; c. 592, 1: 'Cogitur Aeneas bellorum exponere casus' et notissimum illum uersum Vergilii: 'Infandum regina iubes et q. s.', hoc quoque loco uerbum adhortandi exspectamus. Itaque scribemus:

'Hospitium Didus, casusque iubentis et annos
Aenean Troiae fatumque et bella referre'.

Coniunctione 'que' semel corrupta interpolatio necessaria erat.[1])

V. 12: cum cod. Ries. scripsit: '(bella) Quorum pars terrae, pelago pars addita famae est'. At melius expeditur sententia Francii lenissima mutatione: 'quorum pars terra — addita famae' i. e. gloriose gesta est.

[1) Ribbeckius monet propter tertium illud exemplum 'casus cogentis' rectum uideri. Sperni poterit prae his Baehrensii 'casus quae gestit et athla'. De uoce 'annos' cf. Aen. I u. 31. Temeraria in sequenti u. eiusdem mutatio est 'uela referre'.]

V. 14 sqq.: 'Ora tenent. ac [1]) tum dolus introducitur hostis
Et fallacis equi damnosum munus in armis
Perfidia notusque Sinon amissaque coniux'.

Possemus ad alterum uersum referre 'in armis', si bellica hominis uirtus magis appareret. Dubitanter Riesius proposuit 'in aruis'. At inspice Aen. II, 67: 'Namque ut conspectu in medio turbatus inermis Constitit et q. s.' scil. Sinon, uidesne legendum esse: 'inermis perfidia notusque Sinon'? [Baehrensius mauult 'ab armis' = 'armatis'.]

V. 18: '(ablatus) Anchises honor facilis pietate ferentis'. In uoce corrupta latere 'oneri' Scaliger recte diuinasse mihi uidetur. At auctoris manum Ries. demum restituit: 'umero'. Deprehendimus igitur rursus falsarium 'honeri' (tritissimo abusu) interpolantem ex Aen. II, 723 (et 729), ubi cod. γ ipsum illud 'honeri' exhibet.

V. 26 sq.:

'Ardet amore uiri. clausum ueneratur amorem
Dumque capit capitur: sentit quos praebuit ignes'.

Traditam lectionem cum improbet suo iure Burmannus, 'uenatur' commendauit multos locos afferens ad demonstrandum, quod patet, in mulierum amore describendo usurpari posse uenandi similitudinem. Persuasisse autem Riesio Burmannum miror, neque enim scio, quomodo quis clausum in pectore amorem uenetur. Sed clauso amore quid fit? Fatetur eum Dido Annae sorori, cf. Aen. IV, 20: 'Anna fatebor enim', adde monost. Ribbeckii Proll. Verg. p. 377, I u. 4: 'flammasque fatetur'. Probabile igitur est arg. quoque auctorem scripsisse: 'clausumque fatetur amorem'. Adnotauit autem suo more interpolator 'uenatur' (cf. c. 1, IV, 4: 'Itur uenatum', c. 654, 18: 'uenatusque petit', Aen. IV, 117 sq.: 'uenatum — ire parant') ita: 'clausumque $\overset{\text{uenatur}}{\text{fatetur}}$ amorem', unde factum est: 'clausum ueuenatur' (ueneratur). [Mauult Ribbeckius 'clauso uenatur amore', idem scripsit Baehrensius.]

1) Fortasse: 'sic tum'.

V. 29 sq.:

'Exstructa regina pyra penetralibus instat,
Morte fugam praestare morae nec defuit hora'.

Absurdae sunt explicationes Heynii: 'compensare luere: fugiente Aenea mori: soluere quasi poenam morte' et Meyeri: 'pari facinore (morte uiolenta) Aeneae factum (fugam) imitari', neque hercule locum sanauit Riesius his:

Sorte fugam praestare mori; nec defuit hora.

E uerbo 'instat' qui pendet infinitiuus consilium significat[1] ut Aen. X, 118 sq. 'instant cernere et q. s.'. Itaque 'instat praestare' i. e. 'praebere' quid tandem? 'fugam', et quo modo? 'morte', et cui? puto: 'animae', unde facile 'morae' nasci potuit. 'Fugiens anima' commemoratur c. 655 in.. Praeterea cf. Aen. IV, 385: 'Cum frigida mors anima seduxerit artus'; ib. 651 sq.: 'dulces exuuiae —, accipite hanc animam'. [Baehrens.: 'Morte fugam pensare; orsae nec defuit hora'.]

[V. 33 sq.: 'domus manesque parentis — celebrat' Baehrensio displicuerunt. At domus nonnunquam dicitur sepulcrum (cf. 'tumulus' c. 595, 2; 654, 22 R.) ut apud Tib. III, 2, 22, in Inscrr. apud Orell. II n. 4850. Si mutandum esset, proponerem 'animas manesque p.' coll. Aen. V, 81: 'animaeque umbraeque paternae'.]

V. 35 sq.: 'In faciem Beroes — Iunonem mentita dolo' cum Heynio scribendum esse censeo: 'In faciem B. — Iunonis mutata dolo', cum lectio 'Iunonem mentita' ex c. 1, V, 5: 'Iris — Beroen — mentita' ab interpolatore repetita esse mihi uideatur. [Audacius Baehrens.: 'In facie Beroes — Iunone immittente: dolos namque illa mouebat', cod. 'monebat'.]

V. 44: 'Seruat honos nomen: pietas testatur honorem' iucundam antithesin (cf. u. 69) sustulit L. Mueller 'amorem' coniciens. In seq. u. initio 'Causa opus insequitur' Meyer frustra tueri conatur sic: 'post Caietam sepultam disceptatio uel lis oritur'. Mutatio autem, quam Ries. suam nominat, iam in Heynii ed. exstat: 'causam opus insequitur'. Probare tamen

1) Cf. Kuehneri gramm. II p. 492 c.

nequeo, quia nimis uilis haec sententia mihi uidetur: 'der Ursache folgt die Arbeit' (Heynius explicat 'causa, occasione data, pugna fit'). Si me audies, leges: 'Pausam opus ins.', 'pausam' scil. per sepulturae tempus factam, quod uocabulum offendere nequit apud Apollinarem. 'Causa' coniecerit interpolator ex 1, VII, 9 'belli causa fuit et q. s.', cf. Aen. VII, 481 sq.

Ignorantiae accusant auctorem, qui u. 46 scripserit: 'Tyrrhidae iuuenum' non intellegens nominatiuum plural. esse 'Tyrrhidae' Aen. VII, 484: quae uox cum duobus tantum locis inueniatur atque ambigue altero quoque Aen. IX, 28: 'Tyrrhidae iuuenes', etiam grammaticus in errorem incidisse possit putari. Neque tamen tacebo hic quoque culpam esse posse librarii, qui pro forma 'Tyrrhidum' — admissa in nomine Graecis simili — ex Vergilio illam alteram refinxerit aut interpolauerit inde 'iuuenum', ut legendum sit fortasse 'Tyrrhi natorum' (de quo cogitauit etiam Heynius), cf. Aen. VII, 532. [Baehrens.: 'Tyrrhique et iuuenum'.]

V. 47: 'Turnus adest, monet arma sibi contraria sumat', si comparamus cum u. 56, uehementer miramur non tam, quod redit eadem lectio, sed quia neutro loco quadrat, ut in posteriore, cum iam corrupta esset, uideatur librarii incuria falso repetita. Offendit autem, quod neque hic neque illic cognoscimus, quis sibi sumat arma contraria. Quem defectum priore quidem loco facile restituimus coniecturam ab Heynio propositam accipientes: 'sibi — sumant'. At ne cetera quidem recte se habent, nam cum 'sibi' prorsus superfluum sit ad uerbum 'sumant', desideratur quoddam supplementum ad uocem 'contraria'. Totus conexus manifestus fit coll. Aen. VII, 577 sqq.: 'Turnus adest — ilicet infandum cuncti contra omina bellum, contra fata deum peruerso numine poscunt'. Scribendum igitur erit: 'monet arma *Ioui* contraria sumant'.

V. 49 sqq.:

'Ut belli signum cecinit sociosque uocauit
Turnus, et in uarias turbatus pectora mentes
Aeneas Euandron adit'.

Particula 'et' sensu caret, quia uerbum 'adit' non pendet a coniunctione 'ut', nec bene coniungitur totus locus 'uarias — mentes' cum uerbo 'adit', quia spectat ad noctem profectioni antecedentem. Quod autem Ries. coniecit 'tum' satis superfluum, non nisi alia mutatione 'uaria — mente' tueri potest. Atqui cf. quaeso Aen. VIII, 29: 'tristi turbatus pectora bello' et 20 sq.: (animum) 'in partisque rapit uarias perque omnia uersat', unde hunc licet componere u.: 'Turnus it in (= init, quod ipsum quoque possis) uarias, turbatus pectora, mentes'. [Idem nunc scripsit Baehrens., qui tamen non debuit mutare 'partes' pro cod. lectione 'mentes'.]

V. 53: 'Arma rogat, Cytherea rogat, mox accipit heros' rursus uituperare possis auctorem, quod Aeneam in hoc quidem libro non rogare ignorauerit. At uerbi 'rogat' repetitio, nonne manifesto indicat corruptelam? Quodsi medela quaeritur, Heynii conamini 'Arma deum' praefero, quod L. Mueller coniecit quodque mihi quoque statim in mentem uenerat: 'Arma rogat C. uirum'.

Nimis corruptus, quam ut certo restitui possit, est u. 54: 'Tuque opere ars piget facti lauor efficit artem'. At unum mihi constat: non sollicitanda esse uerba ultima ad Vulcani laborem in Aeneide descriptum spectantia, ut conicias: 'Inque opere adspicitur fatū, labor efficit artem', cf. c. 1, VIII, 9 sq. [de aliorum conaminibus cf. Baehrens.].

V. 56 uerba 'monet et q. s.' ex u. 47 iam corrupto puto esse interpolata [contrarie iudicauit Baehrens. ad u. 47].

Ad u. 57: 'Caeduntur uigiles et mutua corpora fratrum' Heynius adnotat: 'discedit a Virgilio Scholastici leuitas; partim uerborum proprietatem deserit'. Neque tamen rarus est ille usus, quo 'fratres' nominantur amici (cf. Hildebr. ad Apul. Met. I p. 53) neque inauditum 'mutua' aduerbialiter adhibitum sensu uocis 'contra', ut Lucr. 4, 324 sq. L.:

'Fiet ita, ante oculus fuerit qui dexter, ut idem
Nunc sit laeuus, et e laeuo sit mutua dexter'.

[Pertinet igitur ille u. ad Aen. IX, 314 sqq., quare Baehrens. non debuit traicere eum, Bitian et Pandarum intellegens.]

Sunt autem alia, quibus non iam Riesium crucem apposuisse nequeo satis mirari. Nimirum hic quoque quasuis ineptias auctori imputari posse persuasum habuit. V. 59:

'Dumque petunt laudem, uincunt contraria fata'

Baehrens. rectum restituit loco recondito Annall. Phill. uol. 105 (a. 1872) p. 360: 'iungunt contraria fata'.[1])

V. 62 sq.: 'Alternos questus Venus ac Saturnia promunt,
Illa dolos, haec bella mouet, sed uincitur ira
Mater. at Aeneas bello non segnior instat'

emendationem etiamnunc flagitant. Nam quae mater uincatur, et, quomodo ira, frustra quaeras. Ex editoribus solus Heynius se quo spectet nescire libere fatetur. Interpungendum est sine dubio post uocem 'ira': 'sed uincitur ira' scil. litigantium, ut c. 600 u. 1 sq. R.: 'Placat et uxoris dictis et iurgia natae Iuppiter'. In superfluo autem uocabulo 'mater' latere mihi uidetur: 'uictor': 'Victor at Aeneas (sc. Mezentio fugato) bello non segnior instat'.

V. 69: 'Condit humi socios': Temere L. Mueller [quem Baehrens. secutus est] coniecit 'humo', cf. Aen. X, 558 cum Ribbeckii adn.

V. 71 sq.: 'Et contra pugnat secura Camilla
Femina caede potens, casu temeraria tanto',

ubi ultima uerba nihil significare possunt, nisi hoc: 'temeraria cum tanta calamitate', quod satis obscure pertineret ad mortem in argumento non commemoratam. Itaque aut fallor aut scribendum est lenissima mutatione: 'usu' sc. caedis 'temeraria tanto', quantum habebat, ut Liu. 42, 59 (2) dicit: 'usu belli et ingenio impauida gens'.

In u. 75 sqq. uiri docti paene desperauerunt. Atque Oudendorpius iam in locutione 'pectore secreto' offendit nullo iure 'sed recto' coniciens. Ex fundamento autem totum locum commutauit Heynius hunc in modum:

---

1) [Idem in ed. transpositione sua coactus scripsit 'dum quaerunt laudem' pro cod. lectione 'dumque petit (petūt, ni fallor) l.'. At recte sensit in u. 58 inconcinnitatem uerborum 'morte et pietate fideles' proponens 'pietate in morte fideles', ubi ego malim 'Marte et pietate f.'.]

(Percussa intercipit hostis)
Foedera: secreto uiolatur uulnere teli
Aeneas. Caussa est illi Iuturna: neganti
Affuit obsequio. Iam Mars finiuerat iram.

Mueller autem: Pectora secreto uiolantur uulnere teli
Aeneae. causa est belli Iuturna, nec ante
Defuit obsequio quam mors finiuerat iram

(uel in primo u.: 'Pignore despreto uiolatur uulnere teli').

Nos primum u. 75 sq. conexum — ubi de Turni uulnere uidetur sermo esse (cf. Aen. XII, 950: 'ferrum aduerso sub pectore condit'), nisi quod offendit 'Aeneas causa est —' restituimus facillime hac ratione: 'Pectore secreto uiolatur uulnere. Leti Aeneas causa est illi', cf. u. 916: 'letumque instare tremescit'. Mox tamen ueri speciem prae se ferunt uerba 'Iuturna', 'adfuit obsequio', praeterea [neg] 'ante', quia sequitur 'quam'. At cum Aeneidos uerbis sententia, quae oritur, conciliari non potest, quoniam neque ad mortem fratris usque [1]) adest Iuturna nec post mortem, quod Ries. effecit hac coniectura: 'illi Iuturna neganti adfuit o. cum m. f. i.'. Sed est quaedam mulier, cuius propter iram aliquamdiu Turni causa succedebat, Iuno, nam cf. Aen. XII, 791 sqq. inprimis 793 sqq.:

Quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?
Indigitem Aenean scis ipsa et scire fateris
Deberi caelo fatisque ad sidera tolli,

et u. 819, 831, 841, unde scribendum est: 'Iuturna nec ante Defuit obsequio, quam sors finiuerat iram', sc. Iunonis. Cui sententiae aptissime succedunt uerba ultima: 'Sed sua fata et q. s.'. Itaque hic quoque interpolatoris manum cognoscimus, quem quantopere in argumentis grassatus sit, satis demonstrauimus. Quo tamen obseruato caue credas meam de Vergiliano epigrammate sententiam labefactari. Nam ad eam libidinem, ut sex deinceps uersus commutarent, ne interpolatores quidem progressi sunt.

1) Cf. Aen. XII, 872 sqq. et 918: 'nec — uidet aurigamue sororem'.

Quaestio 10.

De argumentorum Vergilianorum arte et aetate.

Quoniam sic deteximus infirmam cod. Vossiani auctoritatem textumque pro uiribus purgauimus, cur de Sulpicio Apollinare, auctore carminis 653, dubitemus, causa non iam esse mihi uidetur. Sed eadem qua de auctore neglegentia L. Mueller de aetate c. 1 iudicium sibi finxit, quod mox uidebimus. Interim de auctore, quid censendum sit, breuiter absoluamus. Etenim Ouidius Naso in superscripto titulo nominatur et Nasonem ipse se nominat in praefatione. Atque hoc dubitari nequit, quin celeberrimi Ouidii personam simulet poeta, propter praefationis u. 2: 'Tantum ego Vergilio Naso poeta meo', cf. Ries. praef. uol. II p. LIV. Quo tamen argumento refutari nequit Hagenus, qui Annall. Phill. uol. 99 p. 731 contendit posteriorem ὁμώνυμον nominis aequabilitate commotum esse ad dictionem illius imitandam. Imitatus est enim auctor, quod Riesius monuit primus (cf. praef. uol. I p. X sq. et ad l.) Rem. Am. u. 395 sq.:

Tantum se nobis elegi debere fatentur,
Quantum Vergilio nobile debet epos,

et Trist. III, 3, 74: 'Ingenio perii Naso poeta meo'. Praeterea haud scio an hoc quoque, quod Riesius omisit, ex u. 77: 'Hoc satis in titulo est' comparandum sit cum praef. u. 2 sq.:

Nec me praelatum cupio tibi ferre, poeta:
Ingenio si te subsequor, hoc satis est.

Quibus in uerbis una difficultas remanet, de qua monuit praeceptor meus Ribbeckius: nam uox 'ferre' quid sibi uelit, dici uix potest. Quae tamen in mentem uenit emendatio: 'flore', ipsi non certa uisa est. Atqui adsimulat auctor ille, quamquam uerus Ouidius amicitia non utebatur Vergilii, familiaritatem, cui studio tribuas etiam hoc: 'Nec me praelatum cupio tibi, care poeta' (cf. er = a; c. 1, XII, 4: contundit = confundit). Sed ut redeamus ad Hageni de auctore sententiam, mentionem facit uir doctus Ouidii Nasonis, qui est in schol. Bernens. ad ecl. 3, 105, cuius tamen nomen ambiguum est,

cf. Ann. Phill. suppl. uol. IV p. 774. Et omnino fundamento caret Hageni opinio, auctor enim 'Epicedii Drusi', quod P. Ouidii Nasonis nomine inscribitur in libris manuscriptis, in ipsius carminis uersu 202 Ouidium se esse finxit: 'Funeris exequiis adsumus omnis eques', et Ouidii elocutionem ualde imitatur, cf. M. Hauptii dissert. de Epic. Drusi (Lips. 1850) p. 33 et 20, Huebner. in Herm. uol. XIII p. 152. Num inde Ouidium quendam auctorem esse colligemus?

Quid? quod idem ille poeta prima librorum argumenta se conscripsisse gloriatur in praef. u. 5, ubi cum iam Meyer 'parua' dubitanter proposuisset, L. Mueller 'priua' coniecit. At ex ipsa hac iactatione nebulonem illum non primum argumenta fecisse collegerim, namque aut fallor aut propterea uetus nomen sibi uindicauit, ut sua opuscula antiquiora esse alius cuiusdam hominis argumentis conuinceret. Et ex pluribus, quos potuit, Ouidium ideo uidetur elegisse, quia hic in scholis principem post Vergilium locum obtinebat, cf. Teuffel. litt. Rom.[3] c. 251, 1. Sic Naso factus, cum uideri posset excerpta Aeneide prodere inuidiam, in fine praef. hoc quoque affirmat se illo carmine (sc. argumentorum) inuidiae titulum (= testimonium) libris Vergilii praeponere noluisse, a quo loco non minus manum retinere debuit L. Mueller. Quae sunt tamen huius docti uiri de aetate argumenta? unum omnino et satis temerarium, III, 6: '(canebat) Naufragus utque foret Strophadas compulsus ab undis', 'foret' positum pro forma 'sit' tempora illa, quibus populi omnes sedes mutabant, censet indicare. At usurpata est tota locutio pro hac: 'ut esset compulsus', quia praecedit tempus imperfectum, et haec quidem mutatio iam Augustea aetate erat in usu, cf. p. 248. Alia cautius Mueller reticuit u. II, 4 mensuram uocis Laūcontis, quam ipse scit (de re met. p. 265) iam apud Petronium in halosi Troiae u. 43 inueniri. De qua re cf. praeterea Useneri dissert. Philol. uol. 91 (a. 1865) p. 227 sqq. (232). Huc accedit in praefationis u. 8: 'Aenĕidos totum corpus ut esse putent', cf. L. Mueller de re met. p. 247. At quis monitus dubitabit, quin rursus ante oculos habuerit Ouidium, qui ex Ponto 3, 4, 84 dicit: 'Aeneidos uati grande

fuisset opus'. Nescio tamen an in hoc quoque exemplo contractio potius quam correptio sit statuenda. Item Ouidio tribuuntur in libris fere omnibus, quae apud Riesium exstant sub n. 2, tetrasticha Georgicon et Bucolicon, ut hic praemittitur titulus: 'Incipit tetrastichon Ouidii Nasonis carmen' in Bernensi b saec. IX, in quo solo secuntur et Georgicon et Bucolicon cuncta cum ipsa praefatione. Quod autem alii codd. partes tantum exhibent, causa non est, cur haec opuscula dirimamus [ut Baehrensius, cuius cf. c. 178 cum adn. ad u. 9 et c. 551]: nam omnibus communis cursus celerrimus et praefationi cum Georgicon argumentis (c. 2 u. 9—24 R.) usus caesurae trochaicae frequentior, cf. u. 2. 4 — u. 11. 14. 19. 24. Itaque ne Ouidii quidem illam praefationem ab argumentis separabimus propterea, quia librorum non omnium nititur auctoritate.

Sed ex trochaicae caesurae usu certissimum indicium repetimus argumenta Georgicorum et Bucolicorum non esse Pseudoouidii: nam cum in illorum 24 uersibus sexiens posita sit, ne in 125 quidem decastichorum uersibus saepius adhibetur et quanta praeterea cum cautione! etenim in nominibus propriis IV, 2: 'consulitur soror Anna; placet'; X, 5: 'Interemit Pallanta potens'; XII, 4: 'Hoc Turni Iuturna soror' (uix VI, 5, ubi codd.: 'Agnoscit Palinurum et ibi', solus Voss.: 'Palinuron ibi'). — Praeterea VIII, 9 in uerbis Vergilii (cf. Aen. VI, 683): 'Fataque fortunasque uirum'; VII, 10 in uersu cum Apollinaris uersu VII, 6 plerumque congruenti, unde probabile fit Pseudoouidium esse imitatorem, cum scribat: 'Tum gentes sociae arma parant'. Denique praef. u. 9: 'Adfirmo grauitate mea' et IV, 6: 'Aeneas classemque fugae'. At ultro offerre sese uidetur haec suspicio [idque Baehrensius, ni fallor, opinatur] esse haec tetrasticha eiusdem, qui Aeneidos tetrasticha fecit c. 654, I—XII, praesertim cum haec quoque a librorum Vergilianorum initiis incipiant et in cod. Voss. exstet hic titulus: 'Tetrastica in cunctis libris Vergilii'. At prohibenda haec quoque opinio, nam eidem auctori in Vossiano argumenta illa non tribuuntur alienaque illata esse in tetrasticha Vossiani mox uidebimus et,

quod grauissimum est, Aeneidos tetrastichorum auctor caesuram trochaicam in 48 uersibus semel tantum adhibuit eamque in nomine proprio u. 19: 'Et taedas Hymenaee tuas'. Praeterea spondeorum usu tria illa carmina inter se differunt, qui ad hos numeros reduci potest: 50, 7: Bucol. et Georg. argumenta; 56: tetrasticha Aen.; 58: decasticha Aen.[1]) Restat, ut de tetrasticho illo loquamur, quod solitarium legitur apud Riesium sub num. 654 'Geõr' in Voss. inscriptum: Continetur duabus partibus, quarum prior conflata est ex argumento Georgicon sub num. 2 R., cf. maxime hanc clausulam: 'et dona Lyaei' = u. 15 et hoc initium: 'Et pecorum cultus' = u. 18. Posteriorem non apte adiunctam esse quis non intellegit? Quod autem de sententia dicit Heynius: 'Spectant fortasse ad Aen. lib. II et III uid. Donat. uit. Virg. § 60', hoc confidentius affirmare debebat. Nam ex Seruii loco, quem ad Donatum adnotat uir doctus (praef. Aen.), apparet desiderasse quosdam hunc librorum ordinem, quo secundum et tertium primus sequeretur. Una autem ad hanc sententiam proferendam mutatione opus est, scribo:

'Principio breuiter uentura uolumina dixit
Intercidit opus coepitque referre secundũ'

(sc. uolumen); cod. 'secunda'.

Tria igitur, quae adhuc cognouimus, argumentorum Aeneidos genera sat liquide decurrunt enarrationisque sterilitatem rhetoricis flosculis habent mollitam, qui aut ex auctorum aut ex

1) Ad Aen. tetr. emendanda pauca afferam: non merito mihi uidetur Ries. I, 2 Buecheleri coniecturam 'Iunonis studio' recepisse. Equidem suppleo: 'Iunonisque odio'. 'Odium' Iunonis ubique commemoratur, particula 'que' saepius omittitur, cf. decast. III, 10; IV, 9 [idem scripsit Baehrensius]. — Nemo adhuc sollicitauit uocem 'impetrare', quae nusquam sensu locali adhibetur, u. 30: 'Impetrat Aeneas Latium regnumque Latini et q. s.', ubi scribendum censeo: 'Intrat et', praesertim cum uel codicum lectio: 'impereat' [teste Baehrensio, qui mox 'regemque Latinum' pro cod. lect. 'regnumque Latinis' (cf. addenda) minus probabiliter scripsit] corruptelam indicare uideatur; cf. etiam c. 874, 12, ubi scripserim: 'Aeneas Italas, Latii simul intrat in oras' pro codd. lect. 'Aen. Latium Italas s. i. i. o.' Baehrens.: 'Aen. laetus Italas s. i. i. o.', cf. c. 180].

Vergilii penu sunt deprompti. Exempli causa conferas tetr. III, 2; IV, 3 allocutionem. Imitationem autem, quae in maioribus potissimum argumentis latissime patet, W. Ribbeckius in fratris editione ad singulos Aeneidos locos adscripsit. Eo autem processit hoc imitandi studium, ut in hexastichis et in tetrastichis semper, in decastichis hic illic a Vergilianorum librorum initiis singula argumenta incipiant. Cuius consuetudinis hanc quoque rationem fuisse censeo, ut discipuli ipsa librorum initia semper praesentia haberent in memoria. Itaque ut ab Apollinaris aetate separare decasticha uel tetrasticha nihil cogit, ita haud defuisse, qui sequerentur illum ipsius temporibus hac in re maxime uidetur probabile. Imitationes quidem certo deprehendimus: dec. IX, 7: 'Audacem Remulum dat leto pulcher Iulus' (Voss. 'leto dat' fortasse ex interpolatione) ex hex. IX, 6: 'Audacem Remulum leto dat pulcher Iulus'; dec. VII, 10: 'Tum gentes sociae arma parant, fremit arma iuuentus' ex hex. VII, 6 sumpta esse uidentur. — Tetr. auctor IV, 2: 'Venatusque petit. capitur uenatibus ipsa' mutuatus uidetur esse ex hex. IV, 3: 'Dumque capit, capitur: sentit, quos praebuit ignes'.

Praeterea tamen etiam inter se quodammodo coniuncta sunt tetrasticha et decasticha. Nam quae Vergilius quarti libri initio posuit: 'At regina graui iam dudum saucia cura Volnus alit uenis et caeco carpitur igni', ambo auctores haud ita feliciter, sed uix casu hunc in modum conflauerunt: 'At regina graui Veneris iam carpitur igni'. Inde autem has imitationes, quae non semper ad uerbum factae sunt, ortas esse puto, quod argumenta in ore erant omnium scholasticorum.

His absolutis iam ad aliam scholam aliamque aetatem descendamus. Fecerunt enim argumenta etiam duodecim illi, qui dicuntur, Sapientes, quorum aetas quamquam ignota est, tamen ultra quartum aut quintum p. Chr. saeculum uix potest prolatari, cf. Teuffel. litt. Rom.[3] c. 23, 2 addito Ries. Anth. Lat. praef. uol. II p. XIII sq.. Qui certandi cupiditate cum flagrarent, unum certamen sic instituerunt, ut suum quisque Aeneidos librum argumento instrueret. Atque quod pentasticha fecerunt,

non plane casu factum est, quia a monostichis (cf. c. 495 sqq.) ad longiora carmina paulatim progressi sunt. Atque pentastichorum, si constaret posteriori aetati esse tribuenda, ita explicares originem, ut lacunam, quae erat inter tetrasticha et inter hexasticha, explere uoluisse illos opinareris (cf. c. 591—602). Pertinent autem ad eorundem hominum studia monosticha, c. 634, quae quidam codd. Ouidio Nasoni tribuunt, ut Paris. 7936 s. XIV, eodem errore, quem iam supra deteximus. In ceteris libris aut in Asmenium aut in Basilium uersiculi illi conferuntur, sed sunt sine dubio Basilii, quippe qui in cod. Paris. 8069 s. X—XI [1]) auctor perhibeatur. Dignum hic mentione (cf. Ries. Anth. Lat. II p. XII sq.), quantopere, qui composuit certamina illa, auctorum honori consuluerit. Nam cum eodem ordine in unoquoque genere illi sese excipiant, ab alio tamen semper incipit series. Cognoscimus sic rationem, cur συλλογῆς auctor, si quae forte erant certamina praeter undecim prima, integra recipere noluerit, sed potius duodecimo loco ponere diuersi generis poematia. His igitur monostichis similia sunt illa, quae in quibusdam codd. praemittuntur Ouidii decastichis ipsi attributa in cod. Bernensi c. Atqui haec monosticha eiusdem esse certaminis atque illa arbitrati fortasse non fallimur. Nam posteriorem aetatem in his quidem recte iam cognouit L. Mueller ex contracto 'dūōdecimo' u. 10, cf. Mus. Rhen. uol. 19 (a. 1864) p. 120, libri 'de re met.' p. 272.

Iam pauca restant suspicionem posterioris originis monentia, quae breuiter absoluamus, nam taedet morari in his ineptiis. Ac primum par est monostichis sterilitate et toto colore c. 874 Ries. [c. 180 Baehrens.], nisi quod uersus de bucolicis deque georgicis huic praecedunt. Quod autem libri numerus non in omnibus uersibus, sed in 3. tantum et in 5. nominatur, inconcinnitas mihi uidetur ab antiquis argumentis aliena. Itaque ab antiquitate abiudicandum erit hoc carmen. [De memoria eiusdem cf. Baehrensium.] [2])

1) Quo codice solo omnia haec carmina et iusto ordine et poetarum nominibus ubique seruatis contineri Riesius dicit, cf. uol. II p. 49 et II p. XIII.

2) In u. 16: 'Ultaque dehinc fertur telo mactata Camilla' 'ulta' pas-

Iam breuius est argumentum illud, quod post Heynium (p. CLX: ex cod. Vatic. n. 1574) nuper Baehrens. edidit Mus. Rhen. uol. 31 (a. 1876) p. 90 ex cod. Paris. lat. 9344 saec. XI cum hoc titulo: 'Versus Ouidii Nasonis' et postea ex Sangallensi saec. IX Huemer, cf. Studd. Vindobb. II p. 73 [nunc apud Baehrens. c. 181].

Cuius carminis singulis uersibus binorum Aeneidos librorum argumentum continetur hunc in modum: 'Primus habet pelagique minas terraeque secundus Tertius errores et amores quartus Elissae Quintus habet ludos sextus deducit ad umbras. Septimus Ausonios, Aeneam octauus et armat et q. s.'. Quo in exemplo deminutionem factam aperte uidemus. Obseruaui enim priorem partem fere totam confictam esse ex monostichis duobus, quae supra cognouimus, cf. Ribbeckii Proll. Verg. p. 377 sq.: Mon. II u. 1 sq.: 'Primus habet — secundus', add. mon. I, 3: 'pelagi terraeque' — tum I, 3: 'Tertius errores', add. II, 3 sq.: 'Tertius — Elissae' — deinde I, 5: 'Quintus habet ludos' — denique II, 7: 'iam septimus armat', add. u. seq. clausula: 'octauus et arma'. Qui fons indicari uidetur eo, quod argumentum 'Asmenii uersus' inscribitur in cod. Vaticano.

Etiam inanius est carm. 717 R. [182 B.], cuius uu. 6—12 continent summam omnium librorum Vergilii. Quae autem praecedit (u. 1—5) de numero uersuum (12847) notitia, non congruens illa cum codicum [1]) numero (12912), librarii uidetur esse scribendi mercedem computantis. Inest autem carmen in codice olim Sangerm. s. IX—X.

Aliam recenti aetati iam Riesius propter paruam codicis Meermann. auctoritatem tribuit, breuissimam 'summam' illam

---

siue sumptum liceret ad Aen. XI, 847 sqq. referre, nisi enuntiati structura repugnaret. Proposuit L. Mueller 'Volsca', sed facillima et aptissima simul mihi uidetur mutatio 'Altaque' ut supra in decast. IX, 8 habuimus 'Pandaron altum' [ceterum cf. Baehrensium ad ultimos uersus].

1) Cf. Ries. ad h. l. et Birt. 'das antike Buchwesen' p. 173 sq. cum adn. 2. In u. 5 temere expulerunt cod. lectionem 'fulmine linguae' Buecheler (flumine), Baehrens. (lumine), cf. Sil. VIII, 411 sq.: 'furialia bella Fulmine compescet linguae'.

Vergilii, de cuius quattuor uersibus duo primi summam Iliados comprehendunt: cf. Ries. Anth. II p. XLIII sq. cum adn. 31 [Baehrensius post c. 182]. Sed haec hactenus.

De auctoribus una restat quaestio, quam Burmanni mouent ad libri II ep. 188 (c. 874 R.) haec uerba: 'Circumferuntur uero pleraque (sc. argg.) tam in membranis, quam in editionibus uetustis uulgo sub nomine Modestini, quemadmodum ei haec adscribi in antiquissimo Virgilii codice, grandioribus characteribus exarato, testatur Benedictus Philologus Florentinus in praefatione ad Leonard. Dathum Canonicum Florentinum, editioni Iuntinae praefixa'. Quod de Iuntina testimonium nihili esse affirmat, quamquam non inspexit eam, Riesius in praefatione uol. I p. X. Verum temere agat mea quidem sententia, qui prorsus uanum illum rumorem existimet. Immo hoc potest cogitari Modestinum quendam aliquando Vergiliana argumenta fecisse sat conspicua et fama digna. Sane Ictus, quem Heynius nominat, uix ille erit neque cum illo carmine, quod est in Anthol. Lat. 273, Modestini nomine inscriptum, si metrica placita spectamus, ullum congruit argumentorum nostrorum.

Quaestio 11.

De ceteris praeter Vergiliana argumentis.

Denique ne ceteros dactylicos silentio praetereamus poetas, qui Vergilium imitati sunt, quamquam ad hos quoque iam antiquiore illa Sulpicii aetate argumenta scribi poterant, tamen nostrae de argumentorum origine coniecturae bene conuenit, quod, quae exstant, ex posterioribus demum saeculis sunt oriunda. Atque Lucaniana decasticha duo habemus secundi et quinti libri, ex scholiis ab Usenero edita (cf. Lucani Commenta Bern. Lipsiae 1869 p. 47 et 151), quorum prius sic inscribitur:

INCPT ARGVMENTVM LIBRI

SECVNDI SIDONIUS SUBDIAC̃ FUIT ('fecit' Us.).

Quae ecclesiastica studia cum per se infra Apollinaris aetatem nos deducant, minus elegantem scriptorem uel bis posita intra sex uersus synizesis indicat, cf. V, 10: 'Corneliam

Magno tutatur insula Lesbos', et u. 5: 'Quem solita spernit mentis constantiā Caesar', nisi hic mauis terminationis ablatiui correptionem agnoscere, quae ex quarti fere saeculi initio apud quosdam scriptores inuenitur ut apud Iuuencum, cf. Teuffel. litt. Rom.[3] c. 403, 6. Atque congruit cum his indiciis productio syllabae u. 10: 'tutatūr insula', cf. ibid. c. 418, 2.

Longius licet hanc prosodiae corruptionem persequi in dodecastichis Statianis, quae ex editione in usum Delph. confecta Londinensi a. 1824 hausi adhibita etiam Barthii et Crucei editione a. 1618 Parisina. Textum solum dedit Queckius. Deest autem primi libri argumentum, ut saepe, quae in fronte librorum exstabant, interierunt. In his igitur periochis non premenda uidetur per se synizesis in uoce 'Amphiarāūm' IV, 7; VII, 11; VIII, 2, de qua cf. Mueller. de re metr. p. 265. Sed aceruatis contractionibus ultra meliorum poetarum modestiam (cf. de re metr. p. 275 sq.) auctor egreditur his formis luxurians:

Tydeī II, 7: 'Deipylen Tydei Argiam'; Capaneī XI, 1: 'Tunc Capaneī ardentis'; Menoeceō XII, 2 in fine: 'persoluit iusta Menoeceō'; Dorceūm IX, 12: 'Ille cadens Dorceum alloquitur'; Hopleūm X, 7: '. . . pietas Hopleūm atque Dymanta' (Statius quidem semper 'Hōpleus', non 'Hŏpleus' habet) et — quae magis offendit, Parthenopaeūm IX, 11: 'P. sternit'.

Huc accedit auctoris in metiendis nominibus propriis neglegentia, cf. IV, 9: 'At contra Ēteocles'; VI, 5: 'Exstitit hoc Arion (?) uictor'; VI, 10: 'Tydeus Agileum superauit' (Stat.: 'Ăgylleus'); V, 9: 'Excessi geminam linquens de Iasone prolem', de qua bisyllaba forma cf. de re metr. p. 261.

In aliis uocabulis quamquam seuerus est auctor, tamen fortasse VIII, 5: '(dolor angit) ămissi', quod Barthius transpositione sustulit, admisit, quoniam apud eundem Iuuencum 'ămissae' reperitur, et VI, 7 'posteā uictor', cum cogitaret de hoc: 'post eă'.

Iam qui comparabit Statiana argumenta cum Lucanianis, si ex paucis exemplis plus colligere licet, ut in toto colore ita in prosodiacis placitis similitudinem quandam cognoscet. Ac fortasse nouum conexus indicium accedit: Legimus enim

Luc. arg. II, 1: 'Anxiam interea plebem luctusque dolorque', ubi hiatus post uocem 'anxiam' nulla re excusatus, num imputari possit auctori, dubium est, ut in Stat. argum. unum illud exemplum XII, 1: 'Postquam alterno' facillime corrigitur sic: 'Alterno postquam'. Cetera autem excusationem habent XII, 6: 'Repperit: Antigone Eteoclis funera quaerens' et II, 4: 'Armari in fratrem dirûm Eteocla perurget' (Barth. crudelem), cf. Christ. metr.[2] p. 200 c. 235. Itaque mihi arridet Useneri mutatio: 'Anxius interea' — quam ipse dubitanter proposuit —, maxime propterea, quod ipsum illud 'anxius dolor' redit in Stat. arg. VIII, 5: 'Anxius Inachidas natis dolor angit amissi'. Quae locutio — quamquam similes inueniuntur: 'anxiae aegritudines, angores, curae, timores, sollicitudines', apud ipsum Stat.: 'spes, sitis anxia' — non trita est neque omnino aliunde mihi nota. Quare facile suspiceris duos illos locos esse eiusdem auctoris, nisi unus scrupulus oriatur: namque in Lucanianis duobus argumentis ne semel quidem synaloepha apparet, quod casu factum esse potest, ut in Stat. arg. VI contra auctoris consuetudinem nullum exemplum habemus. Sed dubitabunt alii, quare in medio rem relinquo. Aetatem certius definire non licet; at Sidonii quidem periochas, quia in Bernensi C, cod. saec. X, fragmenta tantum seruata sunt, cum quadam probabilitate saeculo, quod sexto non posterius sit, tribuas. Eidem aetati quominus Statiana dodecasticha attribuamus, nihil impedit. Nec antiquiora profecto sunt Statiana monosticha, quae 'in ueteribus libris' leguntur et sic incipiunt: 'Associat profugum Primus Tydēō Polynicen', quorumque in u. 12 significatio uocis 'duodenus' = 'duodecimus' satis audax est. Immo deprompta uidentur haec uersuum initia u. 2: 'Tydea legatum docet' ex dodec. II, 9: 'Tydea legatum mittit' et u. 10: 'Fulmine percussus Decimo' ex dod. X, 12: 'Fulmine percussus turrim'.

His adde alia illa monosticha 'ex uetustissimo codice Toletano' sublata: 'Soluitur in primo fratrum concordia libro et q. s.'. Sed iam ad nebulosas regiones peruenimus, ubi certa indicia desunt. Habemus autem Achilleidos quoque monosticha quin-

que ad quinquepartitum poema spectantia. Itemque tetrasticha secundi, tertii, quinti libri ante I, 198; I, 397; II, 287, nam in quinti libri argumento quintum uersum delendum esse ut interpolatum pro certo habeo:

'Nauigat ad Troiam Quinto fatalis Achilles
Dardaniae: memoratque Ithacus primordia belli.
Ille sed Oenidem uitae morumque docebat
Cruda rudimenta, dederat quae semiuir acer
Et Laertiaden fluctus sulcante carina'.

Etenim Oenides solus interrogat, cf. II u. 372 (excipit Oenides) et solum alloquitur Achilles u. 405: 'quid nunc tibi proelia dicam Siluarum?'. Haec igitur argumenta in medium aeuum relegantur uel diuisione illa quinquepartita, de qua disseruit Kohlmannus in edit. Achill. p. XI. Accedunt eandem descriptionem secuta polysticha, quorum quattuor, sine dubio ex uno corpore, seruata sunt: Initio heptastichon; ante I, 198 hexastichon; ante l. II octastichon; ante II, 287 hexastichon. Quae numerorum diuersitas me ducit ad legem quandam, quae seuerissime ab antiquis argumentorum auctoribus seruata esse mihi uidetur, qua nimirum ducti non libidine sed certa semper norma — ut monosticha, disticha, tetrasticha, pentasticha, hexasticha, decasticha, dodecasticha habemus —, omnium librorum argumenta componerent, nisi forte acrosticho aliquando uersuum numerum moderari maluerunt.

Illa igitur falsa partitio, cum aliena sit ab optimis libris saec. X uel XI, nata uidetur non multo ante haec tempora. Quodsi accuratius circumspicias et reputes ipsa illa aetate tractatam esse Statii Achilleidem in scholis Gerberti Remensi et in Paderbornensi, aliisque (cf. Kohlmanni ed. p. VI), si quis ab his studiis et diuisionem illam et argumenta repetat, haud inani coniectura utatur.

Nunc etiam de Lucani argumentis iudicare licebit illis sat inelegantibus et numero uersuum ualde inter se differentibus, quae primus edidit Casparus Barthius ex codice, quem dicit ante sexcentos annos scriptum, cf. Anthol. Lat. ed. R. c. 930. Atque hac quidem suspicione hominem omnibus suspectum

liberare possum, quasi codicem illum prorsus finxerit. Nam Oudendorpius in edit. Luc. docet ad arg. I praeter Barthianum duos libros, suum et Amstellodamensem quendam, ambos emendatiores illo, exhibere illa argumenta, quod Riesium plane uidetur fugisse, qui nonnulla Burmanno tribuit, quae fuerunt in Oudendorpii codicibus, ut 'transiit' u. 31 alia. Contra hac in re notissimus ille nebulo fortasse consulto decepit, quod codicem ante sexcentos annos scriptum asseuerat. Sed utcunque haec res se habet, antiquae aetati haec argumenta uindicari nequeunt. Atque idem statuendum est de argumentis illis decastichis et monostichis, quae Cortius in editione Lipsiensi a. 1726 publici iuris fecit cum hac adnotatione 'Hoc argumentum et quae singulis libris praefixa sunt ex M. S. Guelferbytano, qui olim Rottendorffii, postea Gudii fuerat, desumsimus; cum aliae edd. Io. Sulpicii Summaria exhibere soleant'. Itaque illa decasticha haud eleganter conscripta sunt neque carent uitiis, cf. VII, 2: 'Romani theătri'. Inaudita est apud antiquos uox 'artificatus'[1]) IX, 5, ut omnino 'areniuagus' monost. 9. Atque utriusque generis hoc proprium, quod consonant binorum uersuum clausulae hunc in modum: dec. 1:

'Caesaris in primo Gallis ubicunque subactis
Italiam reditus describitur, utque coactis'.

Sed iam contractis uelis in portum redeamus. Cognouimus adhuc poeticorum tantum operum argumenta metrica, at, cum semel inueterasset illa consuetudo posterioribus saeculis, etiam pedestrium scriptorum periochae sunt confectae, ut ex Suetonii de regibus libris epitomen composuit Pontius Paulinus, cf. Suet. Reifferscheid. p. 315 sq.; huc pertinent etiam Ausonii lusus de Caesaribus.[2])

1) Vox 'artificare' = modulari semel ex aeuo Carolino adfertur, cf. Du Cang. gloss. med. et inf. Lat. I p. 421 ex carm., quod inscr. 'Musica': 'Hic nam reperies, quo constant cuncta tenore, Organa uel ualeant Artificare melos'.

2) Eiusdem in Iliadem et Odysseam periochae pedestri oratione scriptae sunt; sed uidetur hoc condonasse illi studio, ut initia quidem uersibus redderet.

De origine autem Latinorum argumentorum fortasse quispiam, cum comprobet coniecturam meam, cogitans de Graecis hypothesibus, quae Aristophanis grammatici nomine circumferuntur in editt. scaenicorum Graecc., iam antiquiore aetate illinc hos lusus ad Romanos importari potuisse opinetur. At probauit ut omnibus, quantum scio, ita mihi Nauckius (Aristophanis gramm. frgg. p. 256) metrica argumenta, quae ad Aristophanem comicum pertinent, a grammatico illo esse 'alienissima'. Quid? quod hoc mihi uidetur demonstrari posse plerumque auctorem eorum adhibuisse cetera argumenta pedestri oratione conscripta, in errores autem incidisse turpissimos, ubi illa deficerent, quod accuratius exponerem, nisi longior iam esset dissertatio mea. Itaque has hypotheses[1]) sine dubitatione cum aliis illis scaenicis (cf. Dind. scholl. Soph. uol. II p. VI, 11 sq., 28 sq., 114, 243, 406 sq.) posterioribus saeculis attribuemus, ut certa ex his habemus exempla: disticha Nonni Dionysiacorum illamque epitomen carminis Nicetae Eugeniani.

Ex recentioris autem aeui initio duo addere mihi liceat: Hermanni Buschii, qui saec. XV ex. et saec. XVI in. fuit, argumenta ad Silium Italicum quattuordecim uersibus condita, et Ambrosiani Nicandri Toletani haud multo recentioris ad eundem disticha, quae ipse nominat catalepses. Hic finem facio. Rationes, quae sequendae sint in digerendis, emendandis argumentis, mihi uideor exposuisse. Itaque gaudeo, quod integrum aliquod poeseos genus, quamuis exile, posui in luce clariore.

1) Haec quoque poematia argumentorum sortem (cf. p. 202) experta sunt, cum neglegenter describerentur grauiterque corrumperentur.

CONSPECTUS CAPITUM.

INDEX LOCORUM.

INDEX VERBORUM ET LOCUTIONUM.

ÜBER DIE UNECHTHEIT

DER

ERSTEN REDE GEGEN ARISTOGEITON

VON

J. HERMANN LIPSIUS.

Ueber die beiden Reden gegen Aristogeiton, die unter Demosthenes Namen überliefert sind, schienen nach den bekannten Untersuchungen von Westermann und A. Schäfer die Acten insoweit geschlossen zu sein, dass Niemand mehr an die Urheberschaft des Demosthenes glaubte, und höchstens die Frage noch offen geblieben, ob die Reden von einem seiner Zeitgenossen oder aber von einem Rhetor, etwa der älteren alexandrinischen Zeit, geschrieben sei. Die letztere Ansicht vertraten die genannten Gelehrten und die grosse Mehrzahl derer, welche vor und nach ihnen sich in der Frage äusserten; in dem anderen Sinne entschieden sich neuerlich Cobet (miscellanea critica p. 574 ff.) und R. Braun in einer Greifswalder Dissertation (de duabus aduersus Aristogitonem orationibus, quas Demosthenes scripsisse fertur, 1873). Zuletzt ist aber Weil (revue de philologie VI, 1 ff.) mit aller Entschiedenheit für Demosthenes als Verfasser wenigstens der ersten Rede eingetreten und hat seine These mit soviel Scharfsinn und Geschick zu begründen gewusst, dass das Urtheil des Lesers leicht gefangen genommen werden kann. Um so mehr scheint es mir an der Zeit, die Prüfung der Frage für diese Rede von einem Gesichtspuncte wieder aufzunehmen, der in den bisherigen Untersuchungen nicht entfernt die gebührende Würdigung gefunden hat. 'Il est incontestable, sagt Weil (S. 6), que l'auteur de notre plaidoyer se montre bien informé des institutions politiques et judiciaires d'Athènes. Il ne laisse échapper aucune erreur à ce sujet, il nous fait même connaître certains details que nous ignorerons sans lui' (folgt ein Beispiel, auf das unten zurückzukommen ist). Ganz ähnlich lautet das Urtheil von Cobet (S. 575). Was beide nur behaupten,

hat Braun in ausführlicher Erörterung zu beweisen versucht; er gelangt zu dem Ergebniss (S. 41) 'accurata omnino rerum scientia quam in iudiciis oratorem habuisse cognouimus ex tota oratione elucet' und sieht darin (S. 32) 'certissimum indicium genuinae orationis'. Ich muss meinerseits so ziemlich das gerade Gegentheil von alle dem für richtig erklären und denke die Gründe meines Urtheils im Nachstehenden mit thunlichster Kürze darzulegen. Wenn ich dabei alles bei Seite lasse, was die Form der Rede betrifft, so geschieht dies nicht etwa in der Meinung, dass nicht auch ihr beweiskräftige Momente sich entnehmen lassen, sondern lediglich in dem Wunsche, die Discussion zunächst auf das Gebiet zu beschränken, auf dem am ersten zu objectiven Kriterien zu gelangen und somit die meiste Möglichkeit zu einer Verständigung gegeben ist.

Ich beginne mit zwei Bedenken, welche längst schon erhoben sind, das eine von Westermann (quaest. Demosth. III p. 101), das andre von Böckh. In der Prothesis motivirt der Sprecher seine Betheiligung an der Anklage gegen Aristogeiton mit dem Verlangen des Volks: § 13 *ἐγὼ γὰρ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὁρῶν ὑμᾶς κατατάττοντάς με καὶ προχειριζομένους ἐπὶ τὴν τούτου κατηγορίαν ἠχθόμην — ὅμως δὲ ἀναγκαῖον ἡγούμην εἶναι πείθεσθαι τοῖς ὑμετέροις βουλήμασιν.* Man hat diese Worte allgemein dahin verstanden, dass der Sprecher vom Volk zum *συνήγορος* gegen Aristogeiton bestellt worden sei. Die Ernennung von *συνήγοροι* in einer Endeixis aber ist mit allem, was über das Verfahren bei dieser und verwandten Klagformen feststeht, unvereinbar und wird auch durch die Gegenbemerkungen von Braun (S. 40 f.) in keiner Weise gerechtfertigt, wie bereits Blass (Att. Ber. III, 1 S. 362, 3) mit vollstem Rechte erinnert hat; selbst für die Eisangelien der Zeit ist die Bestellung von *συνήγοροι* unerweislich (Att. Proc. S. 327). Höchstens das eine könnte man einwenden, dass der Redner eine solche Beauftragung nicht unzweideutig ausspreche, und sich dafür auf den Plural *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* berufen. Indessen ist nicht abzusehn, in welcher andern Weise

das κατατάττειν καὶ προχειρίζεσθαι ἐπὶ τὴν κατηγορίαν erfolgt sein soll und zwar in so nachdrücklicher Weise, dass Demosthenes der Willensmeinung des Volks sich nicht entziehn zu können glaubte.

Einen zweiten Anstoss hat Böckh (Urkunden über das attische Seewesen S. 537 ff.) in klarstes Licht gestellt. Gegen den, der einen Bürger fälschlich in die Listen der Staatsschuldner eintrug, war die γραφὴ ψευδεγγραφῆς bestimmt nach der Angabe der Lexikographen, die in dem Namen der Klage selbst ihre deutliche Bestätigung findet. Nach § 71 ff. und 28 unsrer Rede aber soll wegen des gleichen Vergehens Aristogeiton gegen Ariston vielmehr eine Klage βουλεύσεως angestrengt haben, welche nach dem unanfechtbaren Zeugniss des von Böckh a. a. O. herausgegebenen Psephisma einen ganz anderen Inhalt hatte, gegen den gerichtet war, der einen Staatsschuldner nach Leistung der Zahlung nicht aus der Liste löschte. Nicht in Betracht dagegen kann natürlich kommen, dass auch Harpokration und andre Grammatiker der Klage βουλεύσεως den gleichen Inhalt wie der ψευδεγγραφῆς geben, da jener selbst unsre Rede als Quelle seiner Angabe namhaft macht. Als verschieden hatte beide Klagen auch Lykurg (nach Suidas u. ψευδὴς ἐγγραφή), jedenfalls in seiner Klagrede gegen Aristogeiton und eben in Bezug auf dessen Klage wider Ariston bezeichnet, wenn auch schwerlich ihren Unterschied näher entwickelt, wie Schäfer (Demosth. III, 2 S. 117) dachte, da sich dann die Unklarheit der Späteren darüber nicht recht begreift. Sonach schloss schon Böckh, dass unser Verfasser sich eine Verwechslung beider Klagen habe zu Schulden kommen lassen; und diese Folgerung wird keinesfalls beseitigt durch die Ausrede von Braun (S. 36), Aristogeiton habe in der That, sei es aus Irrthum oder mit Absicht, gegen Ariston eine Klage βουλεύσεως statt der zuständigen ψευδεγγραφῆς anhängig gemacht, — als ob dann der Verfasser unsrer Rede nicht ganz anders gegen ihn hätte argumentiren müssen, da er an der erstgenannten Stelle durchaus nicht bloss 'obiter' die Sache bespricht.

Die Begründung der wider Aristogeiton erstatteten Endeixis fasst § 28 zusammen; die Redefreiheit, die er sich anmasse, sei ihm aberkannt *πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις, γνώσεσι δικαστηρίων τριῶν, ἐγγραφῇ θεσμοθετῶν, ἑτέρᾳ πρακτόρων, τῇ τῆς βουλεύσεως — γραφῇ*. Von dem einen Gerichtshof ist Aristogeiton *παρανόμων* in eine Strafe von fünf Talenten verurtheilt worden wegen seines Antrags gegen Hierokles und die Priesterin der Brauronischen Artemis [1]; auf Verurtheilung durch einen zweiten Gerichtshof beruhte möglicher Weise die Schuld an den Staat, deren Rechtskraft Aristogeiton durch die Klage gegen Ariston bestritt. Die dritte Schuld an den Staat besteht nach der klägerischen Behauptung in den tausend Drachmen, die er durch das Fallenlassen seiner Eisangelie gegen Hegemon [2] verwirkt hatte. Aber zur Verhängung dieser Busse war die Behörde competent, die in dem betreffenden Process die Gerichtsvorstandschaft hatte; eines richterlichen Spruches bedurfte es dazu nicht, sondern dieser wäre nur unter der nicht eben wahrscheinlichen Voraussetzung denkbar, dass Aristogeiton die Rechtsgültigkeit der Busse angefochten hätte. Aber noch auffälliger sind die folgenden Worte. Es war Sache der Behörde, die Geldbussen, auf welche ein Gerichtshof unter ihrem Vorsitz erkannt oder welche sie selbst auszusprechen gehabt hatte, den Praktores zur Eintreibung anzuzeigen, *ἐγγράφειν τοῖς πράκτορσι*; darum ist nicht verständlich, wie der Eintragung der Gerichtsbehörde eine andere der Praktores gegenübergestellt werden kann. Denn beide mit Böckh (Staatsh. I S. 510) auf denselben Fall zu beziehn und die *ἐγγραφὴ θεσμοθετῶν* als den Vermerk in den Acten der Thesmotheten aufzufassen, welcher die Bedingung der *ἐγγραφὴ πρακτόρων* war, verbietet sich durch den Sinn

1) Deinarch g. Aristog. 12 *ὁ κατὰ τῆς ἱερείας τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Βραυρωνίας καὶ τῶν οἰκείων αὐτῆς τοιαῦτα γράψας κτλ.* Den Hierokles nennt Libanios in der Hypothesis unsrer Rede; mit welchem Rechte es in letzterer § 87 heisst *γράψαντά σε τῶν πολιτῶν τρεῖς ἀκρίτους ἀποκτεῖναι*, entzieht sich unsrer Controlle.

2) Von einer *γραφή* gegen Hegemon spricht Libanios a. a. O.

von ἑτέρᾳ. In andrer Weise wollte Siegfried (de multa quae ἐπιβολή dicitur p. 68) eine Deutung ermöglichen: in der γραφὴ παρανόμων wider Aristogeiton sei die Strafe der fünf Talente ordnungsmässig von den Thesmotheten ausgesprochen worden, die fallen gelassene Eisangelie gegen Hegemon aber sei beim Rath eingebracht und noch nicht an die Thesmotheten gelangt, darum aber keine Behörde vorhanden gewesen, welche die Busse den Praktores hätte anzeigen können. Aber ohne solche Anzeige war auch eine Eintragung durch die Praktores unmöglich; gegebenen Falls konnten auch die Prytanen eine solche veranlassen, wie es in der Gesetzeinlage bei Aisch. g. Tim. 35 vollkommen correct heisst ἐγγραψάτωσαν οἱ πρόεδροι τοῖς πράκτορσιν.

Auch an den beiden andern Stellen, an denen der Verurtheilung Aristogeitons in der γραφὴ παρανόμων nähere Erwähnung geschieht, ist der Ausdruck nicht ohne Anstoss. § 67 ἀλλ' ὅτι παρανόμων αὐτοῦ κατέγνωτε; ἀλλ' ὅτι πέντε ταλάντων προσετιμήσατε; ist προστιμᾶν im Sinne von τιμᾶν gebraucht, was sich bei keinem Redner nachweisen lässt und von Meier (Att. Proc. S. 219 m. B.) als Sprachgebrauch der Späteren notirt ist. Vielleicht soll in dem Compositum eine Beziehung auf das vorausgehende κατέγνωτε liegen; aber damit wäre nicht weniger gegen den fest begrenzten Gebrauch des Worts in der attischen Rechtssprache gefehlt. Kaum minder auffällig ist der Begriff τίμημα verwendet § 87 γραφὴν ἁλῶναι παρανόμων καὶ δέον σε τεθνάναι ἐπὶ ταύτῃ τιμήματος τυχεῖν. Auch die Todesstrafe würde, wenn sie über Aristogeiton verhängt worden wäre, ihn als τίμημα getroffen haben; also soll τίμημα hier soviel wie τίμημα χρημάτων (§ 92) bedeuten, ein Gebrauch, für den einen zweiten Beleg ich so wenig wie Meier (Att. Proc. S. 211 A. 29) beizubringen im Stande bin.

Die ernstesten Zweifel betreffs ihrer rechtlichen Möglichkeit erweckt aber eine andere vorgebliche Bestrafung des Aristogeiton, deren beiläufig gedacht wird, § 42 οὗτος ὑμῖν οὐχὶ προσῆλθε πέντε ἐτῶν, ὧν ἐτιμήθη μὴ λέγειν

αὐτῷ.[3]) Es ist ein allgemein anerkannter Grundsatz des attischen Rechts, dass totale Atimie den Bürger nur treffen kann auf Grund eines Gesetzes, nie durch richterliche Schätzung, weil die verpönte Handlung selbst es ist, welche die Rechtlosigkeit zur nothwendigen, von selbst eintretenden Folge hat.[4]) Nicht minder ausnahmslos ist auch die partiale Atimie in den zahlreichen uns bekannten Fällen nur durch Gesetz oder durch Psephisma[5]) verhängt, und dem richterlichen Ermessen auch hier nur insoweit Spielraum gelassen, als es die Entscheidung der Frage gilt, ob die Handlung wirklich begangen ist, an welche die Entziehung gewisser Rechte unausweichlich sich knüpft. Steht mit diesem unbestreitbaren Rechtsgrundsatz jene angebliche Bestrafung des Aristogeiton allein in unlöslichem Widerspruch, so streitet sie nicht weniger gegen die andere Rechtsnorm, die in der gleichen Anschauung ihre Wurzel hat, dass die Atimie keine zeitweilige, sondern nur eine dauernde ist. Keine Abweichung von diesem Princip bedeutet es, wenn die Atimie der Staatsschuldner mit Abtragung der Schuld von selbst erlischt, wie sie mit Versäumung des Zahlungstermins von selbst eintritt; hier handelt es sich eben um eine Handlung oder vielmehr Unterlassung, bei der die Möglichkeit einer späteren Ausgleichung gegeben ist, welche anderwärts fehlt. Aber dass Jemand auf die beschränkte Zeit

3) In diese fünf Jahre sollen vermuthlich die ἐνδείξεις fallen, um derentwillen er zweimal in das Gefängniss gesetzt wurde nach § 67. Die gleiche Folge hatte nach Deinarch g. Aristog. 13 die ἔνδειξις, zu deren Begründung unsere Rede gehalten sein will.

4) Vgl. namentlich die treffenden Ausführungen von Hermann Grundsätze und Anwendung des Strafrechts im griech. Alterth. S. 54 ff. Keine eigentliche Ausnahme ist es, wenn nach der herrschenden Ansicht das Gesetz den Richter ermächtigt, gegen die eines wahrheits- oder gesetzwidrigen Zeugnisses Ueberführten schon bei erstmaliger Verurtheilung die Atimie in Kraft treten zu lassen, die bei dreimaliger Verurtheilung unausbleiblich eintritt. Indessen beruht jene Ansicht nur auf einer nicht ganz sicheren Vermuthung, vgl. Att. Proc. S. 489 A. 38.

5) Für letzteres Beispiele namentlich in dem locus classicus bei Andok. v. d. Myst. 75 f., die freilich einer richtigeren Deutung bedürfen, als sie bisher gefunden haben.

von fünf Jahren von dem Rechte zum Volke zu sprechen ausgeschlossen worden, das wäre eine Anomalie, an welche zu glauben nur das vollgültigste Zeugniss bestimmen könnte.

Eher dürfte man zwei andere Nova in Betreff derselben Art der partialen Atimie sich gefallen lassen, welche aus § 30 zu entnehmen sind, dass das Recht vor dem Volk zu reden auch denen entzogen worden sei, deren Aeltern hingerichtet worden oder die nach der Designation zu einem Amt bei der Dokimasie nicht bestanden hatten. Doch wenigstens zu dem letzteren will wenig stimmen, dass der bei der Dokimasie abgewiesene Theramenes im Jahre darauf zum Gesandten ernannt ward (Lysias g. Agor. 10).

Noch von einem Process gegen Aristogeiton ist die Rede und auch er bietet erhebliche Schwierigkeiten. Nach § 55 hatte er seine Stiefschwester ins Ausland verkauft und war deshalb von dem eigenen Bruder verklagt worden, wofür die Klagschrift als Beleg angezogen und (§ 58) verlesen wird, *τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ — ἐπ' ἐξαγωγῇ ἀπέδοτο, ὥς φησι τὸ ἔγκλημα τῆς δίκης ἣν ὑπὲρ τούτων ἔλαχεν αὐτῷ ὁ χρηστὸς ἀδελφὸς οὑτοσί, ὁ νῦν συναπολογησόμενος.* Hiernach ging also die Klage auf *πρᾶσις ἐπ' ἐξαγωγῇ*, dasselbe Verbrechen, welches dem Timokrates von Demosthenes (§ 202 f.) als todeswürdiges zur Last gelegt wird, und jedenfalls auf dem Wege einer Schriftklage zu ahnden war, mag man nun mit Meier (Att. Proc. S. 443 f.) dafür eine besondere Klage *ἐξαγωγῆς* oder die allgemeinere *ἀνδραποδισμοῦ* für zuständig halten. Von der gleichen Voraussetzung scheint eine andere Stelle unsrer Rede selbst auszugehn, wo es von dem Bruder des Aristogeiton heisst § 80 *οὗτος οὖν αὐτὸν ἐξαιτήσεται ὁ φαρμακός, ὁ λοιμός —, ὃς αὐτὸς αὑτῷ θανάτου τετίμηκεν, ὅτε τοιαύτην δίκην ἔλαχεν.* Denn *αὐτὸς αὑτῷ* haben auf G. H. Schäfers Erinnerung Dindorf und Vömel wohl mit Recht geschrieben für die Vulgata *αὐτὸς αὐτῷ*; wie der Bruder, welcher den andern wegen Verkauf der Schwester anklagt, sich damit selbst als des Todes würdig bezeichnet habe, ist nicht zu verstehen, während man mit Herstellung des *αὑτῷ* den passendsten Gegen-

satz zu dem Hauptverbum ἐξαιτήσεται gewinnt.[6]) Trotzdem wird aber § 58 als Zeuge für die Klage der Diaitet citirt, vor dem sie verhandelt worden sei, in eclatantem Widerspruch mit der bekannten Thatsache, dass nur Privatklagen an die Diaiteten gelangten. Denn der Ausweg, welchen Dareste (Plaidoyers politiques de Dem. II p. 344. 346) mit der Vermuthung einschlug, die Klage sei eine Privatklage [7]) gewesen und habe bezweckt die Hälfte des von Aristogeiton eingestrichenen Kaufpreises zu reclamiren, wird, abgesehn von ihrer sachlichen Unzulässigkeit, durch die bestimmte Ausdrucksweise in § 55 abgeschnitten, welche über den Gegenstand der Klage jeden Zweifel ausschliesst. Ueber den weiteren Verlauf des Processes erfahren wir nichts.

Auch sonst ist der Abschnitt über das Vorleben des Aristogeiton, der einzige, der reichlichere thatsächliche Angaben macht, nicht frei von Anstössen. Was über das Verfahren gegen Zobia wegen angeblicher Nichterlegung des Schutzgelds erzählt wird, stimmt mit dem, was wir anderweit über die Sache erfahren, meist überein; Bedenken erregt aber die Erwähnung eines πωλητήριον τοῦ μετοικίου, zu dem Zobia abgeführt wird, während in einem sehr ähnlichen Bericht die Abführung zu dem μετοίκιον geschieht. Letzteres ist ganz sachgemäss, dagegen die Existenz eines besonderen Locals für Versteigerung der Einnahme aus dem Schutzgeld höchst unwahrscheinlich, auch wenn nicht anderweit das Bestehn nur eines πωλητήριον bezeugt wäre, vgl. H. Schenkl de metoecis Atticis (Wiener Studien II S. 184). Schon Meier (de bonis damn. S. 41) strich darum in den fraglichen Worten § 57 πρὸς τὸ πωλητήριον τοῦ μετοικίου ἀπήγαγε den Artikel τοῦ und

6) Nicht ins Gewicht kann hiergegen fallen, dass τιμᾶν von den Parteien sonst nur in Verbindung mit dem Reflexivpronomen nachzuweisen ist, [Demosth.] g. Zenoth. 15.

7) Dass ἔγκλημα sonst niemals von der Klagschrift in öffentlichen Klagen gesagt wird, kann der Natur der Sache entgegen nichts beweisen (vgl. auch Schömann Att. Proc. S. 595 A. 2 d. 1. B.), sondern nur ein weiteres Bedenken begründen.

verband den Genetiv mit ἀπήγαγε, was ohne Frage unzulässig ist. Sauppe wollte den ganzen Zusatz τοῦ μετοικίου tilgen, eine Aenderung, welche Bekkers Zustimmung fand und jedenfalls ansprechender ist, als Schenkls künstliche Deutung. Aber der Verdacht liegt überaus nahe, dass damit ein Fehler nicht der Abschreiber, sondern des Verfassers corrigirt würde.

Bald danach, § 60, heisst es von dem Tanagraier, den Aristogeiton im Gefängniss bestohlen haben soll, er sei in Haft gekommen πρὸς κατεγγύην. Reiske und jetzt wieder Dareste verstanden 'weil er für einen andern (Staatspächter) Bürgschaft geleistet'. Aber das widerspricht dem technischen Gebrauch des Compositum κατεγγυᾶν (das Substantivum scheint nirgends sonst vorzukommen), welches bei den Rednern in Verbindung mit einem persönlichen Object nur die Forderung von Bürgen für das Erscheinen vor Gericht, mit einem sachlichen Object die Beschlagnahme eines Gutes zur Sicherstellung einer Forderung bedeutet. Nur das erstere kann hier in Frage kommen; so verstand Meier (de bon. damn. S. 29) uadimonii causa, i. e. quia uadem iudicio sistendi causa dare non poterat. In der That musste ja der Nichtbürger, welcher keine Bürgen iudicio sistendi causa zu stellen im Stande war, ins Gefängniss wandern. Aber wie kann jener Sinn in πρὸς κατεγγύην liegen? Vielmehr scheint diesen Worten die Voraussetzung zu Grunde zu liegen, dass der Bürge iudicio sistendi causa selbst ins Gefängniss gehn musste, was sicher falsch ist (Att. Proc. S. 68 A. 70).

In den bisher nicht berührten Theilen der Rede kommen rechtliche Verhältnisse selten zur Erwähnung; besonders erheblich ist ein Anstoss, der auch nicht unbemerkt geblieben ist. In § 83 wird die Unmöglichkeit, irgend welche Nachsicht dem Aristogeiton angedeihen zu lassen, daraus deducirt, dass er seinerseits gegen alle von ihm Beklagten den Strafantrag auf Tod gestellt und zwar noch bevor in erster Abstimmung über die Schuldfrage entschieden war, οἷς οὗτος θανάτου πᾶσιν ἐτιμᾶτο ἐν τουτοισὶ τοῖς δικαστηρίοις καὶ ταῦτα πρὶν τὴν πρώτην ψῆφον διενεχθῆναι. Nun steht aber fest, dass in

schätzbaren Processen der Straf- bez. Entschädigungsantrag sogleich in die Klagschrift aufzunehmen war. Darum notirte Meier (Att. Proc. S. 213 A. 34) jenen dem Aristogeiton gemachten Vorwurf als auffällig, meinte ihn aber (S. 229 A. 80) aus seiner Annahme erklären zu können, dass bei Eisangelien der Strafantrag erst nach der ersten Abstimmung gestellt worden sei. Aus den neugefundenen Reden des Hypereides ist aber zu hoher Wahrscheinlichkeit gebracht worden, dass in der Zeit, in welche der Process gegen Aristogeiton fällt, für die im Eisangeliegesetz aufgeführten Verbrechen die Strafe gesetzlich festgestellt, jedenfalls nicht erst durch richterliche Schätzung zu finden war (Att. Proc. S. 328). Nur für die Probole darf als wahrscheinlich gelten, dass bei ihr ein Strafantrag dem Kläger erst nach Bejahung der Schuldfrage zustand (Att. Proc. S. 229 f.). Aber Niemand wird daran denken wollen, dass Aristogeiton gegen die Opfer seiner Sykophantie vorzugsweise das Probolenverfahren in Anwendung bringen konnte, zumal bei jenen in erster Linie an die *πολλοὶ ἰδιῶται* zu denken ist, welche Aristogeiton in der letzten Zeit seiner öffentlichen Thätigkeit mit Processen verfolgt haben soll (§ 40. 38).

Ich knüpfe hieran Bemerkungen über eine Stelle, welche auf den ersten Blick genaue Vertrautheit mit der attischen Gerichtsverfassung zu verrathen scheint, bei näherer Prüfung aber gleichfalls ein gewichtiges Bedenken erweckt. § 27 liest man: *ὑμεῖς αὐτοὶ πάντων ἄρτι κληρουμένων Ἀθηναίων καὶ πάντων εὖ οἶδ᾽ ὅτι βουλομένων εἰς τοῦτο λαχεῖν τὸ δικαστήριον μόνοι δικάζεθ᾽ ἡμῖν· διὰ τί; ὅτι ἐλάχετε, εἶτ᾽ ἀπεκληρώθητε· ταῦτα δὲ οἱ νόμοι λέγουσιν.* Die unzweifelhaft richtige Erklärung der Worte ist von Schömann (de sortit. iud. ap. Athen. S. 26 = Op. ac. I, 215) gegeben: *ἐλάχετε* geht auf die Auslosung der Section, die die Richter für den Process des Aristogeiton zu stellen hat, *ἀπεκληρώθητε* auf die Aushebung der Mitglieder der Section, die in ihm zu Gericht sitzen sollen. Es hätte also nur ein Bruchtheil einer Section, die in jener Zeit nicht einmal die Normalzahl von 500 festen Mitgliedern enthalten haben wird (Att. Proc. S. 150), das Richteramt in

jenem Rechtsstreit geübt, an welchem doch nach der oben erörterten Stelle das Volk einen ganz besonderen Antheil genommen haben soll. Wie wenig das glaublich ist, lehrt ein Blick auf die im Attischen Process (S. 167 ff.) zusammengestellten Angaben über die Zahl der in verschiedenen Klagarten beschäftigten Richter, die nie unter 201 herabgeht, aber bereits bei vermögensrechtlichen Streitigkeiten, die einen Gegenstand von wenigstens 1000 Drachmen Werth betrafen, 401 beträgt.

Nach unsern bisherigen Ermittelungen würden wir berechtigt sein auch andre Angaben, mit denen die Rede allein steht, mit Misstrauen aufzunehmen, selbst wenn sie dazu keinen besonderen Anlass böten. Als schätzbare Bereicherung unsres Wissens sehen Cobet und Weil es an, dass nach § 23 der Areopagitische Rath zuweilen in der Königshalle seine Sitzungen gehalten habe. Aber die Stelle setzt deutlich die Königshalle nicht als gelegentliches, sondern als regelmässiges Sitzungslocal des Collegiums voraus und das kann sie unmöglich gewesen sein. Denn die Mordklagen, mit denen es vorzugsweise beschäftigt war, mussten bekanntlich unter freiem Himmel verhandelt werden und für eine nicht viel ältere Zeit wird das Tagen auf dem Areshügel als das Gewöhnliche bezeugt ([Demosth.] g. Neaira 20).

Ein Novum von zweifelhaftem Werthe bringt endlich auch § 65 *τὴν μητέρα αὐτοῦ ὀφλοῦσαν ἀποστασίου ἀπέδοσθε.* Dass der *ἀποστασίου* Verurtheilte wieder Sclave wurde, sagt Harpokration in seinem Artikel, der auf die besten Quellen zurückgeht; da die Klage ihrer Natur nach nur Entschädigung für das verletzte Recht des Freilassers bezwecken kann, ist mit Platner (Proc. u. Klag. II S. 80) der Rückfall des Abtrünnigen in die Sclaverei des Freilassers vorauszusetzen.[8]) Der

8) Was bei Photios u. *πωληταί* = Suidas u. *πωλητής* von dem *ἀποστασίου γραφείς* gesagt ist, dass er den Poleten anheimfiel, galt in der Quelle der Glosse höchst wahrscheinlich vielmehr dem *ἀπροστασίου γραφείς*, da in den folgenden Worten von einem Verkauf zu Gunsten des Fiscus die Rede ist, der bei einer Privatklage unmöglich war.

Verkauf durch den Staat (ἀπέδοσθε) würde also nur durch die willkürliche Unterstellung begreiflich, dass er zu Gunsten des frühern Herrn erfolgte. Verkauf zu Gunsten des Fiscus war wahrscheinlich Folge der γραφὴ ἀπροστασίου, deren Einsetzung an unsrer Stelle sich aber aus dem schon von Meier (de bon. damn. S. 35) geltend gemachten Grunde verbietet.

Es ist eine nicht kleine Reihe von Anständen, die wir zu erheben hatten. Mögen sie nicht alle von gleichem Gewichte sein, mag ihre Begründung nicht allenthalben die gleiche Sicherheit beanspruchen dürfen, das Gesammtergebniss kann nach meinem Urtheil nicht zweifelhaft sein. Eine Rede, welche sich fast überall, wo sie rechtliche Institutionen berührt, in Widerspruch setzt mit dem, was wir durch Ueberlieferung und Forschung von attischem Recht und Gerichtswesen wissen, kann unmöglich das Werk eines Redners sein, der in der Praxis des attischen Rechtslebens gestanden hat. Wenn anderwärts der Verfasser mancher staatlicher Einrichtungen in einer Weise gedenkt, die zu Bedenken keinen Anlass giebt, worauf allein die gegnerische Ansicht sich zu stützen vermag (Braun S. 32. 34. 41), so folgt daraus nur, dass er von diesen Dingen eine richtigere Vorstellung gewonnen hat. Und zwar hat er sie, wie ich denke, nicht sowohl aus Schriften von Peripatetikern (Blass S. 362) als aus fleissigem Studium attischer Reden geschöpft, von dem auch seine Diction die deutlichsten Spuren trägt. Ihr verdankt er wohl auch gar manche jener geschickten Wendungen in seiner Argumentation, durch welche allein Weils Urtheil in dem Grade bestochen worden ist, dass er sich verleiten liess die Annahme der Abfassung durch einen Rhetor als eine unüberlegte zu bezeichnen (S. 10). Die eingänglichste Beschäftigung musste der Verfasser natürlich den Reden zuwenden, von denen er Belehrung über den Process und die Person des Aristogeiton zu erwarten hatte, ausser der erhaltenen Rede des Deinarch der Klagrede von Lykurg und Aristogeitons Vertheidigungsrede wider die Endeixis von Lykurg und Demosthenes, welche den Anlass zu der Fälschung

gegeben haben mag.[9]) Wieviel er aus diesen Quellen von thatsächlichen Angaben entnommen, wieviel er seinerseits hinzugedichtet hat, das sind wir natürlich nicht im Stande im Einzelnen festzustellen. Wenn Cobet (S. 576 f.) die Möglichkeit solcher Erdichtung überhaupt leugnet und in dem Detail mancher Mittheilung einen untrüglichen Beweis für die Verfasserschaft eines Zeitgenossen finden will[10]), so ist das offenbar eine petitio principii, die man mit gleichem Rechte zu Gunsten der meisten Fälschungen wenden könnte. Dass Manches lediglich einer überbietenden Ausschmückung des von Deinarch Berichteten entstammt, ist mir unzweifelhaft. Insbesondere gilt das von der albernen Geschichte über die Vorfälle im Gefängniss, und es ist mir unverständlich, wie ein Kritiker von Weils Geschmack (S. 19) diese mit Demosthenes wirkungsvollen Ausfällen gegen Aischines Jugend und schauspielerische Thätigkeit in Vergleich hat bringen können.

9) Die Echtheit auch dieser Rede in Zweifel zu ziehn, sehe ich keinen Grund. Photios sagt doch nur, dass Aristogeiton in ihr den Demosthenes (nicht die unter dessen Namen vorhandene Rede) eifrig bekämpfe und damit beweise, dass dieser gegen ihn geschrieben.

10) Die Notiz über Theoris (§ 79) könnte aus einer Rede so gut wie aus Philochoros stammen. Warum ich Blass nicht beipflichten kann, der aus ähnlichem Grunde wie Cobet wenigstens in den Partien § 54—61. 69—74 einen alten, vielleicht demosthenischen Kern erblickt, ist schon im Obigen ausgesprochen. Noch weniger aber kann ich mich mit der Ansicht befreunden, deren weitere Begründung H. Schenkl a. a. O. in Aussicht stellt, die ganze Rede sei 'a compilatore quodam ex orationum genuinarum, quae nunc deperditae sunt, pannis consuta'.

Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

G. CURTIUS L. LANGE O. RIBBECK H. LIPSIUS

SIEBENTER BAND.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1884.

Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.

INHALT.

DE

FONTIBUS QUIBUS AELIANUS IN VARIA HISTORIA COMPONENDA USUS SIT

SCRIPSIT

FELIX RUDOLPH.

Fontes uariae historiae quam Claudius Aelianus Praenestinus composuit in duas rationes disseri possunt.

Aelianus enim quamuis multorum scriptorum reliquias solus seruauerit et non pauca tradat quae ad antiquitatem cognoscendam magni momenti sint, propterea quod eos quorum auctoritate nisus est reticere solet, fructum nobis praebet pro copia rerum narratarum minorem. Iam uero si cui forte contigerit, ut unamquamque narratiunculam primo cuique auctori restituat, utilitate eum si non parem, at certe similiorem reddet Athenaeo Diogenique Laertio et libros quibus fragmenta scriptorum Graecorum comprehensa sunt haud tenui incremento augebit.

Sed ipse sibi consulat, si quis fontes remotiores uariae historiae indagare aggredietur. Ego proximos Aeliani auctores, quibus ipse usus sit, hac dissertatione eruere conabor.

I. De Claudii Aeliani temporibus.

Eum Aelianum qui librum de instruenda acie Hadriano nuncupavit diuersum esse ab Aeliano sophista, cuius uariam historiam et libros de animalibus habemus, Henricus Valesius [1]) manifestis fulsit argumentis. Valesii sententiam Iacobus Perizonius [2]) ipse nescius amplexus, ut uitam Claudii Aeliani sophistae Alexandri Severi temporibus assignet, tribus documentis utitur. Atque primum quidem Philostratum temporis ordinem secutum uitas sophistarum conscripsisse demonstrat; in quarum serie fere ultimas esse Philisci, Aeliani, Heliodori, Aspasii;

1) Emendatt. V p. 121.

2) Praef. ad Ael. uar. hist. p. XIX sqq. in G. Kuehnii edit. uar. hist. Lips. 1780 (praefatio quae in editione Perizonii ipsa est notatione paginarum caret).

Philiscum uero per Iuliam Domnam, Septimii Seueri uxorem, cathedram Atheniensem obtinuisse, Aspasium, Aeliani apud Pausaniam condiscipulum, in Alexandri Seueri comitatu fuisse, Aelianum ipsum a Pausania, qui sub Marco floruit, arte rhetorica instructum esse ex Philostrato apparere; ergo hunc quoque Alexandri memoriae necessario adscribendum esse. Deinde ad colloquium prouocat quod Philostratum Lemnium de gynnide quodam imperatore modo mortuo cum Aeliano habuisse Philostratus [1]) testis est. Concludit uir doctissimus hunc gynnim esse Elagabalum; itaque Aelianum post mortem eius, i. e. post annum 222 Romae uersatum esse. Eandem rem molitus tertio loco eum ex Athenaei sermonibus conuiualibus, quos sub initium principatus Alexandri confectos esse arbitratur, nonnulla in uaria sua recepisse ostendit.[2])

Verum artioribus mihi finibus uitam eius describere liceat: Mortuus erat eo anno quo Philostratus uulgauit sophistarum uitas, in quibus [3]) de Aeliano haec exstant: *ἐβίω δὲ ὑπὲρ τὰ ἑξήκοντα ἔτη καὶ ἐτελεύτα οὐκ ἐπὶ παισί.* Dedicauit autem Philostratus hunc librum Antonio Gordiano sic inscriptum: *τῷ λαμπροτάτῳ ὑπάτῳ Ἀντωνίῳ Γορδιανῷ Φλάυιος Φιλόστρατος.* Finem uero prooemio his uerbis imposuit: *τὸ δὲ φρόντισμα τοῦτο, ἄριστε ἀνθυπάτων, καὶ τὰ ἄχθη σου κουφιεῖ τῆς γνώμης, ὥσπερ ὁ κρατὴρ τῆς Ἑλένης τοῖς Αἰγυπτίοις φαρμάκοις. ἔρρωσο μουσηγέτα.* Iam duorum quos Gordianum gessisse constat consulatuum uter a Philostrato significetur non difficile est diiudicatu. Iulius enim Capitolinus [4]) Antonium Gordianum primum refert praetura nobili gesta post iurisdictionem consulatum primum iniisse cum Antonio Caracalla, secundum cum Alexandro. Idem [5]) Gordianum ex consulatu quem egerat cum hoc principe ad proconsulatum Africae ex senatusconsulto missum esse testis est, id quod accidit anno 229/230.[6])

---

1) Philostr. u. s. II, 31.

2) Praef. ad uar. hist. p. XXIII sqq. Kuehn. Ceterum iam Valesius in 'emendationibus' V p. 121 sq. Aelianum Alexandri temporibus assignauit.

3) II, 31. 4) Gord. c. IV. 5) Ibid. c. II.

6) Pauly's Realencycl. III p. 901.

Alio proconsulatu nullo functus est. Sequitur Philostratum, cum eum modo consulem modo proconsulem appellaret, alterum consulatum proconsulatumque Africae intellexisse, uitas autem circa annum 230/231 edidisse. Aelianus igitur hoc tempore inter uiuos esse desierat. Atque aliquanto quidem ante exspirauerat. Non sane multum ei argumento tribuo quod breui ante uitas sophistarum confectas eum obiisse disertis uerbis Philostratus non commemorat. Maioris momenti est quod quinque rhetores, Heliodorus Aspasius Philostratus Lemnius Nicagoras Apsines, idque ut uidetur tamquam mortui post Aelianum ab eo tractantur. Quodsi Philostratum temporis ordinem secutum, ut quisque minimo annorum interuallo ab ipsius aetate aberat, ita uitam eius extremis capitibus exprompsisse constat[1]), inter id tempus quo uitas suas uulgauit i. e. inter annum 230/231 et mortem Aeliani spatium nonnullorum annorum uidetur intercessisse. Iam Aelianus, si mortuus est inter annos 222 et 230/231, quia sexagesimum annum aetate assecutus est, natus est neutiquam post annum 170/171; quod autem illum annum uitae etiam superauit et quod aliquanto ante annum 230/231 mortem occubuisse uidetur, fieri potuit, ut adeo ante annum 162 in lucem editus sit.

Itaque ea temporis computatio qua Valesius et Perizonius aetatem Aeliani constituerunt hac omnino confirmatur.

Verum enim uero uia qua Perizonius eam assecutus est partim quidem displicet; namque Athenaeum huc admouit uel imperio Elagabali uel primis annis Alexandri perperam assignatum.[2]) Ipso igitur Aeliani temporum definiendorum munere flagitatur, ut quando Athenaeus opus suum quod restat composuerit disquiram; non quo nouam quandam lucem ad rem propositam inde exspectem, sed quod ratio quae inter tempora utriusque scriptoris intercedit non solum a Perizonio sed etiam a Schweighaeusero[3]) cum exploranda Aeliani aetate dicitur artissime cohaerere. Dicit Batauus ille uir[4]) Athenaeum scripsisse post Caracallam, si quidem memorat Oppianum Cili-

1) Periz. praef. ad u. h. p. XX Kuehn. 2) Ibid. p. XXIII.
3) Praef. ad edit. Ath. 4) l. l. p. XXII sq.

cem et eius ἁλιευτικὰ deque eo loquitur tamquam iam mortuo I p. 13 his uerbis usus: τὸν ὀλίγῳ πρὸ ἡμῶν γενόμενον Ὀππιανὸν τὸν Κίλικα; Oppianum uero carmina sua misisse ad Antoninum Caracallam, quem peperit Iulia Domna Septimio Seuero. Sane Pseudooppiani [1]) Apameensis [2]) κυνηγετικὰ Caracallae dedicata [3]) sunt. Atqui haec prorsus nihil faciunt ad illum locum Athenaei, quippe qui uerum Oppianum Corycensem [4]), illum carminis de piscatu conditi auctorem, intellegat.

Quamquam exstiterunt qui etiam ἁλιευτικὰ Caracallae dedicata esse statuerent. Oppianus enim Antoninum quendam imperatorem simul cum filio uersibus his alloquitur:

IV, 4: Ἀλλὰ σύ μοι, κάρτιστε πολισσούχων βασιλήων
Αὐτός τ' Ἀντωνῖνε, καὶ υἱέος ἠγάθεον κῆρ
Πρόφρονες εἰσαΐοιτε κτλ. cf. et I, 3, 66, II, 682.

Iam cum Schweighaeuser [5]) quis tandem hic Antoninus cum filio fuerit omnino non sciscitetur, I. G. Schneider [6]) duce Scaligero eum putat intellegendum esse Caracallam, quem Antonini nomen sibi arrogasse constat. At non habuit filium regni participem. An mauis Septimium, Caracallae patrem, illa appellatione a poeta significari? At Antonini nomine usus esse non traditur. Itaque iis [7]) assentiri non dubito qui M. Aurelium Antoninum eiusque filium Antoninum Commodum designari credunt. Accedit quod Oppianum Marco Antonino imperante floruisse Suidas tradit. Concidit igitur argumentum quo Athenaeum circa annum 220 siue aliquanto post principatum Caracallae scripsisse comprobare conati sunt.

At enim Schweighaeuser editionem δειπνοσοφιστῶν post annum demum 228 factam esse contendit. Namque Athenaeus inter alios sodales conuiuii, unde farraginem suam ductam esse fingit, Ulpianum quendam Tyrium identidem laudat. Hunc ille non dirimendum esse censet ab Ulpiano iurisconsulto item

1) Pauly's Realencycl. V p. 950; I. G. Schneider praef. ad Opp. Lips. 1813.

2) Cyneg. II, 125—128 et 156 sq. 3) Ibid. I, 3 sq.

4) Suid. s. u. Ὀππιανὸς et halieut. III, 209.

5) l. l. 6) l. l. 7) Pauly's Realencycl. V p. 950.

Tyrio, quem anno 228 sub Alexandro a militibus praetorianis occisum esse notum est. Atque uestigium quoddam eius caedis deprehendisse sibi uisus est Athen. XV p. 686 c. Sed ne nimis sagax euadat uir doctissimus. Neque enim aliud quidquam ex hoc loco efficitur, nisi ut auctor alicuius amici mortem subitam deploret. At hunc amicum, cuius mors etsi non sine magno dolore memoratur tamen tamquam beata praedicari uidetur, fuisse Ulpianum qui quidem ferro trucidatus est quo tandem iure ille cogitauit? Porro nomen eius num una littera ibi significatur? Quid quod is Ulpianus cuius mentionem Athenaeus facit nusquam iurisperitus, sed ὀνοματοθήρας[1]), i. e. uenator uocabulorum appellatur talisque hominis personam ubique gerit. Age uero ponamus hunc cum iurisconsulto illo, qui Alexandri praefectus praetorio fuit, unum eundemque esse, et Athenaeum post eius caedem anno 228 patratam operi suo finem constituisse; sequeretur intra annos 228 et 231, quo quidem Philostratus uitas edidit, et δειπνοσοφιστὰς in publicum prodiisse, et Aelianum uaria sua conscribentem iis usum esse et uaria confecisse et ipsum ex uita discessisse. Haec uero omnia in tam exiguum annorum interuallum incidisse quis est qui credat? Cui placeat id quod e Schweighaeuseri sententia concludendum esset, Aelianum Athenaei libros quasi recenti atramento humidos exscripsisse? Ergo is Ulpianus qui in numero conuiuarum doctorum fuisse ab Athenaeo fingitur a iurisconsulto illo diuersus est.

At ne solo negandi munere fungi uidear, hae notae solae ad tempora Athenaei computanda ualent: composuit librum post Oppianum, Marci aequalem, quem paulo ante suam aetatem mortuum esse ipse testatur, et post excessum Commodi[2]), i. e. post annum 192, sed antequam uaria scripsit Aelianus, qui post annum 222 et aliquanto ante 231 diem obiit.

Verum haec quasi ultro se offert conclusio: Athenaei florilegium si eo tempore quo Aelianus in uaria historia operam collocabat recens editum fuisset, ab hoc certe non esset ex-

1) Athen. XIV p. 649 b. 2) Athen. XII p. 537 f.

scriptum. Etenim furtum quod commisit animos aequalium fugiturum esse sperare non potuit, nisi satis multi anni inter editionem sui libri et sermonum conuiualium interiecti erant. Quae cum ita sint, hos circa annum 200 ab Athenaeo ad Timocratem amicum missos esse consentaneum est.

Iam ad Aelianum ipsum reuertamur. Latet in historiae animalium libri X capite 1 grauissimum temporis indicium, quod a Iacobsio[1]) et Herchero deletum est. In editionibus autem quae Iacobsianae praecedunt omnibus haec exstant: *σπανίως ἐλέφας ἐρᾷ, φασίν· ἔστι γὰρ σώφρων, ὡς ἄνω μοι λέλεκται. ἀκούω γοῦν ἐλεφάντων πάθος ἐρωτικὸν καὶ ἄξιον θαυμάσαι αὐτό· ὃ δὲ πέπυσμαι ἐκεῖνό ἐστιν· ἀνὴρ τῆς τούτων ἄγρας οὐκ ἄπειρος δύναμιν λαβὼν ἐκ βασιλέως τοῦ Ῥωμαίων πάλαι, Ἀλέξανδρος ὄνομα, καὶ σταλεὶς ἐς τὴν θήραν κατά τι ἔθος τοῖς Μαυρουσίοις ἐπιχώριον, φησὶν ἐν συγγραφῇ Δίων, μόσχον ἐλέφαντος ὡραίαν, ὡς ἐκεῖνοι, ἰδεῖν συνελθεῖν ἐλέφαντι νέῳ καὶ καλῷ.* Reliqua narratio est de riualitate duorum elephantorum amore incensorum. Iacobsius coniectura aliorumque codicum auctoritate usus contextum uerborum ita conformauit: *ἀνὴρ τῆς τούτων ἄγρας οὐκ ἄπειρος δύναμιν λαβὼν ἐκ βασιλέως τοῦ Ῥωμαίων πάλαι, Ἀλέξανδρος ὄνομα, καὶ σταλεὶς ἐπὶ τὴν θήραν κατά τι ἔθος τοῖς Μαυρουσίοις ἐπιχώριον φησὶν ἐν συγγραφῇ, νέαν μόσχον ἐλέφαντος, ὡραίαν ὡς ἐκείνοις, ἰδεῖν συνεισελθεῖν ἐλέφαντι νέῳ καὶ καλῷ.* Eodem modo Hercher in editione Parisina[2]) haec uerba constituit.

Locum esse uitiatum nemo non concedet. Atque ut uocula *πάλαι,* quam ille ipse pro spuria habet[3]), ita uerba *κατά τι ἔθος τοῖς Μαυρουσίοις ἐπιχώριον* suspicionem mouent. Namque haec aliam uim habere non possent, nisi ut Alexandrum quendam ex Maurusiorum more ad uenationem elephantorum missum esse significarent. Nunc uero notio aoristi *σταλείς,* ex

1) Hist. anim. ad fidem codd. mss. constit. et annotatt. illustr. 2 voll. Ienae 1832.

2) Quae prodiit anno 1858.

3) Annott. critt. p. XXXVI in edit. Paris.

qua eum semel missum esse apparet, et uocabulum ἔθος, unde saepius eum missum esse sequeretur, uidentur inter se abhorrere. Immo uox σταλεὶς ad uerba antecedentia ἐκ βασιλέως τοῦ Ῥωμαίων referenda est. Rex igitur Romanorum, qui Alexandro facultatem elephantos uenandi fecerat, eundem uenatum ablegauit. Itaque uerba κατά τι ἔθος κτλ. aeque ac πάλαι putauerim deberi interpreti, cuius adnotamenta a margine in textum orationis saepissime irrepsisse Hercher uir in libris mss. Aeliani non mediocriter uersatus demonstrauit. Contra ut teneatur Dionis nomen, pro quo codices Mediceus et Vaticanus νέαν uocabulum praebent, quod esse glossema μόσχου uocis apparet, et auctoritas codicis Augustani antiquissimi et locus Aeliani flagitat, in quo post uerba φησὶν ἐν συγγραφῇ scriptoris cuiusdam nomen exspectatur. Ceterum ne ego quidem locum prorsus restituere possum.

Quod autem ibi narratur Alexandrum a rege Romanorum ad elephantos uenandos cum potestate ablegatum esse non ad Numas uel Tarquinios, sed ad imperatorem quendam reuocandum esse nemo negabit. Iam uero Dionem, qui hoc loco memoratur, esse illum rerum scriptorem iam Valesius [1]) coniecit. Egomet cum istam narratiunculam Aeliani ex Dionis historia Romana deriuari non potuisse propterea quod haec neque in talibus fabellis uersatur et post annum demum 229 [2]) confecta est concedam, nihilo tamen secius ipsum illum Cassium Dionem Cocceianum designari teneo atque defendo. Is enim praeter historiam et opusculum de prodigiis, quibus Septimio Seuero principatum promitti ostendebat, composuit de uita Commodi uolumen peculiare. Atque hoc ab Aeliano significatur, si quidem Dio in historia, postquam de ferarum spectaculis quae Commodus edere solebat fuse dixit, ipse testatus est a se eandem qua is in bestias utebatur insaniam in libello de Commodo scripto etiam diligentius tractatam esse [3]). Ubi

1) Emendatt. V p. 122 sq.

2) Pauly's Realencycl. II p. 1028.

3) Cass. Di. epit. LXXII c. 10 Dindorf.: ....καὶ πέντε γοῦν ἵππους ποταμίους ἅμα καὶ δύο ἐλέφαντας ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ ἡμέρᾳ χωρὶς αὐτὸς ταῖς

quin uerba fecerit de uenatoribus qui copiam ferarum undique conquisitam principi suppeditarent fieri non potuit. Quae cum ita sint, Aelianus post annum 195, quo uita Commodi auctore Reimaro[1]) exarata est, librum de natura animalium confecit.

Ad eadem tempora relegamur hist. anim. l. XVII capite 44, ubi auctor dicit rhinocerotis figuram describere operae non esse pretium, cum permulti homines et Graeci et Romani qui illum uiderint eius formam cognitam habeant. Tale quid scribi uix potuit nisi post ludos bestiarios a Commodo creberrime factos.

Quoniam quando Aelianus uixerit exploratum est, quando scripserit accuratius quaeramus. Iuuenem eum arti rhetoricae siue sophisticae, seniorem scribendi studio deditum fuisse et ex diserto testimonio Philostrati[2]) apparet et ex historiae animalium epilogo[3]), ubi significat se naturalibus quaestionibus occupatum fructuosa professione oratoria abdicasse, id quod apprime conuenienter cum iis concinit quae adhuc disputata sunt.

Cum enim utramque historiam aliquanto post Commodum confectam esse cognouerimus, ut aetate prouectus ad libros componendos se conuerterit efficitur. Quibus praemissis expeditur ea difficultas quae Philostr. II, 31 et hist. anim. XI, 40 moueri potest. Illic enim legimus Aelianum solitum esse dicere

---

ἑαυτοῦ χερσὶ κατεχρήσατο, καὶ προσέτι καὶ ῥινοκέρωτας ἀπέκτεινε καὶ καμηλοπάρδαλιν. ταῦτα μέν μοι κατὰ παντὸς τοῦ περὶ αὐτὸν λόγου γέγραπται.

1) Pauly's Realencycl. II p. 1027.

2) Vit. soph. II, 31: *ἔπειτ᾽ ὅτι προσρηθεὶς σοφιστὴς ὑπὸ τῶν χαριζομένων τὰ τοιαῦτα, οὐκ ἐπίστευσεν, οὐδὲ ἐκόλασε τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, οὐδὲ ἐπήρθη ὑπὸ τοῦ ὀνόματος οὕτω μεγάλου ὄντος, ἀλλ᾽ ἑαυτὸν εὖ διασκεψάμενος ὡς μελέτῃ οὐκ ἐπιτήδειον τῷ συγγράφειν ἐπέθετο καὶ ἐθαυμάσθη ἐκ τούτου.*

3) *Οὐκ ἀγνοῶ δὲ ἄρα, ὅτι καὶ τῶν εἰς χρήματα ὁρώντων ὀξὺ καὶ τεθηγμένων ἐς τιμάς τε καὶ δυνάμεις τινὲς καὶ πᾶν τὸ φιλόδοξον δι᾽ αἰτίας ἕξουσιν, εἰ τὴν ἐμαυτοῦ σχολὴν κατεθέμην καὶ εἰς ταῦτα· ἐξὸν καὶ ὀφρυοῦσθαι καὶ ἐν ταῖς αὐλαῖς ἐξετάζεσθαι καὶ ἐπὶ μέγα προήκειν τοῦ πλούτου. ἐγὼ δὲ ὑπέρ τε ἀλωπέκων καὶ σαυρῶν καὶ κανθάρων . . . περιέρχομαι.*

se numquam fines Italiae excessisse neque nauem conscendisse neque mare nouisse. Ex hoc autem loco sequitur eum in Aegypto aliquamdiu peregrinatum esse. Quocirca negauerit quispiam Aelianum libri de animalibus auctorem cum Aeliano Philostrateo unum eundemque esse. Iam uero iter Aegypti, quippe quod cum origine animalium historiae artissime cohaereat [1], perinde atque haec ad senescentem Aelianum uidetur reuocandum esse. Itaque si statuimus illa uerba in quibus offendimus a iuuene dicta esse, antequam ex Italia mediterranea exisset — erat autem Praenestinus —, consociantur quae opposita uisa erant Aeliani et Philostrati indicia. [2]

Iam temporibus Aeliani definitis iactum est fundamentum unde sequens fontium disquisitio proficiscatur.

II. De Aeliani auctoribus quid uiri docti adhuc senserint.

De originibus uariae historiae unus egit I. Perizonius, cui ut soli fonti et capiti huius dissertationis gratiam habeo maximam. Primus enim septendecim uariorum capitibus ad *δειπνοσοφιστὰς* reuocatis Athenaeo Aelianum usum esse demonstrauit. [3] Tempora autem Aeliani quaerens necessitudinem quae inter utrumque scriptorem est nec per se ipsam nec uia ac ratione disseruit. Idem de reliquis fontibus haec dicit [4]: 'Ubi ab Athenaeo discesseris, de quo iam saepius egimus, auctores potissimum habet noster Platonem (uide notas ad VIII, 1, 2; 9 et XIV, 5) Aristotelem (II, 26; XI, 5 et XIII, 16) Isocratem (IV, 8 et V, 10) Thucydidem (XII, 50, 7) etiam Herodotum, sed mutata eius dialecto (VIII, 17) et saepius Plutarchum (XI, 9; XII, 3; XIII, 38; 42 etc.)'. Neque uero huic sententiae adstipulari potero.

Animalium historiae auctores etiam spissiore caligine uidi obrutos. Etenim C. G. Kuehnius, qui 'de uia ac ratione qua

1) Cf. infra cap. XIV.

2) Similiter Iacobsius in praef. p. XXXVI adnot. 3 diuinatione quadam usus rem explicat.

3) Praef. ad u. h. p. XXIII sqq. Kuehn.

4) Ibid. p. XXXI sq.

Claudius Aelianus in hist. anim. conscribenda usus est' Lipsiae anno 1777 libellum edidit, id quod hac inscriptione promittere uisus erat mihi non praestitit in fontes quidem Aeliani inquisituro. Qui autem huius libri origines hic illic attigerunt inde a Gesnero usque ad I. G. Schneiderum omnes a uero longe absunt.[1]

III. De Athenaeo Aeliani auctore.

Varietate uariae historiae unicuique de proximis eius fontibus cogitanti efficiuntur magnae difficultates. Accedit quod Aelianus aeque ac ceteri compilatores eos quos primarios duces secutus est dedita opera reticet, et quod inter omnes scriptores ueteres· quorum quidem uolumina aetatem tulerunt neminem uidebimus ad uariam historiam conficiendam adhibitum esse nisi unum; dico Athenaeum. Hercle tantis rei angustiis consilii inopes detineremur, nisi hac affinitate tanquam tutissimo praesidio adiuti quomodo Aelianus fontibus suis usus esset dilucide perspiceremus. Itaque Aelianum cum Athenaeo qua potui diligentia comparaui.

En congruentiae quae huic cum illo intercedit conspectus, in quo ea capita Aeliani quae ab Athenaei locis similibus adeo discrepant, ut inde repeti nullo modo possint, asterisco notabo.

u. h. I, 14		Ath. IX p. 393 cd.	
u. h. I, 15		Ath. IX p. 393—395 a.	
	*u. h. I, 17		Ath. XI p. 782 b.
	*u. h. I, 19		Ath. XII p. 526 a.
u. h. I, 24		Ath. X p. 411—412 b.	
u. h. I, 26		Ath. X p. 415 ab.	
u. h. I, 27		Ath. X p. 415 b—416 d.	
	*u. h. II, 4		Ath. XIII p. 602 abc.
	*u. h. II, 10		Ath. X p. 419 cd.
u. h. II, 18		Ath. X p. 419 cd.	
u. h. II, 37		Ath. X p. 429 a.	
u. h. II, 38		Ath. X p. 429 ab (cf. X p. 440 e—441 a).	
u. h. II, 40		Ath. X p. 429 d.	

---

1) Vide cap. XVIII.

u. h. II, 41	Ath. X p. 435d—440d.
*u. h. III, 11	Ath. IV p. 157cd et
	Ath. XV p. 687ef.
u. h. III, 13	Ath. X p. 442b.
u. h. III, 14	Ath. X p. 442cd.
u. h. III, 15	Ath. X p. 442d—443b.
*u. h. III, 18	Ath. II, p. 45c
*u. h. III, 20	Ath. XIV p. 657bc et
	Ath. IX p. 384a.
*u. h. III, 23	Ath. X p. 434b.
*u. h. III, 30	Ath. XIV p. 622d.
*u. h. IV, 6	Ath. VI p. 254b.
u. h. IV, 22	Ath. XII p. 512bc.
u. h. IV, 23	Ath. XII p. 533cd, 536f, 537c.
u. h. IV, 25	Ath. XII p. 554ef.
u. h. V, 9	Ath. VIII p. 354ab.
*u. h. V, 12	Ath. VI p. 251b.
*u. h. VI, 12	Ath. X p. 435e.
u. h. VII, 2	Ath. XII p. 531a—e.
u. h. VIII, 7	Ath. XII p. 538b—f.
u. h. IX, 3	Ath. XII p. 539c-f.
u. h. IX, 8	Ath. XII p. 541c—e.
u. h. IX, 9	Ath. XII p. 542b—e.
u. h. IX, 11	Ath. XII p. 543c—f.
u. h. IX, 12	Ath. XII p. 547a.
u. h. IX, 13	Ath. XII p. 549a-c.
u. h. IX, 14	Ath. XII p. 552b.
*u. h. IX, 32	Ath. XIII p. 591b.
*u. h. IX 30 et 37	Ath. VI p. 250f.
u. h. X, 6	Ath. XII p. 551b—552e.
*u. h. X, 9	Ath. VI p. 239f, 241e,
	246a et I p. 5 et 6.
*u. h. X, 22	Ath. VI p. 251a.
*u. h. XI, 9	Ath. VI p. 273a.
u. h. XI, 12	Ath. XIV p. 643f.
*u. h. XII, 1	Ath. XIII p. 576d.
*u. h. XII, 10	Ath. VI p. 272d.
u. h. XII, 13	Ath. XIII p. 584de.
*u. h. XII, 17	Ath. XIII p. 577c.
	Ath. III p. 101e.
	Ath. IV p. 128b.
*u. h. XII, 18	Ath. XIII p. 596e.
*u. h. XII, 22	Ath. X p. 412ef.

*u. h. XII, 23	Ath. IV p. 154a—c. Ath. IV p. 151e. Ath. VI p. 246cd. Ath. XIII p. 603a.
u. h. XII, 24	Ath. XII p. 541bc (et Ath. VI p. 273bc).
*u. h. XII, 31	Ath. I p. 10a, 28ef, 31b et e, 32b et e; Ath. X p. 440c—f.
*u. h. XII, 40	Ath. II p. 45b.
*u. h. XII, 44	Ath. I p. 6f.
*u. h. XII, 51	Ath. VII p. 289d—f.
*u. h. XIII, 5	Ath. XIII p. 602f.
*u. h. XIII, 6	Ath. I p. 31f.
*u. h. XIII, 32	Ath. XIII p. 588d. Ath. V p. 220e.
u. h. XIV, 7	Ath. XII p. 550cd.
*u. h. XIV, 9	Ath. XI p. 507a et e.
*u. h. XIV, 14	Ath. VIII cc. 40—46.
*u. h. XIV, 21	Ath. XIII p. 597b.
u. h. XIV, 23	Ath. XIV p. 623f—624a.
*u. h. XIV, 26	Ath. VIII p. 340f.
*u. h. XIV, 29	Ath. VI p. 233f.
*u. h. XIV, 35	Ath. XIII p. 570b—e, 582cd, 587e, 589a.
*u. h. XIV, 39	Ath. II p. 48e.
*u. h. XIV, 46	Ath. IV p. 173f.

Adspicis rem satis mirabilem; certam describendi rationem in illa historiolarum Aeliani perturbatione et quasi chao. Etenim ordo quo singulae narrationes apud Athenaeum se excipiunt in uaria historia fere seruatus est.

Age uero uideamus quae sint consectaria. Ac primum quidem id quod Perizonius docuit, Aelianum ex illo non pauca hausisse, iam extra omnem dubitationis aleam positum est. Nam illa conspicua conuenientia cur non potius ad communem quendam fontem reuocanda esset etiam post eius in Aelianum merita quaeri potuit. Nunc, ut res quidem utrimque pariter exhibitas tertio cuidam auctori uindicare tibi liceat, num quam hic cum illo communem habet seriem narrationum ad eundem referes?

Deinde quoniam Aelianum uestigiis eius inhaesisse constat, quorsum id pertineat elucet. Certe enim illos XXVIII locos quos eodem modo dispositos exhibet, quo Athenaeus, huic debet. E quorum numero duo ex eius libro nono, undecim ex decimo, quindecim ex duodecimo sumpti sunt. Sequitur hos tres certe libros ei ad manum fuisse. Item librum undecimum, quoniam inter decimum et duodecimum interpositus est. At enim noli in eo offendere quod huius uestigia in uaria historia plane desiderantur. Nempe taeduit eum istas putidas poculorum commentationes, quibus eius capita I—CX continentur, transcribere. Quod uero quae extremi libri capitibus CX—CXX in Platonem afferuntur criminationes ab eo praetermissae sunt, quandoquidem huius philosophi magna in eo erat admiratio[1]), etiam minus est cur miremur.

Iam ut libros Athenaei IX X (XI) XII ei praesto fuisse certum est, ita ceteri in usum uariae historiae non sunt conuersi; neutiquam libri I—VII et XV, id quod comparatione utriusque florilegii supra instituta compertum habemus. Quin ne reliquorum quidem librorum rationem, octaui, decimi tertii, decimi quarti, quamquam singulis aut binis lemmatis ad uariam historiam accedunt, ab illis diuersam esse patebit si demonstrauero

u. h. V, 9 non esse ex Ath. VIII p. 354ab.
u. h. XII, 13 non esse ex Ath. XIII p. 584de.
u. h. XI, 12 non esse ex Ath. XIV p. 643f.
u. h. XIV, 23 non esse ex Ath. XIV p. 623f—624a.

Quorum locorum communis haec est condicio, ut neque ad Athenaei libros IX X XII faciant, nec secundum eum ordinem quo is sua disposuit et quem Aelianus XXVIII lemmata mutuans religiose tenuit in uaria historia collocati sint. Hos ego ut Athenaeo abiudicandos esse censeam cum hac ipsa causa tum peculiaribus quae accedunt momentis adducor.

Quod enim ad δειπνοσοφιστῶν librum XIII attinet, Aelianus excepto libri XII capite 13 ubicumque historiolas de mere-

1) Velut cf. u. h. II, 18, III, 19, IV, 9, X, 21, XII, 45.

tricibus uariis suis immiscuit cum illo non cohaeret. Neque enim quod u. h. XII, 5 tradit Laidi cognomen Axinae fuisse, nec quod XII, 17 de Lamia et Demetrio, nec quod XII, 62 de Archedica eiusque amatore, nec quod XIII, 9 de Lamia et Lysandro, neque quod XIII, 33 de Psammeticho et Rhodopi refert ex Athenaeo habet. Quod autem u. h. XIII, 32 de Socratis cum Theodota et Callisto meretricibus colloquio affertur tantummodo partim cum Ath. XIII p. 588d et V p. 220e conferri potest. Iam si illum librum luculentissimis facetiarum lasciuiarumque copiis instructum manibus triuisset, quomodo fieri potuit, ut, cum saepius de istis mulierculis ageret, tantum unam fabellam inde excerperet?

Quodsi librum decimum tertium non consultauit, quartum decimum ab eo esse inspectum haud ita ueri est simile. Cuius cum pagina 643f. comparari potest u. h. XI, 12, quamquam non omni ex parte congruit. Nam cum Socrates ab Alcibiade placentam obtinuisse et hic et illic narretur, apud Aelianum haec exstant: *ἡ Ξανθίππη ῥίψασα* (sc. *τὸν πλακοῦντα*) *ἐκ τοῦ κανοῦ κατεπάτησε. γελάσας δὲ ὁ Σωκράτης Οὐκοῦν, ἔφη, οὐδὲ σὺ μεθέξεις.* Apud Athenaeum: *ὃν Ξανθίππης καταγελασάσης ὁ Σωκράτης Οὐκοῦν, ἔφη, οὐδὲ σὺ μεθέξεις τούτου.* Magis conueniunt u. h. XIV, 23 et Ath. XIV p. 623f—624a, ubi legimus Cliniam Pythagoreum et Achillem iram cithara sedare solitos esse. — Contra discrepant inter se quae praeterea conferri possunt u. h. III, 20 et Ath. XIV p. 657bc. Cum enim similitudo horum locorum in eo uersetur, ut rex Lacedaemoniorum in terram transmarinam ablegatus cibos quosdam delicatiores ipsi oblatos repudiasse et seruis dari iussisse utrobique tradatur, hic rex apud Athenaeum est Agesilaus Thasum missus, in uaria historia Lysander in Ionia moratus. Ad extremum u. h. III, 30 et Ath. XIV p. 622d non concinunt nisi nomine Amoebei citharoedi.

Qui octauo libro cum uaria historia est consensus his finibus continetur: conspirat, ut dixi, Ath. VIII p. 354ab cum u. h. V, 9, ubi narratur Aristotelem, antequam philosophiae se addiceret, stipendia meruisse et pharmacopolam fuisse. Nulla

praeterea utriusque affinitas, nisi quod u. h. XIV, 14 et Ath. VIII cc. 40—46 de Stratonico citharoedo, u. h. XIV, 26 de Antagora homine maledico, Ath. VIII p. 340f de eodem helluone diuersum in modum agitur. Iam ut quae de philosophis per uariam historiam leguntur paene omnia aliunde in eam deuenerunt neque ex Athenaeo, ita et ipsum illud caput, quo Aristoteles carpitur, ab alio quodam fonte multo aptius repetitur.

Quid multa? Si tota quae proxime antecessit expositio circumspicitur, quantopere manifesta illa necessitudo quae inter uariam historiam et libros IX X XII intercedit ei repugnet qua libros VIII XIII XIV cum illa cohaerere modo uidimus, in propatulo est. Ut igitur, unde egressa est, reuertatur argumentatio, quae in u. h. V, 9, XI, 12, XII, 13, XIV, 23 exstant, licet eadem in Athenaei sermonibus conuiualibus inueniantur, tamen originem inde non traxisse cognouisse mihi uideor.

Quae cum ita sint, si conceditur libros I—VIII et XIII—XV ad uariam historiam conflandam adhibitos non esse, eos Aeliano ne praesto quidem fuisse consentaneum est. Unde discere uidemur *δειπνοσοφιστῶν* uolumina, si non singula deinceps prodierunt, at certe singillatim apud librarios fuisse uenalia.

Ceterum me non fugit ordinem quo Athenaeus sua collocauit ab Aeliano bis paulum inflexum esse. Primo enim loco, si tabulam supra adscriptam respexeris, eum, postquam uariae historiae libri X caput 6 exarans Athenaei paginam 552e in describendo assecutus est, in libri XII capite 24 et libri XIV capite 7 ad eius paginas 541bc et 550cd regressum esse agnosces. Sed non est quod in ea re haereamus. Immo uero nouum inde euadit argumentum quo eum tertii decimi libri *δειπνοσοφιστῶν* expertem fuisse euincatur. Qui si ei ad manum fuisset, huius recentibus lenociniis uti quam finem libri duodecimi modo exhausti iterum adire procul dubio maluisset.

Dein idem quamquam primariam quae in Athenaei libro XII est argumenti continuationem inde a u. h. VII, 2 cum religione tenet, antea u. h. IV, 22, 23, 25 transcribens ab ea recessit, si quidem e numero capitum quae dixi primum a libri

XII initio, alterum a media parte, tertium a fine mutuatus est. En quam praeclara fiat occasio quasi officinae compilatoris introspiciendae. Namque tentasse uidetur iucunditatem illius fontis, antequam placeret eum deinceps exhaurire.

Quod igitur obseruaui Aelianum, cum illo Naucratita uteretur, uia et ratione grassatum esse iis ipsis quae contra facere uideri potuerunt confirmatur.

Quoniam totum Aeliani cum Athenaeo consensum quatenus et in uniuersum pertineret et ad hunc reuocandus esset circumspeximus, parti quidem huius fontium explorandorum muneris uidetur satisfactum esse.

Verum redundant ex ratione quae inter utrumque intercedit efficacissima quaedam tam ad hanc quam ad alias quaestiones praesidia. Vidimus enim Aelianum quattuor fabellas quamquam illi non debet tamen cum eo habere communes. Porro, ut alia praeteream, quae exstant in u. h. II, 4 de Melanippi et Charitonis mutua amicitia, in u. h. III, 23 de Alexandri ante mortem ipsam uinolentia, in u. h. XII, 1 de Aspasia, Cyri amica, in u. h. XII, 51 de Menecrate medico, qui se Ioui parem esse putasse dicitur, etiam uberiora sunt quam qui deinceps iis respondent Athenaei loci XIII p. 602ab, X p. 434b, XIII p. 576d, VII p. 289d. Quid ergo? Nonne utrumque scriptorem ad communem quendam fontem recedere in promptu est? Itaque ex his quaestionibus Aelianeis aliquid lucis ad *δειπνοσοφιστῶν* origines excutiendas exspectandum est. De quibus infra [1]) disputabitur. Altera ex parte nisi copia esset uariam historiam cum illo florilegio contendendi, quomodo Aelianus auctores suos adhibuisset plane in incerto relinqueretur.

IV. Qua ratione Aelianus Athenaeo usus sit.

Quod ut ante oculos proponatur, exempli gratia unum locum uariae historiae ex Athenaeo translatum et eum Athenaei unde translatus est e regione adscribam.

---

1) Vide cap. XVI.

V. h. I, 15:

Ἐκ διαδοχῆς φασὶν ἐπῳάζειν τὰς περιστεράς. εἶτα τῶν νεοττῶν γενομένων ὁ ἄρρην ἐμπτύει αὐτοῖς, ἵνα μὴ βασκανθῶσι. τίκτει δὲ ᾠὰ δύο ἡ θήλεια, ὧν τὸ μὲν πρῶτον ἄρρεν ποιεῖ πάντως, τὸ δὲ δεύτερον θῆλυ. τίκτουσι δὲ αἱ περιστεραὶ κατὰ πᾶσαν ὥραν τοῦ ἔτους· ἔνθεν τοι καὶ δεκάκις τοῦ ἔτους ὠδίνουσι. λόγος δέ τις περίεισιν Αἰγύπτιος, λέγων δωδεκάκις τὰς ἐν Αἰγύπτῳ τίκτειν. λέγει δὲ Ἀριστοτέλης καὶ διάφορον εἶναι τῆς περιστερᾶς τὴν πελειάδα. τὴν μὲν γὰρ περιστερὰν εἶναι μείζονα, τὴν δὲ πελειάδα βραχυτέραν, καὶ τὴν μὲν περιστερὰν τιθασὸν γίνεσθαι, τὴν δὲ οὔ. λέγει δὲ ὁ αὐτὸς μὴ πρότερον ἐπιβαίνειν τὸν ἄρρενα τῇ θηλείᾳ πρὶν ἢ φιλῆσαι αὐτήν· μὴ γὰρ ἀνέχεσθαι τὰς θηλείας τὴν τῶν ἀρρένων ὁμιλίαν τοῦ φιλήματος ἔρημον. προστίθησι δὲ τούτοις καὶ ἐκεῖνο, ὅτι καὶ αἱ θήλειαι ἀλλήλας ἀναβαίνουσιν, ὅταν τῆς πρὸς ἄρρενα μίξεως ἀτυχήσωσι· καὶ οὐδὲν μὲν ἐς ἀλλήλας προΐενται, τί-

Athen. IX pag. 393f — 395a: *ΦΑΣΣΑΙ.* Ἀριστοτέλης φησὶ περιστερῶν μὲν εἶναι ἓν γένος, εἴδη δὲ πέντε, γράφων οὕτως ‘περιστερά, οἰνάς, φάψ, φάσσα, τρυγών’ κτλ.

p. 394b: ἐπῳάζει δ' ἐκ διαδοχῆς πᾶν τὸ περιστεροειδὲς γένος, καὶ γενομένων τῶν νεοττῶν ὁ ἄρρην ἐμπτύει αὐτοῖς, ὡς μὴ βασκανθῶσι. τίκτει δὲ ᾠὰ δύο, ὧν τὸ μὲν πρῶτον ἄρρεν ποιεῖ, τὸ δὲ δεύτερον θῆλυ. τίκτουσι δὲ πᾶσαν ὥραν τοῦ ἔτους. διὸ δὴ καὶ δεκάκις τοῦ ἐνιαυτοῦ τιθέασιν· ἐν Αἰγύπτῳ δὲ δωδεκάκις. τεκοῦσα γὰρ τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ συλλαμβάνει. ἔτι ἐν τῷ αὐτῷ φησὶν Ἀριστοτέλης ὅτι περιστερὰ ἕτερον πελειὰς δ' ἕτερον καὶ ὅτι ἡ πελειὰς ἔλαττον καὶ τιθασὸν γίνεται, περιστερὰ δὲ καὶ μέλαν καὶ μικρὸν καὶ ἐρυθρόπουν καὶ τραχύπουν· διὸ οὐδεὶς τρέφει. ἴδιον δὲ λέγει τῆς περιστερᾶς τὸ κυνεῖν αὐτὰς ὅταν μέλλωσιν ἀναβαίνειν, ἢ οὐκ ἀνέχεσθαι τὰς θηλείας. ὁ δὲ πρεσβύτερος, φησί, καὶ προαναβαίνει μὴ κύσας· οἱ δὲ νεώτεροι ἀεὶ τοῦτο ποιήσαντες ὀχεύουσιν. καὶ αἱ θήλειαι ἀλλήλαις ἀναβαίνουσιν, ὅταν ἄρρην μὴ παρῇ, κυνήσασαι. καὶ οὐδὲν προϊέμεναι εἰς ἀλλήλας τίκτουσιν ᾠά, ἐξ

κτουσι δὲ ᾠά, ἐξ ὧν νεοττοὶ οὐ γίνονται αὐταῖς. εἰ δέ τι Καλλιμάχῳ χρὴ προσέχειν, φάτταν καὶ πυραλλίδα καὶ περιστερὰν καὶ τρυγόνα φησὶ μηδὲν ἀλλήλαις ἐοικέναι.

Ἰνδοὶ δέ φασι λόγοι περιστερὰς ἐν Ἰνδοῖς γίνεσθαι μηλίνας τὴν χρόαν. Χάρων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς περὶ τὸν Ἄθω φανῆναι περιστερὰς λευκὰς λέγει, ὅτε ἐνταῦθα ἀπώλοντο αἱ τῶν Περσῶν τριήρεις περικάμπτουσαι τὸν Ἄθω.

ἐν Ἔρυκι δὲ τῆς Σικελίας, ἔνθα ἐστὶν ὁ τῆς Ἀφροδίτης νεὼς σεμνός τε καὶ ἅγιος, κατά τινα καιρὸν θύουσιν οἱ Ἐρυκινοὶ τὰ

ὧν οὐ γίγνεται νεοττός. οἱ δὲ Δωριεῖς τὴν πελειάδα ἀντὶ περιστερᾶς τιθέασιν, ὡς Σώφρων ἐν γυναικείοις. Καλλίμαχος δ' ἐν τῷ περὶ ὀρνέων ὡς διαφόρους ἐκτίθεται φάσσαν πυραλλίδα περιστερὰν τρυγόνα. ὁ δὲ Μύνδιος Ἀλέξανδρος οὐ πίνειν, φησί, τὴν φάσσαν ἀνακύπτουσαν, ὡς τὴν τρυγόνα. καὶ τοῦ χειμῶνος μὴ φθέγγεσθαι, εἰ μὴ εὐδίας γενομένης. λέγεται δέ, ὅτι ἡ οἰνὰς ἐὰν φαγοῦσα τὸ τῆς ἰξίας σπέρμα ἐπί τινος ἀφοδεύσῃ δένδρου, ἰδίαν ἰξίαν φύεσθαι. Δαΐμαχος δ' ἐν τοῖς Ἰνδικοῖς ἱστορεῖ περιστερὰς μηλίνας γίνεσθαι ἐν Ἰνδοῖς. Χάρων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς ἐν τοῖς Περσικοῖς περὶ Μαρδονίου ἱστορῶν καὶ τοῦ διαφθαρέντος στρατοῦ Περσικοῦ περὶ τὸν Ἄθω γράφει καὶ ταῦτα· ʽκαὶ λευκαὶ περιστεραὶ τότε πρῶτον εἰς Ἕλληνας ἐφάνησαν, πρότερον οὐ γιγνόμεναιʼ. ὁ δ' Ἀριστοτέλης φησὶν ὡς αἱ περιστεραὶ γιγνομένων τῶν νεοττῶν τῆς ἁλμυριζούσης γῆς διαμασησάμεναι ἐμπτύουσιν αὐτοῖς διοιγνῦσαι τὸ στόμα, διὰ τούτου παρασκευάζουσαι αὐτοὺς πρὸς τὴν τροφήν. τῆς δὲ Σικελίας ἐν Ἔρυκι καιρός τις ἐστὶν ὃν καλοῦσιν Ἀναγωγάς· ἐν ᾧ φασι τὴν θεὸν εἰς Λιβύην ἀνάγεσθαι.

Ἀναγώγια καὶ λέγουσι τὴν Ἀφροδίτην ἐς Λιβύην ἐκ Σικελίας ἀνάγεσθαι. τότε οὖν ἀφανεῖς ἐκ τοῦ χώρου αἱ περιστεραὶ γίνονται, ὥσπερ οὖν τῇ θεῷ συναποδημοῦσαι. κατά γε μὴν τὸν λοιπὸν χρόνον πάμπολύ τι πλῆθος τῶνδε τῶν ὀρνίθων ἐπιπολάζειν τῷ νεῷ τῆς θεοῦ ὡμολόγηται.	τότ' ουν αἱ περὶ τὸν τόπον περιστεραὶ ἀφανεῖς γίνονται, ὡς δὴ τῇ θεῷ συναποδημοῦσαι. καὶ μεθ' ἡμέρας ἐννέα, ἐν τοῖς λεγομένοις Καταγωγίοις, μιᾶς προπετασθείσης ἐκ τοῦ πελάγους περιστερᾶς καὶ εἰς τὸν νεὼν εἰσπτάσης, παραγίνονται καὶ αἱ λοιπαί. ὅσοι οὖν τότε περιουσίας εὖ ἥκουσι τῶν περιοίκων, εὐωχοῦνται· οἱ δὲ λοιποὶ κροταλίζουσι μετὰ χαρᾶς. ὄζει δὲ πᾶς ὁ τόπος τότε βούτυρον, ᾧ δὴ τεκμηρίῳ χρῶνται τῆς θείας ἐπανόδου. Αὐτοκράτης δ' ἐν τοῖς Ἀχαϊκοῖς καὶ τὸν Δία ἱστορεῖ μεταβαλεῖν τὴν μορφὴν εἰς περιστερὰν ἐρασθέντα παρθένου Φθίας ὄνομα ἐν Αἰγίῳ.
Ἀχαϊκοὶ δὲ αὖ πάλιν λέγουσι λόγοι καὶ τὸν Δία αὐτὸν μεταβαλεῖν τὴν μορφὴν ἐς περιστεράν, ἐρασθέντα παρθένου Φθίας ὄνομα. ἐν Αἰγίῳ δὲ ᾤκει ἡ Φθία αὕτη.	

In aperto est compilatoris imago et ipsa argutissima de se testis et in uniuersum talis qualis a Perizonio adumbrata est. Quam tamen liceat mihi iam accuratius depingere.

Aelianus Athenaei euadit et epitomator et ut ita dicam descriptor. Contraxit eius uerba imprimis u. h. I, 27, ubi homines uoraces, II, 41, ubi potatores, III, 15, ubi nationes uino deditae, X, 6, ubi homines graciles enumerantur. Purum putum descriptorem se praebet ceteris locis illi debitis. Quod uero summi ad fontes uariae historiae indagandos erit momenti, confirmatum est id quod iam Perizonius uidit, eum de suo nihil addidisse rerum. Quamquam sunt paucula quibus Athenaeo copiosior sit. Quod enim in u. h. II, 41 legitur, Ionem poetam patria fuisse Chium, Xenocratem fuisse Chalcedonium, oraculo Aegyptio quod memoratur nomen esse Buto, dein quod in IX, 8

est, Corinthi quidem Dionysium exsulem degisse, quod in X, 6, Philetam poetam fuisse epicum, denique in IX, 13 et XII, 24 haec uerba: *οἱ δὲ οὐ κιβωτόν φασιν ἀλλὰ πυργίσκον* et *καὶ ἁλιέας χιλίους* illic non exstant. Sed ne cui in mentem ueniat ex his additamentis repetere argumenta quibus eum illo usum esse neget, quod Aelianus de Buto et de Corintho adnotauit ei ipsi tum cum adnotabat notum fuisse monuerim, si quidem e capite 40 libri XI animalium historiae, quam ante uaria confectam esse infra uidebimus, eum Alexandriae peregrinatum fuisse comperimus, et idem iam u. h. VI, 12 de Dionysii exitu miserabili agens his uerbis usus est: *καὶ ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς Ἑλλάδος ἀσχημονῶν διετέλει.* Ceterae discrepantiunculae, si non ad Aelianum ipsum reuocandae sunt, fieri potest ut aut integriori cuidam sermonum conuiualium editioni aut interpreti uariae historiae debeantur. — In errores eum inter describendum nonnumquam delapsum esse Perizonius[1] uere animaduertit. Eodem spectant in u. h. III, 15 uerba *ὅτι ἐφεῖται τοῖς ἐν τῷ συνδείπνῳ παροῦσι ξένοις προπίνειν ταῖς γυναιξίν, ἕκαστον ᾗ ἂν βούληται*; qua enim erat neglegentia pro uerbis *καὶ καλὸν αὐταῖς προπίνειν οἷς ἂν τύχωσι τῶν παρόντων* (Ath. X p. 443 a) legit *καὶ καλὸν αὐτοῖς προπίνειν αἷς ἂν τύχωσι,* unde factum est, ut sententiam apposuerit ei quae apud Athenaeum exstat contrariam. — Furatus est illi non tantum res et uerba, sed etiam dispositionem. Non enim seriem solum capitum quae in *δειπνοσοφισταῖς* est seruauit[2], sed etiam enuntiata singula ex ordine transcripsit. Auctorum laudandorum euadit minime studiosus. Nam cum Athenaeus iis locis quos Aelianus ab eo mutuatus est octogies ad eos quibus sua debet prouocet, hic ex illo pendens duodecim scriptorum nomina ut forte calamo se obtulerant in librum suum transferre satis habuit. Socordiae obnoxius est in III, 14 Damonem et in IX, 11 Parrhasii epigrammata antestatus. Ceteroqui quae illic inuenerat diserta fontium indicia his ambagibus uerborum circuiit: *Ἀχαϊκοὶ δὲ αὖ πάλιν λέγουσι λόγοι, ὥς*

1) Ad u. h. IV, 23, VIII, 7, IX, 9. 2) Cf. p. 14.

φασι, λόγος ἔχει, λόγος δὲ ἐκεῖνος περίεισιν, ἀκούω, ὃ δὲ ἔγνων, τοῦτο εἶπον. Quid quod Athenaeum, quem primarium ducem secutus est, nusquam commemorat. Num casu factum est, ut eius nomen reticeret? Immo memoria eius exstincta suae doctrinae speciem augere dedito instituto conatus est. Namque ad eam arrogantiam interdum progressus est, ut quae ex illius opere deprompsit de suo attulisse uideri studeret. Velut quamuis Athenaei uestigiis insisteret, haec ad se reuocare non dubitauit:

u. h. XIV, 23: *δοκεῖ δέ μοι ὁ ἐν Ἰλιάδι Ἀχιλλεὺς ὁ τῇ κιθάρᾳ προσᾴδων . . . τὴν μῆνιν κατευνάζειν.*

u. h. III, 15: *τό γε μὴν ὑπὲρ τῶν Θρᾳκῶν, ἀλλὰ τοῦτο μὲν καὶ διαβεβόηται ἤδη καὶ διατεθρύληται, ὡς εἰσὶ πιεῖν δεινότατοι.*

u. h. II, 38: *τί δὲ οὐκ ἂν εἴποιμι καὶ τὸν Ῥωμαίων νόμον; καὶ πῶς οὐκ ὀφλήσω δικαίως ἀλογίαν, εἰ τὰ μὲν Λοκρῶν καὶ Μασσαλιωτῶν καὶ τὰ Μιλησίων διὰ μνήμης ἐθέμην, τὰ δὲ τῆς ἐμαυτοῦ πατρίδος ἐάσω;*

Varietatis studium quantum in eo fuerit et e uariae historiae inscriptione et ex indole tam huius quam animalium historiae elucet. Quod ipse professus est in epilogo huic subiecto sic locutus: *ἀνέμιξα δὲ καὶ τὰ ποικίλων* (sc. *ζῴων*) *ποικίλα καὶ ὑπὲρ πολλῶν διεξῆλθον.* Neque mirum est, quod idem comparatione uariae historiae cum Athenaeo comprobatur. Etenim illae XXVIII historiolae e tribus libris sermonum conuiualium sumptae per decem libros uariorum digestae sunt, de quibus quinae incidunt in libros primum et alterum, trinae in tertium et quartum, singulae in septimum, octauum, decimum, duodecimum, quartum decimum, septem in nonum. Quae cum in uniuersum, ut per libros uariae historiae dispositae inueniuntur, ita alterae alteris uicinae sint, quater singulis capitibus diuersae originis sunt disiunctae, quandoquidem u. h. I, 25, II, 39, IV, 24, IX, 10, qui loci inter lemmata ex Athenaeo deriuata interpositi sunt, ex Athenaeo non emanauerunt. Itaque ratio Aeliani sic nobis uidetur animo esse fingenda, ut ex aliquot uoluminibus ante oculos euolutis, qua forte excerpendi

libidine ferretur, modo hoc modo illud inspexerit, unde uarietas uariae historiae ducenda est; ut uero idem ad libros consultatos reuersus in quibus capitibus describens antea constitisset, inde ex iis describere perrexerit, in quo positum esse puto illud quod cognouimus, eum uia et ratione grassatum esse.

Neque uero scribae instar mercede conducti quae apud illum legerat uerbotenus transtulit, sed ornamentis rhetoricis identidem adspersit. Velut etiam illam enumerationem hominum ebriosorum per se ieiunissimam quae est in u. h. II, 41, quam uarie conformauit, hunc in modum singula exempla petulantiae conectens: *τίθει μετὰ τούτων καὶ .... οὐ χρὴ ἀπὸ τούτων τάττειν ... καὶ οὗτος ἀκρατῶς ἐδίψη οἴνου πίνειν ... καὶ οὗτος ἦν τοῦ πίνειν δοῦλος ... καὶ οὗτος σὺν τούτοις τετάχθω ... καὶ οὗτος εἴθιστο ἀκρατῶς ... τί τοῦτον ἐάσομεν, καὶ ἐκεῖνον πιεῖν γενόμενον δεινόν;* Nimirum peritiam suam sermonis Graeci ob id ipsum quod in eo natiua non erat illius uerbis mutandis, amplificandis, circueundis et exercere et firmare et probare studuit. Ceterum orationem Athenaei ab eo in deterius conuersam esse contendi nequit; immo laudem habet sententiarum perspicuitas, in qua elaborauit, si quidem salebras quasdam in quibus illius uerba haerere uiderat ipse in u. h. VIII, 7 [1]) et IX, 13 [2]) euitauit. Ut igitur in praefatione hist. an. *ἐγὼ δέ*, inquit, *ἐμαυτῷ ταῦτα, ὅσα οἷόν τε ἦν, ἀθροίσας καὶ περιβαλὼν αὐτοῖς τὴν συνήθη λέξιν, κειμήλιον οὐκ ἀσπούδαστον ἐκπονῆσαι πεπίστευκα*, ita ad uariam historiam componendam de suo duo studia attulit, et eligendi et oratione propria adornandi. Quae cum ita sint, elocutio saltem maiore ex parte eius est, id quod in dubium uocari potuit.

V. Athenaeo cum uaria historia comparato quid de auctoribus Aeliani profecerimus.

Iam is Aelianus qui Athenaeum hominem paene aequalem mala fide excerpsit idem sedulus inuestigator antiquitatis esse

1) Dico uerba *καὶ ἐγένετο τὰ δεῖπνα πρὸς σάλπιγγα κτλ.*, quae, ut obscuritatem eorum quae apud illum respondent effugeret, ipse finxit.

2) Cf. uerba *εἰ δὲ ἀφίκετο τὸ βέλος κτλ.* cum loco congruo Athenaei.

non potuit. Itaque Perizonius ad duces et principes litterarum Graecarum eum adscendisse perperam uidetur opinatus esse. Atque ut per Athenaeum frusta Charonis Lampsaceni, Ctesiae, Theopompi, Nymphidis, Duridis, Phylarchi, Alcmanis, Menandri, multorum aliorum in uariam historiam deuenerunt neque ex his ipsis, ita ne ceteros quidem priscae memoriae scriptores, ut Herodotos, Isocrates, Platones, quamquam ei materiam suppeditauerunt, ab eo consultatos esse probabile est. Ergo ad deriuatos quosdam fontes Athenaei similes deducimur.

Ceteroqui ueterum auctorum uolumina num ab eo inspici potuerint ualde ambigitur. Scilicet Alexandri Seueri temporibus, quandoquidem quinque uel sex saeculis ante confecta erant, ita circumferri, ut cuilibet homini litteris imbuto prompta essent, certe iam pridem desierant. Si autem ex primario fonte quamque narrationem repetiisset, maxima bibliotheca ei opus fuisset neque prae multitudine uoluminum explicatorum domi habuisset, ubi sederet.

VI. *Quae ratio sit inter Aeliani uaria et ceteros quos nouimus ueterum libros.*

Ut uero tenebrae illustrentur quibus origines uariae historiae, si ab Athenaeo disceditur, obscuratae sunt, alia praesidia assumamus. Atque duabus quidem uiis incedendum est. Primum quae tempore praecedunt antiquitatis litterae et monumenta omnia, non solum libri seruati, sed etiam deperditorum reliquiae animo perlustrari et cum ea contendi debent. Altero loco quaerendum erit si quae fontium indicia ex uariis ipsis extricari possint.

Verum quod ad comparationem faciendam attinet, quoniam Aelianum ceteris auctoribus similiter atque Athenaeo usum esse consentaneum est, adsunt certa criteria quibus de necessitudinibus quae ei cum aliis intercedunt diiudicetur. Haec ego respiciens litteras ueterum cum uaria historia conferre suscepi. Quocumque autem me conuerti, de seruatis Graecorum Romanorumque libris ne unum quidem ad eam conflandam adhibitum esse praeter exspectationem cognoui. Atque

ut alios praeteream, qui maxime cum Aeliano conspirant Plutarchus, auctor apophthegmatum quae Plutarchi nomine feruntur, Diogenes Laertius, — Valerius Maximus, Plinius, Gellius ab eo manibus non tractati sunt. Longum est unumquemque scriptorem singillatim e numero auctorum eius primariorum remouere. Fidem postulo. Ut autem appareat, qua argumentandi ratione usus illud iudicium tulerim, aliquot exempla proferentur.

Conuenit u. h. II, 14 cum Herodoti l. VII capite 31; V, 11 cum Herod. VIII, 116; VIII, 17 cum Herod. VI, 24 et III, 133—137. Sed ut omittam quod hae tres tantummodo uariae historiae narrationes illi manifestius respondent eaeque uerbis haud leuiter ab eo dissociatae, Aelianus propterea quod in VIII, 17 coniuncta exhibet quae locis apud illum maximo interuallo disiunctis exstant, si quidem Athenaeo ex ordine usus est, illa capita quamuis Herodoto deberet tamen ex eo ipso non deprompsit.

Sunt in u. h. IV, 8 uicissitudinum fortunae exempla sex, nimirum ex uno eodemque fonte petita. Quorum alterum et tertium nomine Ellopidae addito ex Isocratis Archid. pp. 124—126, reliqua aliunde hausta sunt. Iam illos indices hominum uoracium, ebriosorum, gracilium, qui deinceps in u. h. I, 27, II, 41, X, 6 exstant ex uno Athenaeo excerptos esse recordati haec exempla ab Aeliano ex Isocrate aliisque auctoribus conquisita et conglutinata esse credere dubitabimus.

Eaedem clades Atheniensium et u. h. V, 10 et Isocr. de pace p. 176, 85—87 enarrantur. Sed locus Aelianeus pugna Chaeronensi memorata illo luculentior est; praeterea magis ex ordine compositus. Apud Isocratem enim detrimenta terra Atheniensibus illata recensentur mixta cum marinis, illic seorsus.

Aelianus u. h. VIII, 9 uerbis usus Platonis (Alcib. II p. 141 DE) narrat Archelaum Macedonum tyrannum interfectum esse a Crateua amasio; quem cum quattuor dies reipublicae praefuisset et ipsum insidiis esse sublatum. Dein uersu quodam Homerico interposito Aristotelem secutus (polit. V, 10 p. 1311b u. 6) prioris caedis causam subiungit. Gloriari autem

uidetur ipsum Platonem se legisse, ad *τύραννον* uocem quam exhibet haec adnotans: *οὕτω γὰρ Πλάτων αὐτὸν ὀνομάζει καὶ καὶ οὐ βασιλέα.* Glorianti num fidem addemus? Minime gentium. Nam quod locus de quo agitur tribus frustis diuersae originis continetur, coagmentandi munus maioris laboris est quam ut compilatori Athenaei imputetur. Et quod Crateuae mentio apud Platonem non occurrit sed Aristoteli debetur, num tanta eum sciendi cupidine inflammatum fuisse putabimus, ut illum ex hoc suppleret? Ceterum Aristotelem ab eo non inspectum esse non negabis si haec contuleris:

u. h. I, 1	Aristot. hist. an. VIII, 2 p. 590b u. 32sqq.; IX, 37 p. 622a u. 31; de anim. part. IV, 5 p. 679a u. 11.
u. h. I, 5	Arist. hist. an. IX, 37 p. 621a u. 12.
u. h. I, 6	Arist. hist. an. V, 33 p. 558a u. 11; cf. et u. 7sqq.
u. h. I, 8	Arist. hist. an. IX, 5 p. 611b u. 20.
u. h. I, 10	Arist. hist. an. IX, 6 p. 612b u. 1.
u. h. X, 3	Arist. hist. an. VI, 31 p. 579b u. 2.
u. h. XI, 5	Arist. pol. V, 4 p. 1303b u. 37.
u. h. XI, 8	Arist. pol. V, 10 p. 1311a u. 31.
u. h. VI, 6	Schol. ad Aristoph. Acharn. 320.
u. h. XIII, 16	Arist. mirab. ausc. CXXVII (139) Westerm.

Variorum libri primi capita 2, 3, 4, 7, 9, 11—13 ad Aristotelis libros de animalibus conscriptos omnino non quadrant, si quidem indicibus editioni Berolinensi subiunctis fides est.

Praeterea Platoni debentur quamquam ex eo ipso non sumpta sunt u. h. VIII, 1 (ex Theag. p. 128c. XI), u. h. VIII, 2 (ex Hipparch. p. 228BC), u. h. XIV, 5 (ex Ion. p. 541C); libri III capita 9 et 10 conuiuii paginis 178 et 179 obiter respondent.

De festiue dictis Pseudoplutarchi consentiunt Phocionis IX, Epaminondae XIII et XXI, Pelopidae I, Scipionis minoris I cum u. h. XI, 9; apophth. Lac. Agesilai LXX cum u. h. XII, 15; ap. Lac. Lycurgi VII cum u. h. XIII, 23. At in u. h. X, 9, XII, 15, XIII, 23—25, ubi deinceps enumerantur, qui gloria rerum gestarum florentes pauperes fuerint, qui cum pueris ludere non grauati sint, qui ex ipsorum institutis damna fecerint,

habemus quasdam exemplorum similium continuationes, quas non undique ab Aeliano compositas, sed ex uno eodemque auctore descriptas esse consentaneum est. Quae deberentur sane illis facetiarum libellis, qui Plutarchi nomine perperam inscripti sunt, si totae ad eos adaptatae essent. Nunc uero, quoniam partim tantum in eos cadunt, inde non fluxerunt.

Dicteria hominum clarorum quae libri XIII capitibus 37—43 congesta sunt maiore ex parte cum Pseudoplutarcho concinunt (cf. apophth. Alcib. III, V, VI, VII, Themist. V, Phoc. XVIII, Epam. XXIII, Timoth. I). Immo quattuor effata Alcibiadis in u. h. XIII, 38 aeque atque apud illum se excipiunt. Enimuero sunt ibidem duae sententiae eiusdem Alcibiadis, singulae Gelonis in 37, Ephialtis in 39, Themistoclis in 40 et 43, quae apud Pseudoplutarchum desunt. His omnibus animo perpensis, si imaginem Aeliani compilatoris Athenaeo adhibito patefactam respicimus, quae in u. h. XIII, 37—43 leguntur facete dicta et facta non ex apophthegmatis regum ducumque, sed e fonte quodam his cum uaria historia communi uidentur hausta esse.

An manis de Aeliano Plutarchi excerptore cogitare? Nempe congruunt iidem illi septem loci cum uit. Alcib. VII et XXII, Themist. XI et XVIII, Phoc. XXXVI, Sull. VI — de sui laude p. 540 D et praec. ger. reipubl. p. 799 E. Atqui ne premam discrimina quibus his repugnant, quod compluribus scriptis Plutarcheis respondent, Aelianus non is erat qui pauca deinceps capita apophthegmatis uirorum inclutorum expleturus multa uolumina sedulo inspiceret.

Neque Aelianus ipse sui euadit epitomator, id est uariae historiae conscribendae operam impendens usu libri de natura animalium abstinuit. Huic autem iudicio duo insunt axiomata, quibus ponitur et utrumque opus eiusdem auctoris esse, id quod Bernhardy in suspicionem uocauit, et si quidem eiusdem sunt, hunc ante illam confectum esse. Quae iam pro ueris habere mihi liceat sub finem [1]) huius dissertationis comprobaturo.

1) Vide cap. XIV.

Ael. u. h. I, 1	obiter conuenit cum Ael. h. a. I, 27, VII, 11.
u. h. I, 2	obiter conuenit cum h. a. I, 21, VI, 57.
u. h. I, 3	non conuenit cum h. a.
u. h. I, 4	totum plane conuenit cum h. a. VI, 53.
u. h. I, 5	obiter conuenit cum h. a. IX, 12.
u. h. I, 6	non conuenit cum h. a.
u. h. I, 7	non conuenit cum h. a.
u. h. I, 8	plane non conuenit cum h. a.
u. h. I, 9	plane conuenit cum parte libri V capitis 39; cf. IV, 18.
u. h. I, 10	omnino non conuenit cum h. a.
u. h. I, 11	plane conuenit cum parte libri VI capitis 41; cf. XI, 19.
u. h. I. 12	obiter conuenit cum h. a. II, 25.
u. h. I, 13	totum plane conuenit cum h. a. VI, 62.
u. h. I, 14	fere conuenit cum h. a. V, 34, XVII, 24.
u. h. I, 15	partim paene uerbotenus conuenit cum h. a. IV, 2; minus cum III, 45. Tamen uar. hist. l. I capita 14 et 15 ex Ath. IX pp. 393—395 sumpta sunt.
u. h. IX, 39	partim paene uerbotenus conuenit cum h. a. I, 6.
u. h. X, 3	in uniuersum deinceps conuenit cum h. a. IV, 12 et V, 33; extrema pars repugnat libri IV capiti 34.
u. h. XI, 3	totum conuenit cum particula libri VI capitis 1.
u. h. III, 30	totum ad uerbum conuenit cum h. a. VI, 1 extr.
u. h. XIII, 46	conuenit cum h. a. VI, 63; ut uero oratione tenuius, ita Patris Achaeorum memoratis hac narratione uberius est.
u. h. XIII, 5	obiter conuenit cum emblemate libri VI capitis 15.

Prima tredecim capita uariae historiae, quae continuo de animalibus sunt, redolent unum eundemque auctorem, qui generatim mores uirtutesque bestiarum exsecutus sit. Etenim in u. h. I, 1—6 exempla sunt natiuae cuiusdam animalium astutiae; capita 7—10 ita continentur, ut pertineant ad remedia ab animalibus aegrotis aut uulneratis adhibita. Capitibus 11

et 12 agitur de diuinatione murium et formicarum, a quo argumento ne caput 13 quidem alienum est, ubi a cane Gelon malis somniis oppressus dicitur excitatus metuque solutus esse. Itaque cum haec lemmata omnia artissime inter se cohaereant et quasi totum efficiant, capita 4 et 13, quamuis historiae animalium respondeant, propterea quod sola de illis tredecim in eam prorsus cadunt, inde non sunt petita.

Summa libri IX capitis 39 ea est, ut absurdi amores Xerxis, hominis cuiusdam Atheniensis, Glaucae citharistriae, Xenophontis Solensis, adulescentis cuiusdam Lacedaemonii recenseantur. E quorum numero tres, qui quidem extremo capite exhibentur, in historia animalium occurrunt paene iisdem uerbis enarrati. Aelianus uero, ut in loco uariorum laudato de Xerxe et de homine Atheniensi agens e libro quem ipse de bestiis condiderat non pendet, ita ne extrema quidem illa exempla ex eo in uaria sua transtulit.

Neque habeo, cur in cetero consensu utriusque historiae disserendo multus sim; nam adeo tenuis est, ut ad proximas origines uariae historiae in censum non ueniat; nisi quod sola u. h. l. XI caput 3 et l. III caput 30 cum h. a. VI, 1 apprime concinunt. Quoniam autem res ita se habet, illa libri de natura animalium cum uariis affinitas posita est in quodam communi fonte.

Restat, ut affirmem me fragmenta historicorum Graecorum Muelleriana etiam morosius peruestigantem quattuor tantummodo uel quinque locos uidisse ita cum farragine Aeliani congruere, ut ad ueras radices eius referri possint.

VII. De fontium indiciis ex Aeliano ipso petendis.

1.

Aelianus, praeterquam quod Athenaeum nusquam laudauit, ceteros quoque auctores, quibus usus est, reticere maluit quam diserte antestari in multifarias uerborum ambages digressus: u. h. I, 28: *ἐθέλω εἰπεῖν Ῥοδίαν δόξαν.* I, 29: *λέγουσι Κῴων παῖδες.* II, 32: *λέγουσί τινες λόγοι Πυθικοί.* III, 35: *λόγος διαρρεῖ καὶ οὗτος Ἀττικός.* IV, 28: *λέγουσι Δηλίων παῖδες.*

V, 21: λέγει τις λόγος. XIII, 1: λόγος οὗτος Ἀρκαδικός. XIII, 33: φασὶν Αἰγυπτίων λόγοι. XIV, 20: τοῦτο ἀνελεξάμην ἐν ἱστορίαις Συβαριτικαῖς. Neque ego, quandoquidem mala fides descriptoris satis superque explorata est, hoc iudicium facere dubito: quicumque scriptorum in uaria historia nominatur, ob id ipsum quod eius mentio fit, ad eam componendam non adhibitus est. Et consecutus est Aelianus quod uoluit; spissa caligine eius fontes primarii obruti sunt.

2.

Nunc quoniam Aeliani ipsius testimoniis destituti sumus, ad ratiocinationes refugiendum est. Ac primum quidem eos quorum curae in rebus Romanis disserendis uersatae sunt ab eo non esse consultatos inde efficitur, quod res patrias rarissime commemorat. Etenim si Graecorum colonias Italicas excipis, inter CCCCLXIV lemmata, e quibus ea uaria historia quam nos manibus terimus constat, modo XVII spectant ad Italiam Romanorumque historiam, instituta, mores; de quo numero VII[1]) tota, X[2]) partim ad argumentum quod dixi faciunt. In animalium autem historia, quae XVII libris continetur, res Romanas uel Italicas tantum XIV[3]) narrationibus adspersas esse uidi. Itaque Romanarum historiarum nec Romanos nec Graecos auctores, nec Liuios, Tacitos, nec Dionysios, Appianos ei materiam suppeditasse in promptu est.

Quin unumquodque uolumen Latinis litteris ante eum exaratum ab hac quaestione uidetur esse remouendum. Nam quamquam Aelianus Romanus fuit et hoc nomine in uariis suis adeo gloriatur[4]), in Graecae linguae exercitatione et peritia omnem laudem et ipse posuit et aequalium admirationem indidem consecutus est; ἠττίκιζε ὥσπερ οἱ ἐν τῇ μεσογαίᾳ Ἀθηναῖοι; his uerbis Philostratus[5]) Aeliani uitam exorsus grauissimam causam cur eam commemoratione dignam duceret signi-

1) V. h. VII, 11, 16, 21, IX, 16, XII, 11. 33, XIV, 36 (XII, 6).
2) V. h. II, 38, III, 17, 34, IV, 1, IX, 12, XI, 9, XII, 14, 25, 43, XIV, 45.
3) H. a. I, 38, II, 11, V, 21, 29, VIII, 4, IX, 11, 61, X, 22, XI, 15, 16, XII, 6, 33, XIII, 6, XIV, 8.
4) V. h. XII, 25, II, 38, XIV, 45.
5) Vit. soph. II, 31.

ficauit; quod autem Suidas eum *μελίγλωσσον* siue *μελίφθογγον* appellatum esse tradit, eodem spectat; ad hanc uero copiam facultatemque dicendi nimirum non Latinorum, sed Graecorum scriptorum lectione et usu peruenit; accedit quod Pausaniae Caesariensis [1]), sophistae Graeci, fuit discipulus, Herodis Attici admirator, et quod Philostratus in Graecorum rhetorum uitis de eo exposuit; Graecus sophista et esse et haberi uoluit: Graecorum hominum studium in eo conspicuum est; hos maxime a se amari aperte profitetur [2]); Graecarum mulierum laudibus ne quid detrahat, in Romanis celebrandis modum sibi constituit [3]); Graecos deos inuocat [4]); Hieronem cum *φιλέλληνα* appellat eruditum fuisse dicit [5]); Graecorum iudicio luctum quo Alexander Hephaestionem mortuum prosecutus est metitur [6]). Non igitur casu factum est id quod supra diximus, eum nec Valerium Maximum nec Plinium nec Gellium exscripsisse; quos, ut auctores ipsi accommodatissimos, si consilium habuisset litteras popularium suorum adeundi, in compilando uix potuit praeterire.

3.

Age uero cum libros ab Aeliano excerptos neque ad res Romanas multum pertinuisse neque Latine, sed Graece fuisse compositos didicisse uideamur, quaeramus quae temporum momenta per uariam historiam deprehendantur. Legimus in XII, 25 emolumento fuisse Apollonium Ciceroni, Areum Maecenati, Athenodorum Augusto. Eiusdem, nisi fallor, Athenodori libro *περὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς* inscripto assignanda sunt quae in XII, 15 de Archyta Tarentino narrantur [7]). —

1) Errauerunt Perizonius et Iacobsius in praefationibus Aelianum auditorem fuisse opinati eius Pausaniae cuius descriptionem Graeciae habemus. Nam Aelianus etsi in u. h. XII, 61 periegetam laudat (descr. Graec. VIII, 36, 6), eo neque usus est neque omnino ingenio eius similis erat. Verum Philostratus Pausaniam Aeliani praeceptorem fuisse prodens dicit rhetorem illum Caesariensem, cum praesertim pro indole uitarum sophistarum oratoriam institutionem intellegat.

2) V. h. IX, 32. 3) XIV, 45. 4) VI, 1, II, 9. 5) IX, 1. 6) VII, 8. 7) Athen. XII p. 519 b.

Quod compluria uariorum dicteria indidem deriuata sunt unde Pseudoplutarchi apophthegmata regum et ducum [1]), haec uero etiam aliquot Augusti facetias exhibent, deducimur in aetatem Augusto posteriorem. — V. h. IV, 1 recedit ad librum Nicolai Damasceni, qui temporibus eiusdem principis coniunctus erat, *παραδόξων ἐθῶν συναγωγὴ* nuncupatum [2]). — Exstat in I, 29 ouem leonem enisam esse in grege quodam Niciae, Coorum tyranni, qui non diuersus fuisse uidetur ab eo Nicia quem Strabo ut aequalem commemorat [3]). — V. h. II, 2, 3, 44, III, 31, IV, 3, 4, 12, VIII, 8, X, 10, XIV, 15, 37, 47, qui loci de pictoribus et de arte pingendi sunt, magna certe ex parte redolent auctoritatem Iubae, qui anno p. C. n. 23 diem obiit. Is enim '*ἱστορικώτατος τῶν βασιλέων*' cum multa alia tum peculiare opus *περὶ γραφικῆς* conscripsit, neque quemquam tum temporis puto facere potuisse, quin de eo argumento disserens hoc libro aut sua sponte aut ipse nescius niteretur. An credibilius est ista uariae historiae lemmata a priscis illis scriptoribus rei pictoriae ducta esse, a Duride Samio [4]), Antigono, Polemone qui *ἀντίγραφα πρὸς Ἀδαῖον καὶ Ἀντίγονον* emisit [5]), Artemone [6]) quem Iuba secutus est? [7]) Utique certum est primum auctorem libri X capitis 10 et l. XII capitis 41 ante Plinium maiorem floruisse, qui in nat. hist. XXXV, 3, 16 et 10, 79 sq. eadem profert. — Dilucidior temporis nota praebetur in u. h. VIII, 11, ubi Aetna mons decreuisse dicitur. Hanc uero opinionem sub annum p. C. n. 50 circumlatam esse sequitur e Senecae epistula LXXIX. — Quod in u. h. XI, 2 exstat, Daretem Phrygem ante Homerum Iliadem scripsisse memoriam nobis affert Dictyis Cretis, cuius codicillos, in quibus ipse praesens res Iliacas exarasset, Neroni oblatos esse fabulati sunt [8]). Utrumque autem commentum non

---

1) Vd. p. 28. 2) Stob. flor. V, 51, CXXIII, 12, XLIV, 41.
3) XIV c. 19 p. 658. 4) Cf. Muell. frr. histt. Graec. II p. 466.
5) Ibid. III p. 132. 6) Ibid. IV p. 340 sq. 7) Harpocr. s. u. *Πολύγνωτος· . . . ἱστορήκασιν ἄλλοι τε καὶ Ἀρτέμων ἐν τῷ περὶ ζωγράφων καὶ Ἰόβας ἐν τοῖς περὶ γραφικῆς*; i. e. pro ratione auctorum laudandorum ueteribus propria: Iuba duce Artemone. 8) Pauly's Realenc. II¹ p. 1006.

modo argumento inter se cohaeret, sed etiam circa eandem tempestatem, id est post Neronem uidetur ortum esse. — In XII, 61 mentio fit Pausaniae periegetae, qui Antoninis imperantibus floruit. Postquam enim ibi narratum est Thurinos Aquiloni sacra fecisse, extremo loco haec subiuncta sunt: *Παυσανίας δέ φησιν ὅτι καὶ Μεγαπολῖται*[1]). Denique, ut supra disputatum est, Aelianus excerpsit Athenaeum, qui exeunte altero p. C. n. saeculo uiguit[2]).

Liber de natura animalium pluribus temporum indiciis apertis illis quidem adornatus est. Laudantur enim in h. a. VIIII, 4 Crassus et Domitius, in IX, 11 et 61 Cleopatra, in XII, 6 Pompeius, in II, 11 Germanicus, in V, 29 Claudius et Britannicus, in XI, 35 Nero, in XI, 15 Titus. De recentioribus scriptoribus nominatim afferuntur in IX, 58 Iuba, in XI, 40 Apio, Tiberii et Claudii aequalis, in X, 42 Telephus Pergamenus, Marci ante eius principatum magister, in X, 1 Cassius Dio[3]). Quodsi origines huius libri memoriae imperatorum qui ante Aelianum regnauerunt adscribendae sunt, eae a quibus uaria historia tracta est in temporibus libertatis Romanorum non uidentur esse quaerendae.

Iam si uariam historiam totam spectamus, rerum Atticarum studium, quo insignis est, animum aduertit. Namque plurimi uiri de quibus agitur, Athenienses sunt: Neleus, Codri filius, Solon, Miltiades, Themistocles, Aristides, Pericles, Cleon, Ephialtes, Socrates, Plato, Alcibiades, Critias, Xenophon, Phocion, Timotheus, Demosthenes, Demades, Demochares, Demetrius Phalereus, Dioxippus athleta, Diotimus, homo uino deditus, Poliarchus, qui canes et gallos ipsi caros magnifice sepeliebat. De Atheniensibus in uniuersum sunt u. h. III, 36, IV, 6, V, 10, 12, 13, 20, IV, 1, 5, VIII, 15; de eorundem legibus V, 14, 18, VI, 10, VIII, 10; de iudiciis V, 15, 18; de iudicum Atticorum disceptationibus V, 16, 19; de Leocorio fano XII, 28; de Diipoliis et Buphoniis festis VIII, 3; in III, 38 exstat Athenienses primos ficum et oliuam inuenisse, Erich-

---

1) Cf. cap. XIII. 2) Pag. 5 sqq. 3) Pag. 8 sqq.

thonium primum equos domuisse; in III, 35 in Academia more sancitum fuisse ne quis rideret. Accedit quod u. h. IV, 8 et V, 10 Isocrati rhetori debentur[1]). Haec uero fere omnia ab iis qui olim in antiquitatibus Atticis uersati erant originem traxisse uidentur, si quidem Androtio in u. h. VIII, 6 nominatur, Hellanici auctoritas subest l. VIII capiti 5[2]), Phanodemi l. XII capiti 28[3]), Istri l. IV capiti 5, quoad hoc quidem ad Molionades pertinet[4]). Caueas uero ne Aelianum ad ἀτθιδογράφους ipsos adscendisse arbitreris. Nam quod in u. h. VI, 1 Atheniensibus crimini datur, quod metoecos in pompis σκιαδηφορεῖν et σκαφηφορεῖν iubebant, quodque in V, 20 Tarentini ab Atheniensibus obsessi esse dicuntur, auctor euadit a iusta aestimatione et notitia rerum Atticarum remotissimus. Porro, ut quae per scholia et lexica occurrunt atthidographorum testimonia non ex his ipsis, sed ex Aelio Dionysio et Pausania atticistis, qui sub aetatem Hadriani florebant, maximam partem hausta esse commentationibus E. Schwabei[5]) et F. Giesingii[6]), imprimis uero Th. Freyeri[7]) patefactum est, ita Aelianum illis auctoribus ueteribus usum esse ueri est dissimillimum. Immo uero ista uariorum proprietate ad memoriam eiusdem principis uocamur, ubi multi adulescentes Romani Athenis, in illa praeclara sede litterarum, Adrianum, Pausaniam, alios rhetores audiebant, ubi lingua Attica Romae per uillas procerum et in epulis eruditorum et adeo ludis publicis resonabat.

Praeterea per uariam historiam dispersa sunt uestigia rediuiuae rationis Academicae, quae fere extremis annis Augusti exstitit. Sententia ei propria inesse uidetur in u. h. V, 6, ubi Calanus, sophista Indus, proditur coram Alexandro Magno se combussisse, 'ὅτε ἐβουλήθη ἀπολῦσαι αὐτὸν ἐκ τῶν τοῦ σώ-

1) Cf. p. 26. 2) Harpocr. s. u. Ἐρυθραῖοι.

3) Id. s. u. Λεωκόρειον. 4) Schol. ad Plat. Phaedon. p. 381.

5) Quaestt. de schol. Thucydid. fontibus in 'Leipziger Studien' IV p. 67 sqq.

6) De scholiis Platonicis quaestiones selectae, Lipsiae 1883.

7) Quaestt. de schol. Aeschin. fontibus, 'Leipziger Studien' V p. 299—305.

ματος δεσμῶν'. Nonne tota hac narratione de Peregrino Proteo commonemur? Deinde uero Socrates et Plato prae ceteris philosophis abunde aguntur omnique laude identidem cumulantur [1]). Quae autem in u. h. III, 19 et V, 9 deprehenditur Aristotelis inuidia non aliena esse uidetur a studiis eorundem Platonis sectatorum, e quorum numero Caluisius Taurus de differentia qua secta Academica a Peripatetica abhorrebat librum conscripsit [2]). Id quoque huc admoueri potest, quod aliquis de auctoribus Aeliani in dialogis Platonis fuit admodum uersatus. Nam huius philosophi sunt, quamquam ex eo ipso non effluxerunt, libri VIII capita 1, 2, 9, libri XIV c. 5 [3]). Alia in eandem sententiam decursu huius dissertationis proferentur [4]).

Restat, ut moneam occultam quandam rationem inter Aelianum et Plutarchum intercedere. Hic enim, licet ab illo non adhibitus sit, cum ingenio atque indole tum permultis narrationibus et sententiose dictis ad eius similitudinem accedit. Scripsit praeterea Plutarchus librum de animalium sollertia; eadem exordio uariae historiae tractatur. Exstat opusculum Plutarchi de Alexandri uirtute an fortuna; in u. h. III, 23, postquam praeclara facinora eiusdem regis recensita sunt, haec uerba subsecuntur: *ἔστω δὲ καὶ τῆς Τύχης Ἀλέξανδρον ἀγαπώσης τὰ πλεῖστα, εἴ τις εἴη δύσερις. καλὸς δ' οὖν Ἀλέξανδρος μὴ ἡττώμενος τῆς Τύχης, μηδὲ πρὸς τὴν ἐξ αὐτῆς ἐς αὐτὸν προθυμίαν ἀπαγορεύων.* —

V. h. X, 5: *Φρύγιος οὗτος ὁ λόγος· ἔστι γὰρ Αἰσώπου τοῦ Φρυγός. ὁ δὲ λόγος φησὶ τὴν ὗν ἐὰν αὐτῆς τις ἅψηται βοᾶν καὶ μάλα γε εἰκότως· οὔτε γὰρ ἔρια ἔχειν οὔτε γάλα οὔτε ἄλλο τι πλὴν τῶν κρεῶν. παρα-*	Plut. Artax. XXV: *Ἡ γὰρ δειλία φονικώτατόν ἐστιν ἐν ταῖς τυραννίσιν, ἵλεων δὲ καὶ πρᾶον καὶ ἀνύποπτον ἡ θαρραλεότης. διὸ καὶ τῶν θηρίων τὰ ἀτιθάσευτα καὶ δυσεξημέρωτα ψοφοδεῆ καὶ δειλά, τὰ*

---

1) Cf. de Socrate u. h. I, 16, II, 13, 30, VIII, 1, IX, 7, 29, XIII, 27; de Platone II, 27, 30, III, 19, IV, 9, VII, 17, IX, 10. X, 21, XII, 25, XIII, 29.
2) Suid. s. u. 3) Cf. p. 26 sq. 4) Cap. X.

χρῆμα οὖν ὀνειροπολεῖν τὸν θάνατον, εἰδυῖαν ἐς ὅ τι τοῖς χρησομένοις αὐτῇ πέφυκε λυσιτελὴς εἶναι. ἐοίκασι δὲ τῇ ὑὶ τῇ Αἰσώπου οἱ τύραννοι ὑποπτεύοντες καὶ δεδοικότες πάντα· ἴσασι γὰρ ὅτι ὥσπερ οὖν αἱ ὗς ὀφείλουσι καὶ ἐκεῖνοι τὴν ψυχὴν πᾶσιν.

δὲ γενναῖα πιστεύοντα μᾶλλον διὰ τὸ θαρρεῖν οὐ φεύγει τὰς φιλοφροσύνας.

Utrimque uidemus tyrannos cum bestiis simili ratione conferri. Quodsi tam multae notae inter Plutarchum et Aeliani uaria conueniunt, haec uidentur illius aetatem spirare.

Quae cum ita sint, auctores Aeliani in numero eorum qui post Augustum uel adeo sub imperium Hadriani Graece scripserunt latent.

4.

Hi cuiusnam generis fuerint e dispositione et argumento uariae historiae facultas est cognoscendi. Duplex enim est ratio lemmatum e quibus composita est. Altera, de quibus priore loco erit agendum, continuis constant narrationibus, quae per se exhibentur neque omnino cum uicinis cohaerent. Versantur autem imprimis in historiolis ad philosophorum uitas, mores, facetias spectantibus. Praeterea pertinent ad doctrinas grauioraque placita philosophorum, ad res Atticas, Laconicas, Persicas, Aegyptias, Sicilienses, Alexandri Magni, ad meretrices, luxuriam, amorem, ad res mirabiles, quales quidem scriptoribus *παραδοξογράφοι* uocatis in deliciis esse solebant, ad pictores, ad Homerum, ad prouerbia, ad descriptionem terrarum; denique habes rhetoricas rerum hominumue descriptiones (*ἐκφράσεις*) in II, 44, III, 1, XII, 1, XIII, 1, quibus partim adnumerandum est IX, 16.

Iam iis quae Aelianus consulto disiunxit in uno conspectu positis coniecerit quispiam fere tot fontes primarios eum adiisse quot praecipua argumenti genera modo enumerata sunt, siue eum multis scriptis peculiaribus exhaustis hanc illam uarie-

tatem farraginis suae assecutum esse. Verum enim uero iam nunc in memoriam redigendum est id quod supra apparuit, eum neque Herodotum neque Isocratem nec Platonem nec ceteros priscos auctores, quamuis compluria frusta ex iis afferat, ipsos consuluisse. Quocirca fides adiuncta est ei quod uel Athenaeo collato ante oculos positum erat, eum uaria sua non ex multis et remotis uoluminibus eximia sedulitate collegisse, in qua opinione recentiores esse uideo [1], sed furtim descripsisse quos alii congesserant multifariae doctrinae thesauros. Quodsi purus putus compilator fuit, propterea quod species uariae historiae florida est, eius fontes et ipsi floridi fuerint necesse est. Denique tota indoles eius obstat, quominus ex honestis rerum scriptoribus eam conflatam esse statuamus. Etenim ubique fabellae, hic illic ineptiae, nusquam studium ueri; immo non ad cognitionem, sed ad delectationem summa eius libri spectat. Sequitur alteram partem uariorum Aeliani reuocandam esse ad quosdam commentariorum auctores, qui quaecumque digna memoria aequaliumque sensibus apta et accommodata cum alibi tum in historiis de uitis philosophorum conditis legissent, sine uia et ratione consarcinauerint.

5.

Altera pars huius libri continetur similium rerum enumerationibus aut singulis aut compluribus deinceps capitibus circumscriptis, quae dissecandi libidine qua Aelianus usus est intactae et, ut ita dicam, continentes glebae maioris ambitus in hoc chao reperiuntur. Ac tantum abest, ut ab Aeliano ipso compositae sint, ut deberi uideantur miscellaneis unius eiusdemque auctoris, qui haec exempla, similiter atque sua Valerius Maximus, in usum rhetorum declamatorumque collegerit. Illa uero miscellanea ad ordinem litterarum disposita fuisse in suspicionem uenit. Quod si uere cogitamus, quoniam Athenaei dispositionem ab Aeliano inter transcribendum religiose seruatam esse constat, ut indicia huius λεξικοῦ in uaria historia

1) Cf. cap. XIII.

agnoscantur exspectandum est. Quapropter exceptis locis ab Athenaeo petitis omnia lemmata eius quaecumque in indicibus similium rerum uersantur perscrutanda sunt, ecquae uestigia talis originis exhibeant. Id autem fieri non poterit nisi ita ut grauissima quaeque uocabula, quibus quidem cuiusque loci uis et argumentum comprehendi possint, sub uno adspectu apponantur et utrum ad seriem elementorum quadrent necne disquiratur:

u. h. I, 1, de polyporum u. h. I, 2, de phalangiorum u. h. I, 3, de ranarum Aegyptiarum u. h. I, 4, de canum Aegyptiorum u. h. I, 5, de uulpium marinarum u. h. I, 6, de testudinum marinarum	calliditate,		in quodam rerum lexico exstare potuerunt	s. u. *Ζῷα.*
u. h. I, 7, de cancris suum u. h. I, 8, de hedera ceruorum u. h. I, 9, de simiis leonum u. h. I, 10, de dictamno herba caprarum	remediis,			
u. h. I, 11, de murium u. h. I, 12, de formicarum u. h. I, 13, de canis Gelonis	diuinatione,			
u. h. II, 22, de bonis legibus quibus Mantineenses, Locri, Cretes, Lacedaemonii, Athenienses usi sint, u. h. II, 23, de Nicodoro Mantineensium legislatore,		propterea quod *εὐνομωτάτους* prima uox est in II, 22,		s. u. *Εὐνομώτατοι.*
u. h. II, 25, quibus sextus dies mensis Thargelionis fuerit fatalis,		quoniam ab his uerbis incipit: *τὴν ἕκτην τοῦ Θαργηλιῶνος,*		s. u. *Ἕξ.*
u. h. II, 33, quibus imaginibus sculptores Fluuios deos formare soleant,		uocibus *εἰκάζειν* atque *εἰκὼν* quater occurrentibus,		s. u. *Εἰκών.*
u. h. II, 34, Epicharmi u. h. II, 35, Gorgiae u. h. II, 36, Socratis	senum enarrantur sapienter dicta de senectute,			s. u. *Γῆρας.*
u. h. III, 2, de Anaxagorae u. h. III, 3, de Xenophontis u. h. III, 4, de Dionis u. h. III, 5, de Antigoni	nuntiis de filiorum morte allatis animi magnitudine,	praesertim cum uocabulum *μεγαλόφρων* sit in III, 6,		s. u. *Μεγαλοφροσύνη.*
u. h. III, 6, Crates Thebanus u. h. III, 7, Demochares	iudicium vulgi contempsisse dicuntur,			

u. h. III, 9,	de inuicta uirtute eorum qui et a Marte et a Cupidine inflammati in proeliis pugnent,			s. u. Ἔρως.
u. h. III, 10, u. h. III, 12,	de puerorum apud Lacedaemonios amore,			
u. h. III, 17,	multi philosophi de republica bene meriti enumerantur,	quod uocem ἐπολιτεύσαντο a fronte habet,		s. u. Ἐπολιτεύσαντο?
u. h. III, 30,	de quorundam abstinentia Veneris,			s. u. Ἔρως.
u. h. III, 38,	de Atheniensibus oliuae, fici, causarum, gymnasiorum, de Erichthonio rei equestris inuentoribus,	uocibus εὑρεθῆναι et ηὗρον ibi exhibitis,		s. u. Εὑρετής.
u. h. III, 39,	de cibis populis quibusdam propriis,	uoce δεῖπνον ibi occurrente,		s. u. Δεῖπνον.
u. h. III, 40,	de deriuatione nominum Τίτυροι, Σάτυροι, Σειληνοί,			s. u. Διόνυσος.
u. h. III, 41,	de cognominibus Bacchi Φλεών, Προτρύγαιος, Σταφυλίτης, Ὀμφακίτης,		in quodam rerum lexico exstare potuerunt	
u. h. III, 42,	de Minyadibus cultum Bacchi respuentibus,			
u. h. III, 43, u. h. III, 44, u. h. III, 45,	de oraculis Pythiae,	quandoquidem oppidum Delphorum laudatur in III, 43 et 44, Trophonius in III, 45,		s. u. Δελφοί.
u. h. III, 47,	recensentur exempla quattuor hominum, qui ex rebus prosperis praeter opinionem fructum utilitatis non perceperint (οὐδὲν ὤνηντο),			s. u. ?
u. h. IV, 1,	de moribus mirabilibus complurium nationum,			s. u. Ἔθος.
u. h. IV, 2,	Nicostratum citharistam cum Laodoco citharoedo de pretio artis suae uerbis confligentem dixisse illum in magna arte paruum esse, se in parua magnum,	cum hi tres loci ita inter se cohaereant, ut ad artes, id est ad unam prouinciam spectent eruditionis ab Aeliano in u. h. IV, 2 uoce μουσικὴ expressae (cf. u. h. IV. 15),		s. u. Μουσική.
u. h. IV, 3,	Polygnotum res sublimes, Dionysium Colophonium animi motiones et corporum uestiumque habitum picturis exprimere solitos esse,			

Locus	Argumentum	Nota		Lexicon
u. h. IV, 4,	Thebis legem fuisse, ut et pictores et sculptores res arte formandas in melius mutarent,		in quodam lexico rerum exstare potuerunt	s. u. *Μουσική*.
u. h. IV, 5,	exempla animi grati septem collecta sunt,	praefixis uerbis *εὐεργεσιῶν ἀπεμνήσθησαν*,		s. u. *Εὐεργεσιῶν.*
u. h. IV, 8,	de uicissitudinibus fortunae abunde agitur,	quippe quod incipiat a uerbis: *εἶτα τίς οὐκ οἶδε τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς ταχείας*;		s. u. *Μεταβολαί.*
u. h. IV, 15,	quorum animi ad artes liberales morbis conuersi sint,	uocabulis *ἀμουσότατος* et *μουσικώτατος* occurrentibus,		s. u. *Μουσική*.
u. h. IV, 16,	si quis Calliam imitatus sit, eum euasurum esse potatorem, si quis Ismeniam, tibicinem, si quis Alcibiadem, iactatorem etc.,			s. u. *Μίμησις*.
u. h. V, 1,	de Tachi, regis Aegyptiorum } morbis,			s. u. *Νόσος*.
u. h. V, 2,	de Pherecydis } morbis,			
u. h. V, 10—VI, 7, exceptis V, 11, 20, 21, VI, 1	respublicae Atheniensium et Lacedaemoniorum promiscue tractantur,			s. u. *Πολιτεῖαι.*
u. h. VI, 1,	quinque exempla crudelitatis et superbiae recensentur,			s. u. *Ὕβρις*.
u. h. VI, 11,	de Gelone boni } tyranni exemplaribus,			s. u. *Τύραννος.*
u. h. VI, 12,	de Dionysio altero praui } tyranni exemplaribus,			
u. h. VI, 13,	benigno quodam deorum numine paucis tyrannis contigisse, ut imperium ad posteros promouerent,			
u. h. VII, 4,	Pittacum molam celebrasse,			s. u. *Πόνος*.
u. h. VII, 5,	Laertes, Ulixes, Achilleus } ab operibus manuariis non abhorruisse dicuntur,			
u. h. VII, 9,	de uxoris Phocionis } simplicitate uestitus,	propterea quod u. h. VII, 9 haec a fronte habet: *εἶτα οὐκ ἔστι σωφροσύνη μεγάλη*; et sub finem idem uocabulum iterum,		s. u. *Σωφροσύνη.*
u. h. VII, 10,	de Socratis } simplicitate uestitus,			
u. h. VII, 11,	de mulierum Romanarum } simplicitate uestitus,			

u. h. VII, 14,	philosophorum bellis probatorum coaceruata sunt exempla,	uocabulis *στρατηγός, στρατεύεσθαι, στρατηγία, στρατεία* occurrentibus,		s. u. *Στρατηγία.*
u. h. VII, 18,	Aegyptios tormentorum esse patientissimos, uiduasque Indas una cum coniugibus mortuis se comburere,			s. u. *Καρτέρησις.*
u. h. VIII, 11,	Aetnam, Parnassum, Olympum montes paulatim decrescere,	quia haec uerba ibi praefixa sunt: *οὐδὲν ἔτι θαυμάσομεν,*		s. u. *Θαυμάσια.*
u. h. VIII, 13,	Anaxagoras, Aristoxenus, Heraclitus numquam risisse perhibentur,			s. u. *Σκυθρωπότης.*
u. h. IX, 17—21,	de nescio qua arrogantia uel leuitate,	cum IX, 17 ita incipiat: *κουφότητα ἔοικε κατηγορεῖν* et uocem *ἐκουφίζετο* exhibeat,		s. u. *Κουφότης.*
u. h. IX, 22,	memorantur Pythagorei, Plato, Aristoteles } medici,			s. u. *Ἰατροί.*
u. h. IX, 34,	Rhodiorum et Lacedaemoniorum } uanitas perstringitur,		in quodam rerum lexico inesse potuerunt	s. u. *Κουφότης.*
u. h. IX, 35,	Antisthenis			
u. h. IX, 36,	Antigoni			
u. h. IX, 37,	Alexandri			
u. h. IX, 39,	absurdi amores congesti sunt,	quoniam in primo capite haec sunt: *πῶς δὲ οὐκ ἂν φαίη τις γελοίους ἅμα καὶ παραδόξους τούσδε τοὺς ἔρωτας;*		s. u. *Παράδοξα.*
u. h. X, 3,	de catulis perdicum, anatum, leonum ex partu summo uigore praeditis,	cum uox *νεόττια* et in primo et in medio capite deprehendatur,		s. u. *Νεόττια.*
u. h. X, 7,	Oenopidem Chium tabulam aeneam Ioui Olympiae collocasse et Metonem Leucanoensem cuidam deo columnas dedicasse } quibus Annum Magnum signis astrologicis insculpsissent,	propterea quod hic *μέγας ἐνιαυτὸς* bis nominatur,		s. u. *Μέγας.*

u. h. XI, 1,	Oricadmum luctandi primum artificem fuisse,			s. u. *Πρῶτος.*
u. h. XI, 2,	Oroebantium carmina epica, Daretem Iliadem ante Homerum composuisse et Melisandrum Milesium pugnas Lapitharum et Centaurorum descripsisse,			
u. h. XI, 3,	Iccum Tarentinum ducem et principem fuisse luctationis,			
u. h. XI, 9,	sex exempla clarorum uirorum pauperum recensentur,	si quidem uox *πενία* ibi bis apposita est, uox *πένης* ter,		s. u. *Πενία.*
u. h. XII, 15,	Hercules, Socrates, Agesilaus, Archytas cum pueris lusisse dicuntur,	quia uox *παιδιά* in exordio huius capitis inest, uox *παίζειν* ceterum ter est usurpata,		s. u. *Παιδιά.*
u. h. XII, 16,	de legatis Alexandri Magni octo commemorantur, quos is obtrectatione et inuidia prosecutus sit,	quod uocabulum *ζηλοτυπώτατα* exhibetur,	in quodam rerum lexico exstare potuerunt	s. u. *Ζηλοτυπία.*
u. h. XII, 14,	homines pulchritudine insignes laudantur,	quod incipit a uoce *ὡραιότατοι*,		s. u. *Ὡραιότατοι.*
u. h. XII, 20,	luscinias esse insomnes, hirundines minimo somno uti,			s. u. *Ὕπνος.*
u. h. XII, 25,	enumerantur qui ab aliis adiuti sint,	quod incipit a uoce *ὤνηντο*,		s. u. *Ὤνηντο.*
u. h. XII, 26,	hominum ebriosorum composita sunt exempla quattuor,	quia incipit a uoce *ποτίστατοι*,		s. u. *Ποτίστατοι.*
u. h. XII, 29,	Platonis quoddam traditur de luxuria Agrigentinorum effatum,	praesertim cum uocabulum *τρυφὴ* occurrat in cc. 30 et 31,		s. u. *Τρυφή.*
u. h. XII, 30,	Tarentinos uino admodum deditos fuisse, et Platonem a Cyrenensibus, ut leges ipsis constitueret, inuitatum propter petulantiam cui obnoxii essent abnuisse,			
u. h. XII, 31,	mentio fit cum aliorum uini generum tum uini *Μυρίνης* uocati, quod cum unguentis pretiosis a Graecis misceatur,			

u. h. XII, 32,	de Pythagorae, Empedoclis, Hippiae, Gorgiae munditia nimis exquisita,	cf. u. h. XII, 29—31,	in quodam rerum lexico inesse potuerunt	s. u. *Τρυφή.*
u. h. XII, 35,	index quorundam hominum inest cognominum,	quae capita uersantur in disceptandis quibusdam aporiis,		?
u. h. XII, 36,	de numero filiorum Niobae,			
u. h. XII, 42,	aliquot homines comprehensi sunt a bestiis nutriti,	uerbis *ἔθρεψε* et *τραφῆναι* ibi appositis,		s. u. *Τροφή.*
u. h. XII, 43,	recensentur multi uiri qui humili loco nati incluti euaserint,			s. u. *Ταπεινότης.*
u. h. XII, 45,	formicas in ore Midae dormientis frumenta collocasse, apes in Platonis ore fauos composuisse et Pindari nutrices fuisse,			s. u. *Τέρατα.*
u. h. XII, 46,	easdem Dionysio, eo quod in manu eius consedissent, tyrannidem uaticinatas esse,			
u. h. XII, 53,	de maximorum bellorum causis exiguis,			s. u. *Πόλεμοι.*
u. h. XIII, 15,	enumerantur quinque exempla hominum stultorum,	quia in initio est: *φασὶ παχύτατον γενέσθαι τὴν διάνοιαν,*		s. u. *Παχύτατοι.*
u. h. XIII, 23 et 24,	recensentur quinque homines qui e legibus ab ipsis latis detrimenta ceperint,			s. u. *Παλίγκοτος* (scil. *νίκη*).
u. h. XIII, 25,	Corinna uictoria musica a Pindaro reportata sus ab eo appellata esse fertur,			
u. h. XIII, 37—43,	effata clarorum uirorum congesta sunt inter se similia,			?
u. h. XIV, 8—20,	exhibentur narrationes eo consilio fictae, ut risum excitarent,			s. u. *Παιδιά.*
u. h. XIV, 24,	de uiris pecuniae neglegentissimis,	propterea quod sic incipit: *χρημάτων κατεφρόνησαν,*		s. u. *Χρήματα.*
u. h. XIV, 36,	de fatuitate eorum qui patrum laudibus se iactant,			s. u. *Χαυνότης.*
u. h. XIV, 45,	aliquot feminae celebres laudantur.			s. u. *Γυναῖκες.*

Confirmata est ea quam supra mouimus suspicio; permulta lemmata uariae historiae deprompta sunt e quodam exemplorum libro in litteras digesto, cuius uestigia, quamuis Aelianus dedita opera in eo elaborauerit, ut exstinguerentur, si tabulam modo adscriptam animo examinaueris, non possunt non agnosci. Videmus enim progressum quendam ordinis qui dicitur alphabeticus in iis uocibus summi ponderis quibus singulos elenchos exemplorum inscripsi. Nam in uniuersum quidem hae, ut ad priorem partem uariae historiae referendae sunt, ita incipiunt a prioribus litteris, ut ad posteriorem, ita a posterioribus; quin etiam, ut alterae alteris sunt finitimae, ita magna ex parte ab iisdem litteris ducuntur: *εὐνομώτατοι, ἕξ, εἰκών, — ἔρως, ἐπολιτεύσαντο, ἔρως, εὑρετής — δεῖπνον, Διόνυσος, Δελφοί — μεταβολαί, μουσική, μίμησις — σωφροσύνη, στρατηγία — πρῶτος, πενία, παιδιά — ὡραιότατοι, (ὕπνος), ὤνηντο — τρυφή, τροφή, ταπεινότης, τέρατα — πόλεμος, παχύτατος, παλίγκοτος, παιδιά — χρήματα, χαυνότης*; quibus continuationibus pensa indicari uidentur quae Aelianus fonte illo utens in dies singulos sibi proposuerit. Tantum autem abest, ut in eo offendendum sit, quod a dispositione quam illic inuenerat aliquoties recessit, ut id ipsum mirum sit quod eam non saepius neglexit. Ceterum etiam ubi ab ea digressus est, certae quaedam hic illic rationes deprehenduntur. Etenim indices per libros I, II et VI, VII et IX, X dispersi, qui quidem uocabulis *ζῷα, εὐνομώτατοι, ἕξ, εἰκών, γῆρας — ὕβρις, τύραννος, πόνος — παράδοξα, νεόττια, μέγας* deinceps a me notati sunt, inuersae seriei litterarum respondent. Altera quaedam necessitudo est inter eos locos quorum argumenta his uocibus comprehendi possunt: *εἰκών, γῆρας, μεγαλοφροσύνη, ἔρως, ἐπολιτεύσαντο, — ἔθη, μουσική, εὐεργεσιῶν, μεταβολαί, μουσική, μίμησις — σωφροσύνη, στρατηγία, καρτέρησις, θαυμάσια, σκυθρωπότης, κουφότης, ἰατρός, κουφότης*, unde effici uidetur, ut *τὰ στοιχεῖα μ* et *ε*, *σ* et *θικ* ab eo inuicem inspecta sint. Neque deero quaerenti tibi, quomodo factum sit, ut Aelianus initium lexici de quo agitur exhauriendi non a *τῷ α στοιχείῳ*, sed a lemmate *ζῷα* inscripto duxerit; scilicet

simulatque hunc librum nactus est, pro studio suo animalium, quae ipse ante singillatim tractauerat, nihil antiquius habuisse uidetur quam ut τὸ ζ στοιχεῖον euolueret.

Atqui, si minus indulgens sis, me uituperans ‘quo tandem iure’ inquies ‘de rebus commenticiis tamquam de ueris loqueris? Nam tu quidem istam tabulam arbitrio finxisti, neque quidquam tibi eam componenti fuit facilius quam uoculas animo effingendas ad ordinem litterarum accommodare’. Sane coniecturis meis usus sum, ac fieri potuit, ut in hac aut illa uoce primaria constituenda errarem. At certe summa eorum quae disputaui ualet. Namque, quoniam illi indices exemplorum omnes eandem speciem adeo prae se ferunt, ut uel ipsi auctorem quendam omnibus communem clament, dummodo pauca lemmata eiusmodi, uelut ea quae δεῖπνον, Διόνυσος, Δελφοὶ inscripsi, ex illo libro per elementa composito desumpta esse concedas, cetera indidem profluxisse consentaneum est. His concessis, si etiam in ceteris dispositio alphabetica facili negotio agnoscitur — quam agnouisse mihi uideor —, res extra omnem dubitationis aleam ponitur.

Verum quod fere quarta pars uariae historiae res similes coagmentatas exhibet, utique quarta, fortasse etiam maior pars ex eodem illo fonte hausta est. Sequi uidetur numerum auctorum Aeliani satis angustis finibus contineri.

6.

Restat, ut moneam illos commentarios, e quibus historiolae uariorum Aeliani per se positae supra repetendae erant cum hoc libro ad formam lexici expresso cohaesisse. Occurrunt enim nonnulla argumenta bis diuersis locis, altera seorsus, altera cum similibus coniuncta: in u. h. II, 14 Xerxem platani amore captum torques et armillas aureas in eius ramis suspendisse custodemque ei dedisse rhetorice narratur; eadem res in IX, 39 inter alia exempla amorum absurdorum exstat. Morbus quo Pherecydes oppressus esse dicitur pedicularis in IV, 28 per se memoratur, in exordio libri V idem simul cum morbo Tachi Aegyptii. Quae in X, 21 est fabella de apibus

et Platone in numero portentorum u. h. XII, 45 et 46 enumeratorum repetita est. Periclem, cum legem tulisset, ne quis loco ciuis haberetur, nisi qui utroque parente ciue natus esset, filiis legitimis mortuis et nothis solis superstitibus uim suae legis ipsum sensisse in VI, 10 per se exstat, in XIII, 24 cum similibus. Praeterea cf. u. h. VI, 11 et XIII, 37 de Gelone; II, 6 et XIV, 8, 2 de Hippomacho.

Quoniam auctores Aeliani nonnumquam in iisdem rebus uersatos esse apparuit, alteri alterorum libros uidentur exscripsisse. Neque, si res ita se habet, dubium est, quin is qui illud lexicum composuit exempla sua ex commentariis quos cogitamus excerpserit. Aelianus igitur, cum narrationes gemellas exhibeat, illis libris promiscue et libere conscriptis duplici ratione usus est: et ipsis et per lexicographum quem dixi.

VIII. Fontes circumspiciuntur.

Iam uero orbis auctorum Aeliani angustissime circumscriptus est. Pendet enim uaria historia ex libris Graecis argumenti uersicoloris deperditis, qui quidem post Augustum uel potius sub Hadriani imperium confecti sint; quod genus scribendi e praefatione Gellii satis notum est. Itaque ad hanc quaestionem admoueri possunt Pamphili [1]), qui circa annos p. C. n. 50—100 uiguit, *λειμών*, Pamphilae, quae sub Nerone floruit, *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* [2]); de libris ad memoriam Hadriani reuocandis Philonis Byblii *περὶ χρηστομαθείας* [3]), Cephalionis *Μοῦσαι* [4]), Telephi Pergameni *ποικίλη φιλομαθεία* [5]), Fauorini Arelatensis *ἀπομνημονεύματα* et *παντοδαπὴ ἱστορία*, Herodis Attici *ἐφημερίδες, ἐγχειρίδια, καίρια* [6]); ex aetate Marci Nicostrati Macedonis *δεκαμυθία* et *πολυμαθία* [7]), ex posterioribus ut uidetur temporibus Alexandri Cotiaeensis *παντοδαπὴ ὕλη* [8]). Praeterea, quocumque animum conuerti, nullam inueni

1) Cf. L. Urlichs. in mus. Rhen. n. XVI p. 247.

2) Mueller. fragmm. hist. Graec. III p. 520. 3) Ibid. p. 560.

4) Ibid. p. 625. 5) Ibid. p. 634. 6) Philostr. u. s. II, 1 p. 244 et Suid. s. u. *Ἡρώδης*.

7) Suid. s. u. 8) Steph. s. u. *Κοτιάειον*.

inscriptionem, quae ad argumentum indolemque uariae historiae quadraret. De iis uero quos laudaui Cephalion, propterea quod historiam rerum gestarum ultra tempora Alexandri Magni non prosecutus est[1]), hoc loco non uidetur respiciendus esse; omnino autem nemo in censum uenit nisi qui in uitis philosophorum uersatus est; ergo nemo praeter Pamphilam et Fauorinum, quos solos in eo argumento elaborasse scimus. Age horum uestigia intentiore animo persequamur!

IX. De Fauorini libris miscellis[2]).

De scriptis Fauorinianis ea quae modo commemorata sunt sola uidentur huc adicienda esse: commentarii (*ἀπομνημονεύματα*) et omnigena historia (*παντοδαπὴ ἱστορία*).

Atque illi quidem minimum e quinque uoluminibus constabant; noti sunt per Diogenem Laertium paene solum, qui XVI fragmenta seruauit. Quae pertinent ad Pittacum, Xenophanem Colophonium, Empedoclem, ad Socratem et Platonem saepius, ad Aristotelem, Cratetem Thebanum, Parmenidem, Zenonem Alexamenumque, Eudoxum Cnidium, Pythagoram, Demetrium Phalereum, Theophrastum. Etiam ioco et facetiis ibi locum fuisse sequitur ex Diogene, qui VI, 88 commentarios Fauorini antestatus narrat, Cratetem Thebanum in gymnasio quodam uersatum, cum coxas principis gymnasii tetigisset, illo indignante haec dixisse: quid enim? nonne ista quoque tua sunt sicut et genua? Ac ne a rebus mirabilibus quidem alieni erant; nam ab iis petitum esse quod Gellius X, 12, 10 ex scripto quodam Fauorini de columba Archytae artificiosa refert Nietzcheo[3]) concedendum est. Neque ego hoc opus, propterea quod reliquiae eius ad unam omnes de philosophis sunt, diuer-

1) Phot. bibl. cod. LXVIII p. 34 ed. Bekk.

2) Mueller. frr. h. Gr. III p. 577. Marres, 'de Fauorini Arelatensis uita, studiis, scriptis; accedunt fragmenta', Traiect. ad Rhen. 1853. Fr. Nietzsche, 'de Laertii Diogenis fontibus' in mus. Rhen. n. XXIII p. 622 sqq. et XXIV p. 181 sqq.; 'de Fauorino Arelatensi' ibid. XXIII p. 642 sqq.

3) Mus. Rhen. XXIII p. 647.

sum fuisse existimo a libro *περὶ τῆς διαίτης τῶν φιλοσόφων*, qui apud Suidam Fauorino uindicatur.

Omnigenam historiam noctium Atticarum l. XIV capite sexto adumbrari Nietzsche euicit; ubi haec leguntur: 'Homo nobis familiaris, in litterarum cultu non ignobilis magnamque aetatis partem in libris uersatus, 'adiutum', inquit, 'ornatumque uolo ire noctes tuas'; et simul dat mihi librum grandi uolumine 'doctrinae omnigenus', ut ipse dicebat, 'praescatentem', quem sibi elaboratum esse ait ex multis et uariis et remotis lectionibus, ut ex eo sumerem quantum liberet rerum memoria dignarum. Accipio cupidus et libens, tamquam si copiae cornum nactus essem, et recondo me penitus, ut sine arbitris legam. At quae ibi scripta erant, pro Iuppiter, mera miracula! quo nomine fuerit, qui primus 'grammaticus' appellatus est; et quot fuerint Pythagorae nobiles; quot Hippocratae; et cuiusmodi fuisse Homerus dicat in Ulixis domo *λαύρην*; et quam ob causam Telemachus cubans iunctim sibi cubantem Pisistratum non manu attigerit, sed pedis ictu excitarit; et Euryclia Telemachum quo genere claustri incluserit; et quapropter idem poeta rosam non norit, oleum ex rosa norit. Atque illud etiam scriptum fuit, quae nomina fuerint sociorum Ulixis, qui a Scylla rapti laceratique sunt; utrum *ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ* Ulixes errauerit *κατ' Ἀρίσταρχον*, an *ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα*; item et istic scriptum fuit, qui sint apud Homerum uersus isopsephi; et quorum ibi nominum *παραστιχὶς* reperiatur; et quis adeo uersus sit, qui per singula uocabula singulis syllabis increscat; ac deinde qua ratione dixerit singulas pecudes in singulos annos terna parere; et ex quinque operimentis, quibus Achillis clipeus munitus est, quod factum ex auro est summum sit an medium; et praeterea quibus urbibus regionibusque uocabula iam mutata sint, quod Boeotia ante appellata fuerit 'Aonia', quod Aegyptus 'Aeria', quod Creta quoque eodem nomine Aeria dicta est, quod Attice '*Ἀκτή*', quod Corinthus 'Ephyre', quod Macedonis '*Ἠμαθία*', quod Thessalia '*Αἱμονία*', quod Tyros 'Sarra', quod Thracia ante 'Sithonia' dicta est, quod Paeston '*Ποσειδώνιον*'. Haec

item atque alia multa istiusmodi scripta in eo libro fuerunt. Quem cum statim properans redderem, 'ὄναιό σου', inquam, 'doctissime uirorum, ταύτης τῆς πολυμαθίας et librum hunc opulentissimum recipe, nil prorsus ad nostras paupertinas litteras congruentem. Nam meae noctes, quas instructum ornatumque isti, de uno maxime illo uersu Homeri quaerunt, quem Socrates prae omnibus semper rebus sibi esse cordi dicebat:

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Itaque omnigena historia Fauorini erat de inuentoribus, de quaestionibus Homericis, de rebus geographicis, de homonymis, de animalibus; eandem imprimis ad appellationes explicandas pertinuisse Photius in codice CLXI testatur: ἐν οἷς διάφοροι ἱστορίαι καὶ τῶν κατὰ τὰ ὀνόματα θέσεων αἰτιολογίαι καὶ τοιαῦτα ἕτερα. εἰς ἃ καὶ ὁ τρίτος αὐτῷ (scil. Sopatro) συμπεραίνεται λόγος. Fragmenta huius libri Diogeniana spectant ad uitas et dicteria philosophorum et item ad inuenta; ea quae per Stephanum Byzantium seruata sunt ad descriptionem terrarum. Neque deerant ibi facta historica, si quidem Stephanus s. u. Τετράπολις his uerbis usus est: ὡς Φαβωρῖνος ἐν πρώτῳ παντοδαπῆς ὕλης ἱ σ τ ο ρ ι κ ῆ ς. Quid multa? Titulo ipso docemur res uarias e disciplinis uariis congestas ibi conglutinatas fuisse.

De discrimine quod inter commentarios et omnigenam historiam intercedat Nietzsche, cui hoc quidem loco adstipulor, haec dicit[1]: 'Primum constat et ἀπομνημονεύματα et παντοδαπὴν ἱστορίαν, si summam spectas, uni eidemque litterarum generi adscribenda esse, ὑπομνηματικῷ scilicet .... Sed in hac maior rerum aequalitas, similibus semper rebus in unum locum congestis, ueluti inuentis et cognominum indicibus. In illis summa argumenti uarietas nullo omnino ordine temperata hisque solis adstricta legibus, quibus talia ἀπομνημονεύματα solent adstringi. Quidquid enim in hoc libro exstabat, eodem iure etiam in omnigena historia exstare p o t e r a t: non uero contrarium statui debet. Velut omne indicum genus ab ἀπομνημονευμάτων consilio dissidet, non ab omnigena historia'.

1) L. l. XXIII p. 648.

Eodem pertinet id quod Wilamowitz[1]) obseruauit, uideri ea quae Diogenes ex omnigena historia se sumpsisse affirmat, ad tria quattuorue capita miscellae historiae redigenda esse. Velut unum, inquit, quasi caput efficiunt ea quae de accusatoribus philosophorum sunt, Polyeucto Socratis (II, 78), Charmandro Platonis (III, 19), Demophilo Aristotelis (V, 5), Demetrio Poliorceta Demetrii Phalerei (V, 77).

De forma omnigenae historiae uiri docti dissentiunt. C. Mueller[2]) enim, Urlichs[3]), Hecker[4]) eam ordine alphabetico digestam fuisse putant; in eadem sententia uidetur Maass esse, noua quaedam proferens; sed incertus ambigit[5]). Nietzsche[6]) uero et Wilamowitz[7]) stant a partibus Nauckii[8]), qui hoc opus non fuisse *λεξικόν*, sed e XXIV libris compositum secundum classicam illam Iliadis Odysseaeque normam statuit. Cardo huius dissensionis uersatur in his uerbis Photii explicandis: *ὁ δὲ τρίτος λόγος συλλέγεται αὐτῷ* (scil. Sopatro) *ἐκ τῆς Φαβωρίνου παντοδαπῆς ὕλης ἔκ τε τοῦ ν̄ καὶ τοῦ ξ̄ καὶ καθεξῆς πλὴν τοῦ τ̄ μέχρι τοῦ ω̄.* Et Nietzsche quidem inde colligit omnigenam historiam Sopatri temporibus fuisse dissectam in quattuor *τεύχη*, quorum quodque senis libris contineretur; primum libris *αβγδεζ*, alterum libris *ηθικλμ*, tertium libris *νξοπρσ*, quartum libris *τυφχψω*; solum autem tertium a Sopatro usurpatum esse. Quae coniectura, ut uera sit, nihil facit ad sententiam de dispositione alphabetica refutandam. Nam omnigena historia, licet *κατὰ τεύχη* per manus hominum circumferretur, nonne eadem simul in litteras digesta esse potuit? Nunc uero Maass[9]) et Wilamowitz[10]) illam redarguerunt.

Sed inspiciamus fragmenta huius florilegii, in quibus certa uestigia ordinis litterarum offerri uidentur. Nietzsche ex eo

1) Philologische Untersuchungen III p. 143 sq., Berol. 1880.
2) Frr. hist. Graec. III p. 577. 3) Mus. Rhen. nou. XVI p. 254.
4) Philol. V p. 432. 5) De biographis Graecis quaestt. selectae, Philol. Unters. III p. 52 sq. 6) Mus. Rhen. XXIII p. 649 sq.
7) L. l. p. 146. 8) Philol. V p. 704.
9) Philol. Untersuch. III p. 50 sq. 10) Ibid. p. 145 sq.

quod Fauorinus teste Diogene de Platone et in libro altero et in libro octauo omnigenae historiae disseruit, praecipuam causam repetit, cur in explicatione uerborum Photii Muelleriana offendat. 'Exspectamus autem', inquit, 'si cum Muellero facimus, haec fuisse s. u. *Πλάτων* inserta. Quid uero? Secundo igitur libro Fauorinusne iam ad *Π* litteram peruenit, quam etiam in octauo libro eum tractasse alia docent fragmenta? Qualem hominem nobis informemus Fauorinum, qui libro primo litteras *Α* usque ad *Ο*, libris sequentibus II, III, IV, V, VI, VII, VIII unam solam complexus sit *Π* litteram'. At enim, quoniam omnigena historia non tam singillatim quam generatim conscripta erat, Nietzsche in notas ordinis alphabetici inquirens singulorum quidem hominum nomina minus apte intuitus est. Egomet animo ad argumenta fragmentorum conuerso illud testimonium Photii deliberans reuocauerim

Di. La. III, 57: *Εἰσὶ τοίνυν, φησίν* (sc. *Θρασύλος*), *οἱ πάντες αὐτῷ* (sc. *Πλάτωνι*) *γνήσιοι διάλογοι ἓξ καὶ πεντήκοντα, τῆς μὲν πολιτείας εἰς δέκα διαιρουμένης — ἣν καὶ εὑρίσκεσθαι σχεδὸν ὅλην παρὰ Πρωταγόρᾳ ἐν τοῖς ἀντιλογικοῖς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῆς ἱστορίας β' — τῶν δὲ νόμων εἰς δυοκαίδεκα*, quae uerba a Muellero *β'* in *ή* mutato ad u. *Πλάτων* referuntur, } ad lemma omnigenae historiae *Διάλογοι* inscriptum.

Di. La. VIII, 47: *Ἐρατοσθένης δέ φησι, καθὸ καὶ Φαβωρῖνος ἐν τῇ ὀγδόῃ παντοδαπῆς ἱστορίας παρατίθεται, τοῦτον* (scil. *Πυθαγόραν*) *εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τετταρακοστῆς Ὀλυμπιάδος, κομήτην καὶ ἁλουργίδα φοροῦντα· ἐκκριθέντα τ' ἐκ τῶν παίδων καὶ χλευασθέντ' αὐτίκα προσβῆναι τοὺς ἄνδρας καὶ νικῆσαι. δηλοῦν δὲ τοῦτο καὶ τοὐπίγραμμα ὅπερ ἐποίησε Θεαίτητος·*
Πυθαγόρην τινά, Πυθαγόρην, ὦ ξεῖνε, κομήτην,
ᾀδόμενον πύκτην εἰ κατέχεις Σάμιον,
Πυθαγόρης ἐγώ εἰμι· τὰ δ' ἔργα μου εἴ τιν' ἔροιο
Ἠλείων, φήσεις αὐτὸν ἄπιστα λέγειν. } ad lemma omnigenae historiae *Πρῶτος* inscriptum.

τοῦτον ὁ Φαβωρῖνός φησιν ὅροις χρήσασθαι διὰ τῆς μαθηματικῆς ὕλης, ἐπὶ πλέον δὲ Σωκράτην καὶ τοὺς ἐκείνῳ πλησιάσαντας καὶ μετὰ ταῦτ' Ἀριστοτέλην καὶ τοὺς στωικούς· ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν οὐρανὸν πρῶτον ὀνομάσαι κόσμον καὶ τὴν γῆν στρογγύλην· ὡς δὲ Θεόφραστος Παρμενίδην· ὡς δὲ Ζήνων Ἡσίοδον. τούτῳ φασὶν ἀντιπαρατάσσεσθαι Κύλωνα καθάπερ Ἀντίλοχον Σωκράτει.

Di. La. III, 24 de Platone: *Οὗτος πρῶτος ἐν ἐρωτήσει λόγον παρήνεγκεν, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν ὀγδόῃ παντοδαπῆς ἱστορίας· καὶ πρῶτος τὸν κατὰ τὴν ἀνάλυσιν τῆς ζητήσεως τρόπον εἰσηγήσατο Λεωδάμαντι τῷ Θασίῳ· καὶ πρῶτος ἐν φιλοσοφίᾳ ἀντίποδας ὠνόμασε καὶ στοιχεῖον καὶ διαλεκτικὴν καὶ ποιότητα καὶ τοῦ ἀριθμοῦ τὴν προμήκη καὶ τῶν περάτων τὴν ἐπίπεδον ἐπιφάνειαν καὶ θεοῦ πρόνοιαν. καὶ πρῶτος τῶν φιλοσόφων ἀντεῖπε πρὸς τὸν λόγον τὸν Λυσίου τοῦ Κεφάλου, ἐκθέμενος αὐτὸν κατὰ λέξιν ἐν τῷ Φαίδρῳ. καὶ πρῶτος ἐθεώρησε τῆς γραμματικῆς τὴν δύναμιν. πρῶτός τε ἀντειρηκὼς σχεδὸν ἅπασι τοῖς πρὸ αὐτοῦ ζητεῖται διὰ τί μὴ ἐμνημόνευσε Δημοκρίτου.*

Di. La. VIII, 12 de Pythagora: *Λέγεται δε καὶ πρῶτος κρέασιν ἀσκῆσαι ἀθλητάς, καὶ πρῶτόν γ' Εὐρυμένην, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν τρίτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων, τῶν πρότερον ἰσχάσι ξηραῖς καὶ τυροῖς ὑγροῖς, ἀλλὰ καὶ πυροῖς σωμασκούντων αὐτούς, καθάπερ ὁ αὐτὸς Φαβωρῖνος ἐν ὀγδόῃ παντοδαπῆς ἱστορίας φησίν.*

Praeterea ea omnigenae historiae fragmenta quae seruata sunt apud Diogenem II, 1, 11, 20, V, 9, IX, 23, 29 uoce *πρῶτος* occurrente de inuentoribus sunt [1]).

ad lemma omnigenae historiae *Πρῶτος* inscriptum.

1) Vid. cap. X.

Quodsi in libro II incisum quoddam uoce *Διάλογος* insignitum erat, in libro VIII incisum quoddam uoce *Πρῶτος*, quandoquidem *Δ* littera IV est, *Π* littera XVI, omnigenam historiam ad formam lexici quod dicimus expressam fuisse sequitur; nisi quod de XXIV litteris *στοιχείαις* e quibus constaret binas singulis libris fuisse comprehensas statuendum est.

Similia effici uidentur ex Iulii Valerii de rebus Alexandri I, 13 (in C. Muelleri Pseudocallisth. ed. Didot.): 'Crescebat ergo (Alexander Magnus) ut corporis gratia ita studiorum quoque et prudentiae maiestate et cum his una regiae disciplinae. Eius nutrix Alacrinis erat, paedagogus atque nutritor nomine Leonides, litteraturae Polynicus magister, musices Alcippus Lemnius, geometriae Menecles Peloponnesius, oratoriae Anaximenes Aristoclis Lampsacenus, philosophiae autem Aristoteles ille Milesius.

Enim de milite (scil. de institutione militari), quia hic longa res est et propositum interturbat, si quid inquirere curiosius uoles, sat tibi lector habeto Graecum Fauorini librum, qui omni genere historiae superscribitur. Illic etiam generis Alexandri inueneris seriem, cui generis principium praestitisse ferunt Oceanum et Thetidem, exinque fluxisse per Acrisium Danaumque atque Persea multosque alios in Perdiccae genera uel Philipporum. Nam ne Olympiadi quidem secus propago generosa est: cui diligentia pari a mundi principio per Saturnum atque Neptunum, tum etiam Telamona seriem generis attexuit, ad tertiumque Neoptolemum docet prosapiam defluxisse, cuius [uxor] Anasafia mater Olympiadis cluit. Igitur ad Alexandrum mens recurrat'.

Hanc omnem commentationem ab omnigena historia Fauorini oriundam esse dilucide apparet ex fabulis Pseudocallisthenis in linguam Armeniam conuersis apud Zacherum[1]) p. 89: 'Amme ward ihm das Weib Lakrine . . ., es lehrte ihn die Erdmesskunst Menekmus der Peloponnesier, die Redekunst Anaximenes, der Sohn des Lampsakus, die Philosophie Aristo-

1) Pseudo-Callisthenes, Halle 1867.

teles, der Sohn des Nikomachus, der Stagirit aus der Stadt Melite. Aber es hat auch Papharanus von diesen gesprochen im 4. Buch seiner verschiedenen geistreichen Erzählungen'[1]). Addiscimus uero de educatoribus praeceptoribusque Alexandri in quarto libro expositum fuisse, et id quidem, ut uidetur, sub uoce *Παιδεία*. Iam si is qui fabulas quae Callisthenis feruntur composuit litteras XXIV omnigenae historiae habebat in sex *τεύχη* quaternarum deinceps litterarum diuisas, aliud indicium dispositionis alphabeticae accedit; si quidem *Π*, a quo uox *Παιδεία* ducitur, earum litterarum est quae in serie alphabetica in sex partes pares dissecta quartam sedem obtinent. Accedit quod Stephanus s. u. *Τετράπολις* res Atticas disserens primum librum omnigenae historiae laudat.

Quae si uere disputata sunt, litteras *στοιχείας* huius operis aliis temporibus in alia uolumina digestas fuisse sequitur, i. e. Diogenem ad manum habuisse XII *τεύχη* binarum litterarum, Pseudocallisthenem VI quaternarum. Quae cum ita sint, satis est cur teneamus id quod Mueller putat, omnigenam historiam fuisse ordine litterarum dispositam. Accedunt haec: quod et commentarii et omnigena historia magna ex parte ad easdem res pertinebant, quo magis argumento inter se conuenerunt, eo manifestius forma inter se discrepuerint necesse est. Nam Fauorinum eandem rem eodem quidem modo duobus libris prosecutum esse quis est qui credat? Quodsi illos indigeste consarcinatos fuisse constat, si hanc ad certam regulam elementorum accommodatam fuisse sumimus, quam formam excogitare possumus ab illorum indole magis diuersam? Denique argumenti aequalitas, quam Nietzsche ipse omnigenae historiae propriam fuisse iure monet, et quae imprimis fragmento ex Valerio adscripto ante oculos uersatur, nonne ad Muelleri sententiam optime quadrat?

Iam uero si hoc conceditur, concidit Nietzschei suspicio, qua illam aequalitatem explicandam esse constantia et per-

---

1) Cf. cap. X.

petuitate librorum excerptorum, quos quidem deinceps Fauorinus descripserit, sibi uidetur arguisse [1]).

Ceterum ex Valerii loco, quem apposui, hoc efficitur — id quod uiros doctos adhuc effugit —, ut liber quidam de fabulosa Alexandri historia scriptus a Fauorino discerptus sit et ad indices omnigenae historiae conficiendos adhibitus. Ergo fonte quodam Aegyptio usus est [2]).

X. *Aelianum Fauorinum ducem primarium secutum esse.*

A.

Iam omnia in hunc Fauorinum conueniunt. Variam historiam e quibusdam miscellaneis deriuatam esse uidimus; hic in eodem genere litterarum uersatus est. In illa de philosophis abunde agitur; fragmenta librorum Fauorini maiore ex parte de iisdem sunt. Illa auctorem Socratis Platonisque studiosissimum et in lectione dialogorum Platonicorum ualde uersatum redolet; hic Academiae recentiori addictus erat [3]) seque leges Platonis cupide legisse apud Gellium XX, 1, 4 ipse dicit. Illa festiue dictis redundat; hic sententiarum maxime uenator erat [4]) et librum *γνωμολογικῶν* scripsit [5]). Illa a uoluminibus aliquanto post Augustum confectis originem traxit [6]); hic sub Hadriano floruit. Illi affinitas quaedam intercedit cum libris Plutarchi [7]); hic Plutarcho familiariter usus est; uelut librum *Πλούταρχος ἢ περὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς διαθέσεως* inscriptum ad eum misit librumque *περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ* ab eo dedicatum obtinuit, et copia uoluminum componendorum cum eo concertabat [8]). Quod uero et apud Plutarchum et apud Aelianum tyrannos cum bestiis comparari supra memorauimus, Fauorinus eadem ratione comparandi usus est, si quidem in

1) Cf. mus. Rhen. n. XXIII p. 650 sq. 2) C. Mueller, introd. ad Pseudo-Callisth. p. XV sqq. 3) Gell. XI, 5. Galen. *περὶ ἀριστ. διδασκ.* p. 131. Fabric. ad Sext. Empiric. p. 11. Marres p. 55 sq.

4) Cf. Stob. flor. IV, 91, XIV, 11, 12, XXII, 39, LVIII, 10, XCV, 29, CV, 62 etc. et fragmenta Diogeniana. 5) Suid. s. u. 6) Pag. 32 sqq.

7) Pag. 36 sq. 8) Suid. s. u.

Stobaei flor. XLIX, 14 haec exstant: *Φαβωρίνου. Ὥσπερ γὰρ τὰ θηρία τὴν σαγήνην ὑποχωροῦντ' ἀεὶ εἰς ἐλάττω τόπον συνάγεται, οὕτω δὲ καὶ τοὺς τυράννους ἔστιν ἰδεῖν ἐπαναχωροῦντας ἐκ μὲν τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν πόλιν, ἐκ δὲ τῆς πόλεως εἰς τὴν ἀκρόπολιν, εἶτ' εἰς τὴν οἰκίαν, εἶτ' εἰς τὸ δωμάτιον. εἶτα δύναται ἀποφυγεῖν ἄνθρωπος θεὸν φεύγων; ὅποι γὰρ ἂν καταφύγῃ, ἡ δίκη αὐτὸν εὑρήσει.* Quod igitur in u. h. X, 5 est, tyrannos cum subus conferri posse, ad sermones familiares quos Fauorinus cum Plutarcho habuerit referendum esse suspicor.

Age uero consideremus necessitudinem quae Aeliano cum Diogene Laertio est. Qui cum e numero auctorum uariae historiae remouendus sit, tamen hi loci optime inter se conueniunt:

V. h. III, 3 et 2 et Di. La. II, 54. — u. h. III, 17 et Di. La. V, 4, VII, 9 sqq. VIII, 7. — u. h. III, 19 et Di. La. V, 1. — u. h. III, 29 et Di. La. VI, 38. — u. h. V, 9 et Di. La. X, 8. — u. h. VII, 4 et Di. La. I, 81. — u. h. VIII, 16 et Di. La. I, 49. — u. h. IX, 20 et Di. La. II, 71. — u. h. IX, 35 et Di. La. II, 36. — u. h. X, 16 et Di. La. VI, 21. — u. h. XII, 56 et Di. La. VI, 41. — u. h. XII, 58 et Di. La. VI, 61; cf. 43. — u. h. XIII, 28 et Di. La. VI, 55. — u. h. XIII, 31 et Di. La. IV, 10. — u. h. XIV, 33 et Di. La. VI, 40 et 54.

Fontes Diogenis ante hos paucos annos coepti sunt acerrime inuestigari. De quibus complexus est sententiam suam Nietzsche[1]) quidem his uerbis: 'Laertius duobus omnino scriptoribus usus est, Fauorino et Diocle. Dioclis librum in artum coegit interpositis nonnullis de Fauorino decerptis narratiunculis. Ut igitur breuissime loquar: Laertius est Dioclis ἐπιτομή'. Maass[2]) uero ita: '1) Biographi sui uitam Platonis interpositis nonnullis ex Fauorini apomnemoneumatis narratiunculis et aliunde in artum Laertius redegit. Nisi omnia fallunt iste erat Fauorinus in 'omnigena historia'. 2) Dioclis in uita Platonis nullum comparet uestigium. 3) Iam quae ex probatis consectaria sunt quaestionem de Laertio institutam

1) Mus. Rhen. XXIV, p. 201. 2) L. l. p. 80.

eo promouent, ut bonam Laertianarum uitarum partem uni deberi biographo — me iudice Fauorino — indicandum sit'. Quae si concedantur, Aeliani cum Diogene consensus ad eundem Fauorinum reuocandus sit. Enimuero utraque commentatio quamuis magna sagacitate atque industria conscripta sit nouamque quandam lucem litteris Graecis attulerit, non nihil habet offensionis, si quidem Nietzscheanae summam refutauit Maass, Maassianae Wilamowitz in dubium uocauit. Cauendum igitur mihi est, ne has quaestiones istorum sententiis irretiam. Nihilo tamen secius utrumque Fauorini opus multiiugum a Diogene adhibitum esse certum est. Atque ueri uidetur simillimum praeter ea quae hic disertis uerbis illi uindicat etiam alia Laertii eidem deberi. Itaque illa Aeliani cum Diogene congruentia ad Fauorinum referri potest.

Maiorem autem fructum haec praebent. Historiae philosophae quos Aelianus secutus est auctores nisi prorsus oblitterati sunt, latent in numero recentiorum scriptorum qui quidem a Diogene testes proferuntur. Itaque erant aut Alexander Polyhistor aut Demetrius Magnes aut Diocles Magnes aut Pamphila aut Fauorinus. Fuerunt autem Alexander aequalis Sullae, Demetrius Ciceronis, Diocles Augusti[1]), utique Posidonio Stoico posterior[2]), Pamphila Neronis[3]), Fauorinus Hadriani. Iam quo quisque a memoria Alexandri Seueri erat remotior, eo minus ad origines florilegii Aelianei eruendas admoueri debet. Nemo igitur magis huc conuenit quam cum Pamphila Fauorinus. Inter huius autem et Diogenis tempora, quantum scimus, nemo unus uitarum philosophorum auctor exstitit, si quidem in serie scriptorum, quos Diogenes laudat, tempore extremus est Fauorinus. Neque huius thesauris, si quis ineunte tertio p. Chr. n. saeculo consilium habebat narratiunculas de uitis, moribus, placitis, iocose dictis philosophorum componendi, ullum fontem adire poterat recentiorem. Nempe, qui aetati Aeliani uidetur coniunctus fuisse, Laertius quin illius miscellanea adhiberet facere non potuit. Quid quod

1) Cf. Nietzscheum in mus. Rhen. XXIII p. 638 sqq. et Maassium p. 15 sqq. 2) Di. La. VII, 62. 3) Phot. bibl. cod. 175.

etiam Sopater[1]) et Stobaeus, compilatores illi sexti saeculi, illius uestigiis inhaeserunt. Quapropter ne Aelianus quidem usu Fauorini abstinuisse putandus est. Porro Alexander, Demetrius, Diocles propterea quod continuos libros de philosophis scripserunt ad indolem uariae historiae minus accedunt.

Deinde, si etiamnunc aliqua dubitatio in animo tuo resideat, haec, quaeso, contendas:

V. h. IV, 9:	Di. La. III, 24: de Platone: *Οὗτος πρῶτος ἐν ἐρωτήσει λόγον παρήνεγκεν, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν ὀγδόῃ παντοδαπῆς ἱστορίας.* Subsecuntur alia inuenta Platonis.
Πλάτων ὁ Ἀρίστωνος ἐν Ὀλυμπίᾳ συνεσκήνωσεν ἀγνῶσιν ἀνθρώποις, καὶ αὐτὸς ὢν αὐτοῖς ἀγνώς. οὕτως δὲ αὐτοὺς ἐχειρώσατο καὶ ἀνεδήσατο τῇ συνουσίᾳ, συνεστιώμενός τε αὐτοῖς ἀφελῶς καὶ συνδιημερεύων ἐν πᾶσιν, ὡς ὑπερησθῆναι τοὺς ξένους τῇ τοῦ ἀνδρὸς συντυχίᾳ κτλ.	§ 25: *τούτου, φησὶ Νεάνθης ὁ Κυζικηνός, εἰς Ὀλύμπια ἀνιόντος τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἐπιστραφῆναι πρὸς αὐτόν· ὅτι καὶ Δίωνι συνέμιξε μέλλοντι στρατεύειν ἐπὶ Διονύσιον.* *ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων Φαβωρίνου φέρεται ὅτι Μιθριδάτης ὁ Πέρσης ἀνδριάντα Πλάτωνος ἀνέθετο εἰς τὴν Ἀκαδημίαν καὶ ἐπέγραψε κτλ.*

Iam Diogenes, quandoquidem tum cum haec uerba litteris mandabat, et commentarios et omnigenam historiam Fauorini ante oculos habebat, etiam id quod medio loco narrat, omnium animos in Platonem ludos Olympios uisentem conuersos fuisse, ab eodem sine dubio mutuatus est. Vides igitur frustum alterutrius farraginis Fauorini argumento cum Aeliano congruens.

Quod uero Aelianus recentiori sophistarum sectae, cuius fons et caput Fauorinus quidem erat, et ipse adnumerandus est — scilicet discipuli erant Fauorini Herodes Atticus, Herodis Pausanias Caesariensis, Pausaniae Aelianus —; et quod idem

1) In libro tertio *ἐκλογῶν διαφόρων*. cf. Phot. bibl. cod. CLXI.

admiratione captus erat scriptorum Herodis[1], cui Fauorinus bibliothecam suam testamento legauerat[2], quo tandem modo fieri potuisse putas, quin illi propriorum studiorum principi atque architecto operam nauaret?

Atque si hoc mihi contigit, ut Aelianum Fauorino usum esse in uniuersum demonstrauerim, eo ipso et *ἀπομνημονεύματα* et *παντοδαπὴν ἱστορίαν*, quoniam inter eius libros quorum notitiam habemus sola argumenti floridi sunt, ad uariam historiam conscribendam esse adhibita exploratum est; id quod iam singillatim confirmare studebo.

B. De Fauorini commentariis uariae historiae fonte.

Gellio scripta quaedam Fauorini, cum noctes Atticas componeret, praesto fuisse ex X, 12, 9; XI, 5, 5; XVII, 12, 2 efficitur. Quorum locorum primum iam dabo: 'Sed id, quod Archytam Pythagoricum commentum esse atque fecisse traditur, neque minus admirabile neque tamen uanum aeque uideri debet. Nam et plerique nobilium Graecorum et Fauorinus philosophus, memoriarum ueterum exsequentissimus, affirmatissime scripserunt, simulacrum columbae e ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum uolasse, ita erat scilicet libramentis suspensum et aura spiritus inclusa atque occulta concitum. Libet hercle super re tam abhorrenti a fide ipsius Fauorini uerba ponere: *Ἀρχύτας Ταραντῖνος τὰ ἄλλα καὶ μηχανικὸς ὢν ἐποίησεν περιστερὰν ξυλίνην πετομένην, ἥν ὁπότε καθίσειεν οὐκέτι ἀνίστατο*'. Hanc narrationem Nietzsche[3]) a commentariis quidem Fauorini censet esse repetendam, unde Mercklinus etiam n. A. locos hos: III, 17, III, 13, II, 18 ductos esse probabiliter coniecit[4]).

Quibus praemissis hanc Gellii et Aeliani congruentiam animo pendamus:

---

1) Philostr. u. s. II, 31. 2) Ibid. I, 8. 3) Mus. Rh. n. XXIII p. 647.
4) 'Die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gellius' in 'Jahrb. f. class. Philol.' Suppl. III (1860) p. 677 sq.

V. h. XIII, 27:

Ὅτι τὸ Σωκράτους σῶμα ἐπεπίστευτο κόσμιον καὶ σωφροσύνης ἐγκρατὲς γεγονέναι καὶ ταύτῃ. ἐνόσουν Ἀθηναῖοι πανδημεί, καὶ οἱ μὲν ἀπέθνησκον, οἱ δὲ ἐπιθανατίως εἶχον· Σωκράτης δὲ μόνος οὐκ ἐνόσησε τὴν ἀρχήν. ὁ τοίνυν τοιούτῳ συνὼν σώματι τίνα ἡγούμεθα εἶχε ψυχήν;

Noct. Att. II, 1: Inter labores uoluntarios et exercitia corporis ad fortuitas patientiae uices firmandi id quoque accepimus Socraten facere insueuisse: Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu perdius atque pernox a summo lucis ortu ad solem alterum orientem, inconueniens, immobilis, isdem in uestigiis et, ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tamquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore. Quam rem cum Fauorinus, de fortitudine eius uiri ut pleraque disserens, attigisset: 'πολλάκις inquit, ἐξ ἡλίου εἰς ἥλιον εἱστήκει ἀστραβέστερος τῶν πρέμνων'. Temperantia quoque fuisse eum tanta traditum est, ut omnia fere uitae suae tempora ualitudine inoffensa uixerit. In illius etiam pestilentiae uastitate, quae in belli Peloponnesiaci principio Atheniensium ciuitatem internecino genere morbi depopulata est, is parcendi moderandique rationibus dicitur et a uoluptatum labe cauisse et salubritates corporis retinuisse, ut nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius.

Verba ex noctibus Atticis modo apposita omnia, et Graeca et Latina, quoniam de uno eodemque Socrate sunt, consentaneum est recedere ad unum eundemque auctorem, quem esse Fauorinum Gellius ipse indicat. Quae non a colloquiis, ut is affirmat, sed item a libris quibusdam Fauorini profecta esse pro ratione qua Gellium fontes suos laudare scimus [1]) in pro-

1) Cf. Mercklin. p. 677: 'Wenn man die Methode des Gellius in den

patulo est. Utque in illa historiola quam de Archyta affert, ita in hac de Socrate, cum cetera in Latinum sermonem conuerteret, nonnulla uerba Graeca a repetitione non abhorrens propter significantiam retinuit. Iam uero ex omnigena historia hunc locum esse depromptum propterea negandum est, quod Gellius in XIV, 6 interprete Nietzscheo se eam tantummodo ad hoc quidem caput admotam statim properantem Fauorino reddidisse dicit. Neque ego amplector coniecturam Mercklini, qui eam narrationem ad peculiare Fauorini opusculum de Socrate compositum [1]) reuocat [2]). Nam Gellium, cui facultatem fuisse ex commentariorum copiis luculentissimis hauriendi uiri docti consentiant, num credis descendisse ad riuulos? Nunc uero, cum ea quae is l. l. de Socrate narrat ab alio quod notum est uolumine Fauorini duci non possint nisi a commentariis, horum nouum quoddam detexisse mihi uideor fragmentum, quod quidem cum uaria historia conspiret.

Porro obiter concinunt

V. h. IV, 13: *Ἐπίκουρος ὁ Γαργήττιος ἐκεκράγει λέγων 'ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανόν, ἀλλὰ τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν'. ὁ αὐτὸς δὲ ἔλεγε ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι μᾶζαν ἔχων καὶ ὕδωρ. ταῦτα μὲν οὖν ἐννοῶν ὁ Ἐπίκουρος τί βουλόμενος ἐπῄνει τὴν ἡδονήν, εἰσόμεθα ἄλλοτε.*	Noct. Att. IX, 8, 4: Hanc sententiam m e m i n i a F a u o r i n o inter ingentes omnium clamores detornatam inclusamque uerbis his paucissimis: *'τὸν γὰρ μυρίων καὶ πεντακισχιλίων χλαμύδων δεόμενον οὐκ ἔστι μὴ πλειόνων δεῖσθαι· οἷς γὰρ ἔχω προσδεόμενος, ἀφελὼν ὧν ἔχω, ἀρκοῦμαι οἷς ἔχω.*

Videmus igitur effatum Epicuri Aelianeum omnino in eodem argumento uersari ac Fauorini sententiam ex Gellio adscriptam; quam ne ipsam quidem ex ore illius ab hoc auditam, sed e libro quodam petitam esse apparet ex Stobaei flor. XLIX, 48, qui eandem plane ad uerbum exhibet. Iam uero,

litterarischen Capiteln erkannt hat, liegt es sehr nahe anzunehmen, es seien viel öfter zunächst die S c h r i f t e n der redenden Organe als Quellen für ihre mündliche Darstellung benutzt worden'.

1) Suid. s. u. 2) Mercklin. p. 678.

cum materia fragmento Fauorini apposito communis sit cum eo dicterio quod ex uariis adieci, hoc forma quidem cum alio frusto eiusdem auctoris congruit seruato ex commentariis: Di. La. V, 21: φησὶ δὲ Φαβωρῖνος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων ὥς (Ἀριστοτέλης) ἑκάστοτε λέγοι, ᾧ φίλοι, οὐδεὶς φίλος'.

Iam si uerum est id quod uolui comprobare, et Gellium et Aelianum commentariis Fauorini usos esse, exspectandum est, ut latius pertineat utriusque affinitas. Et re uera amplius patet, his locis sibi respondentibus: u. h. VIII, 12 et noct. Att. VIII, 9; u. h. IX, 20 et noct. Att. XIX, 1, 9sq.

Ventum est ad eas commentariorum reliquias quae per Diogenem aetatem tulerunt cum uaria historia comparandas:

V. h. II, 13: Ἐπετίθεντο τῷ Σωκράτει καὶ ἐπεβούλευον οἱ ἀμφὶ τὸν Ἄνυτον ὧν χάριν καὶ δι' ἃς αἰτίας λέλεκται πάλαι. ὑφορώμενοι δὲ τοὺς Ἀθηναίους καὶ δεδιότες ὅπως ποτὲ ἕξουσι πρὸς τὴν κατηγορίαν τοῦ ἀνδρὸς .... τί οὖν ἐπινοοῦσιν; Ἀριστοφάνην τὸν τῆς κωμῳδίας ποιητήν, βωμολόχον ἄνδρα καὶ γελοῖον ὄντα καὶ εἶναι σπεύδοντα ἀναπείθουσι κωμῳδῆσαι τὸν Σωκράτη, ταῦτα δήπου τὰ περιφερόμενα, ὡς ἦν ἀδολέσχης, λέγων τε αὖ τὸν ἥττω λόγον ἀπέφαινε κρείττονα, καὶ ἐσῆγε ξένους δαίμονας, καὶ οὐκ ἤδεῖτο θεοὺς οὐδ' ἐτίμα, τὰ δὲ αὐτὰ ταῦτα καὶ τοὺς	Di. La. II, 38: Οὗτος γὰρ (ὁ Ἄνυτος) οὐ φέρων τὸν ὑπὸ Σωκράτους χλευασμὸν πρῶτον μὲν ἐπήλειψεν αὐτῷ τοὺς περὶ Ἀριστοφάνην, ἔπειτα καὶ Μέλητον συνέπεισεν ἀπενέγκασθαι κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἀσεβείας καὶ τῶν νέων διαφθορᾶς. ἀπηνέγκατο μὲν οὖν τὴν γραφὴν ὁ Μέλητος, εἶπε δὲ τὴν δίκην Πολύευκτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ· συνέγραψε δὲ τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστής κτλ. Ibid. 39: Φαβωρῖνος δέ φησιν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων μὴ εἶναι ἀληθῆ τὸν λόγον τὸν Πολυκράτους κατὰ Σωκράτους· ἐν αὐτῷ γάρ, φησί, μνημονεύει τῶν ὑπὸ Κόνωνος τειχῶν ἀνασταθέντων, ἃ γέγονεν ἔτεσιν ἓξ τῆς τοῦ Σωκράτους τελευτῆς ὕστερον. καὶ ἔστιν

προσιόντας αὐτῷ ἐδίδασκέ τε καὶ εἰδέναι ἀνέπειθεν. ὁ δὲ Ἀριστοφάνης λαβόμενος ὑποθέσεως εὖ μάλα ἀνδρικῆς, ὑποσπείρας γέλωτα καὶ τὸ ἐκ τῶν μέτρων αἱμύλον, ... πρῶτον μὲν ἐξέπληξεν ἡ κωμῳδία κτλ.	οὕτως ἔχον. (40) Ἡ δ' ἀντωμοσία τῆς δίκης τοῦτον εἶχε τὸν τρόπον· ἀνάκειται γὰρ ἔτι καὶ νῦν, φησὶ Φαβωρῖνος, ἐν τῷ Μητρῴῳ· 'τάδε ἐγράψατο καὶ ἀντωμόσατο Μέλητος Μελήτου Πιτθεὺς Σωκράτει Σωφρονίσκου Ἀλωπεκῆθεν· ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος· ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων. τίμημα θάνατος'.
V. h. XI, 10: ... οὗτος δὲ ὁ Πολυκράτης (praeceptor ille Zoili Amphipolitae) καὶ τὴν κατηγορίαν ἔγραψε τὴν κατὰ Σωκράτους.	II, 20: Καὶ Ἀριστοφάνης αὐτὸν κωμῳδεῖ ὡς τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντα. καὶ γὰρ πρῶτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, μετὰ τοῦ μαθητοῦ Αἰσχίνου ῥητορεύειν ἐδίδαξε. Stob. flor. LXV, 8: Φαβωρίνου. Ἱκανὸν μὲν οὖν ἴσως καὶ τὸ τῆς ὄψεως, ἄν γε ὁ καλὸς καὶ αἱμύλος ᾖ καὶ λεκτικός.

Iam u. h. II, 13, quod caput Fauorino deberi comparatione proxime instituta apparuit, quin ex commentariis haustum sit non est dubium. Etenim cum cetera lemmata uariae historiae ad sedatum genus scribendi omnino expressa sint, Aelianus hoc loco oratione altissime euolat, adeo in anacolutha ceteroquin anxie uitata delapsus. Quid tandem eius animum ad hanc uiuacitatem impulit? Num ardens Socratis studium? Immo uero auctor, inquam, quem secutus est, Fauorinus; quem oratione uolubili et concitata plurimum ualuisse constat[1]). Sed enim, cum is in omnigena historia quidem, ut in libro ad indicum similitudinem conformato, res narrandas late et diffuse executus esse celeritatemque eloquendi incitasse non putandus sit, de origine loci ex uariis allati cogitantes ad alterum

1) Velut conf. Stob. flor. LXV, 8, CV, 62, XLIX, 48.

compendium Fauorini deducimur, scilicet denuo ad commentarios. — Porro haec quoque uerba nescio an inter se cohaereant:

V. h. XII, 17: Ὅτι Δημήτριος τοσούτων ἐθνῶν ἡγεμονεύων ἐφοίτα ἐς Λαμίας τῆς ἑταίρας σὺν τοῖς ὅπλοις καὶ φορῶν τὸ διάδημα.	Di. La. V, 76: Ἦν γὰρ (Δημήτριος ὁ Φαληρεύς) ἐκ τῆς Κόνωνος οἰκίας, ὡς Φαβωρῖνος ἐν πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων φησίν, ἀλλ' ἀστῇ καὶ εὐγενεῖ συνῴκει Λαμίᾳ τῇ ἐρωμένῃ.

Praeterea Socratis *δαιμόνιον*, ad quod u. h. VIII, 1 pertinet, a commentariis non alienum fuisse uidetur; in quorum libro primo Pollim Lacedaemonium, qui Platonem uendidisset, *τοῦ δαιμονίου μηνίσαντος* in mare demersum esse Diogenes III, 20 scriptum fuisse auctor est[1]). Denique quorum hominum nomina per reliquias huius operis occurrunt, ii tantum non omnes in uaria historia et ipsa tractantur. — Nunc autem dummodo paucula ex hoc fonte in eam translata esse certum sit, multa alia indidem deriuata esse ueri est simillimum.

Neque uero quatenus Aelianus commentariis usus sit distincte perspici potest. Hoc tamen tenendum esse puto, ea uariorum capita quae e continuis narrationibus separatim positis constant sola, neque exempla coagmentata illa inde depromi potuisse. Porro ut quaeque narratio Aeliani perpetua ex Platonis lectione prouenit uel alio quodam modo auctorem Academiae rediuiuae adscribendum resipit, ita ex eodem libro miscello uidetur emanasse; imprimis u. h. VIII, 1, 2, 9, XIV, 5, quos locos, cum dialogis Platonicis deberentur, tamen ab Aeliano ipso inde non esse excerptos antea[2]) assecuti sumus; item u. h. l. III caput 19, ubi legimus Platonem ex ambulatione consueta esse expulsum ab Aristotele, cuius imago summa inuidia inibi depingitur; l. X caput 21, ubi apes mella in Platonis ore collocauisse dicuntur; l. IX caput 10, quod est de Platone longaeuae uitae contemptore; l. IX caput 29, ubi Socrates iuuenes lasciuientes non fugisse narratur. Philosopho-

1) Cf. p. 73. 2) Pag. 26 sq.

rum autem placita seorsus per uariam historiam digesta et ipsa aptius huc quam ad peculiarem sententiarum librum a Suida memoratum reuocari uidentur.

C. Omnigenam historiam Fauorini in usum uariae historiae conuersam esse.

1.

Iam uero lexici cuius uestigia per Aeliani uaria dispersa sunt[1]) quis fuerit auctor quaerendum est. Ac primum quidem eum rerum Romanarum non inscium fuisse colligi potest cum ex u. h. III, 17 tum ex XII, 25. Idem, quia hoc loco Maecenas, Areus, Athenodorus, Augustus memorantur, post hunc Caesarem floruit; et satis magno quidem temporis spatio postquam is uita excesserat. Nam si eius aequalis fuisset, exempla ab eo eiusque amicis petita ut omnibus nota certe supersedisset afferre. Deinde erat philosophus. Etenim u. h. l. III caput 17 et l. XII caput 53, quae uocibus *ἐπολιτεύσαντο* et *πόλεμος* supra deinceps inscripsi, eo consilio composita sunt, ut philosophorum in rempublicam merita et belli peritia illustrarentur. Tale quid philosophi esse, qui sui suorumque obtrectatoribus offecerit nullius usus esse philosophos dictitantibus, quis est qui neget? Accedit quod hi elenchi uariorum nonnusquam ad philosophos pertinent: IX, 22 (*ἰατρός*), XII, 15 (*παιδιά*), XII, 25 (*ὤνηντο*), XII, 29—32 (*τρυφή*), XII 45 (*τέρατα*). Denique is cuius uestigia iam indagantur, si non rhetor erat, at certe arti rhetoricae libro suo inseruiebat. Tales enim exemplorum enumerationes, quales sunt in XII, 25, ubi recensentur, qui ab aliis adiuti sint, uel in III, 47, ubi habes aliquot homines rebus secundis non adiutos, ad usum oratorum declamatorumque spectant.

Ecce iterum facies enitescere uidetur Fauorini, cum aeque et philosophus fuerit et sophista facundissimus[2]) et Romae sub Hadriano uitam degerit et librum in litteras digestum confecerit: dico omnigenam historiam[3]).

---

1) Vid. p. 38 sqq. 2) Gell. XVI, 3. 3) Pag. 48 sqq.

2.

Quam ab Aeliano excerptam esse omni dubitatione remota certum erit, si apparuerit illos exemplorum indices, quibus uaria historia insignis est, quadrare ad Fauorini fragmenta, studia, indolem, aut, si hoc minus continget, ad libros Gellii et Diogenis Laertii, Fauorini asseclarum, aut ad Platonis dialogos, in quibus Fauorinus uersatus est. Apparebit uero, si hos locos contuleris:

Aelian. u. h. I, 1—13, quae capita ad uocem *ζῷα* cuiusdam rerum lexici antea reuocata sunt.]

Ad studia naturalia Fauorini comprobanda haec idonea sunt: Gellius XIV, 6 Nietzscheo interprete de indole omnigenae historiae agens 'At quae', inquit, 'ibi scripta erant, pro Iuppiter, mera miracula! . . . item et istic scriptum fuit, . . . qua ratione (Homerus) dixerit singulas pecudes in singulos annos terna parere'.

Macrob. Saturn. III, 18, 13: Nux terentina dicitur, quae ita mollis est, ut uix attrectata frangatur. De qua in libro Fauorini sic reperitur. Item quod quidam Tarentinas oues uel nuces dicunt, quae sunt terentinae a tereno, quod est Sabinorum lingua molle: unde Terentios quoque dictos putat Varro ad Libonem primo.

Accedit quod Fauorinus apud Gellium [1]) de uentis eorumque regionibus disputat, et quod Plutarchus cum librum *περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ* conscriptum, qui restat, ei dedicauit [2]), physicae eum disquisitionis arbitrum agnouit, idemque eum in studium Aristotelis et omnino in rationem Peripateticam incubuisse testis est [3]). Ceterum id quoque huc admoueri potest, quod Plutarchus, quo ille familiariter usus est, ne ipse quidem a quaestionibus naturalibus abhorruit, si quidem libellum de sollertia animalium ab eo compositum habemus. Conf. et Steph. Byz. s. u. *Βισαλτία*. —

V. h. II, 34—36, quae in illo lexico, cuius auctor quaeritur, s. u. *γῆρας* inserta fuisse dixi.] Condidit

1) II, 22. 2) Moral. II p. 945 F sqq. 3) Quaestt. conu. VIII, 10.

Fauorinus librum *περὶ γήρως* inscriptum [1]), de quo Stobaeus in flor. CXV, 17, 22, CXVI, 44, CXIX, 16 pauca seruauit. CXV, 17: *Ἐκ τοῦ Φαβωρίνου περὶ γήρως. Οὐδὲ γὰρ τοῦτο ἐάσω ἄρρητον, ὅτι καὶ Πλάτωνι καὶ Πυθαγόρᾳ δοκεῖ τὸ γῆρας οὐκ ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ βίου εἶναι, ἀλλ' ἐπ' ἀρχῇ τῆς μακαρίας ζωῆς.* —

V. h. III, 2—7, quae uoce *μεγαλοφροσύνη* a me insignita sunt.] III, 2: *Ἀναξαγόρᾳ τις τῷ Κλαζομενίῳ σπουδάζοντι πρὸς τοὺς ἑταίρους προσελθὼν ἔφη τεθνηκέναι οἱ τοὺς δύο παῖδας οὕσπερ οὖν εἶχε μόνους ὁ Ἀναξαγόρας. ὁ δὲ μηδὲν διαταραχθεὶς εἶπεν 'ᾔδειν θνητοὺς γεγεννηκώς'.*

III, 3: *Ξενοφῶντι θύοντι ἧκέ τις ἐκ Μαντινείας ἄγγελος, λέγων τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν Γρύλλον τεθνάναι· κἀκεῖνος ἀπέθετο μὲν τὸν στέφανον, διετέλει δὲ θύων. ἐπεὶ δὲ ὁ ἄγγελος προσέθηκε τῷ πρότερον λόγῳ καὶ ἐκεῖνον τὸν λέγοντα ὅτι νικῶν μέντοι τέθνηκε, πάλιν ὁ Ξενοφῶν ἐπέθετο τῇ κεφαλῇ τὸν στέφανον.*

Di. La. IX, 20: *Φησὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ περὶ γήρως καὶ Παναίτιος ὁ Στωϊκὸς ἐν τῷ περὶ εὐθυμίας, ταῖς ἰδίαις χερσὶ θάψαι τοὺς υἱεῖς αὐτόν (Ξενοφάνην), καθάπερ καὶ Ἀναξαγόραν. δοκεῖ δὲ τοῦτο καὶ πεπρᾶχθαι* (sic legendum esse puto cum Casaubono, neque *πεπρᾶσθαι*) *ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν Παρμενίσκου καὶ Ὀρεστάδου, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ.* (i. e. Fauorinus haec omnia narrauit auctore Panaetio, qui quidem Demetrium exscripserat).

Di. La. II, 54 sq.: *Τηνικαῦτα δὴ καὶ τὸν Ξενοφῶντά φασι θύειν ἐστεμμένον. ἀπαγγελθέντος δ' αὐτῷ τοῦ θανάτου ἀποστεφανώσασθαι· ἔπειτα μαθόντα, ὅτι γενναίως, πάλιν ἐπιθέσθαι τὸν στέφανον. ἔνιοι δὲ οὐδὲ δακρῦσαί φασιν αὐτὸν ἀλλὰ γὰρ εἰπεῖν 'ᾔδειν θνητὸν γεγεννηκώς'.*

Stob. floril. CVIII, 76 ex Fauorino: *Ἀνὴρ δὲ ἐν μεγαλοψυχίᾳ ἀληθινῇ καὶ φιλοσοφίᾳ τεθραμμένος πρὸ τῶν ξυμφορῶν τὴν εὐθυμίαν ἐν τῇ γνώμῃ ἀπόθετον ἔχει. τὸ δὲ ἐπὶ τοῖς δεινοῖς τῆς ἐξ ἑτέρου παρηγορίας χρῄζειν τὸν καιρὸν τῆς εὐθυμίας ὑπερβαίνει*[2]). —

1) Conf. p. 71. 2) Pag. 73.

V. h. III, 9, 10, 12, 30 (ἔρως).]

III, 9: Ἐρῶντι ἀνδρί τις οὐκ ἐρῶν ἐπειγούσης τῆς μάχης καὶ συνάγοντος τοῦ πολέμου οὐκ ἂν συμμίξειεν. ὁ γὰρ ἀνέραστος φεύγει καὶ ἀποδιδράσκει τὸν ἐρωτικόν, ἅτε βέβηλος καὶ ἀτέλεστος τῷ θεῷ καὶ τοσοῦτον ἀνδρεῖος, ὅσον αὐτῷ καὶ ἡ ψυχὴ χωρεῖ καὶ τὸ σῶμα ῥώμης ἔχει· δέδοικε δὲ τὸν ἕτερον, ἅτε ἐκ θεοῦ κατόχως ἐνθουσιῶντα, καὶ οὐ μὰ Δία τοῦτο τὸ κοινὸν ἐξ Ἄρεος ἀλλ' ἐξ Ἔρωτος μανέντα. οἱ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ ἑτέρου τῶν θεῶν κατειλημμένοι, ὧν ἕνα Ὅμηρός φησιν ὅμοια τῷ Ἄρει μαίνεσθαι, ἀλλ' ἐκεῖνοί γε ἐξ ἑνὸς περιειλημμένοι δαίμονος εὖ καὶ καλῶς ἀγωνίζονται τοσοῦτον, ὅσον ἐνθουσιᾶν αὐτοὺς ἅπαξ· οἱ δὲ Ἔρωτος βάκχοι πολεμοῦντες καὶ ὑπὸ τῆς Ἄρεος ὁρμῆς καὶ ὑπὸ τῆς Ἔρωτος ἐκκαύσεως διπλῆν τὴν λατρείαν ὑπομένοντες εἰκότως κατὰ τὴν Κρητῶν ἔννοιαν κατορθοῦσι διπλᾶ. οὐκουν τῷ ἐξ

Apud Platonem in conuiuii pag. 178 E Phaedrus amorem celebrans haec dicit: Ταὐτὸν δὲ τοῦτο καὶ τὸν ἐρώμενον ὁρῶμεν, ὅτι διαφερόντως τοὺς ἐραστὰς αἰσχύνεται, ὅταν ὀφθῇ ἐν αἰσχρῷ τινι ὤν. εἰ οὖν μηχανή τις γένοιτο ὥστε πόλιν γενέσθαι ἢ στρατόπεδον ἐραστῶν τε καὶ παιδικῶν, οὐκ ἔστιν ὅπως ἂν ἄμεινον οἰκήσειαν τὴν ἑαυτῶν ἢ ἀπεχόμενοι πάντων τῶν αἰσχρῶν καὶ φιλοτιμούμενοι πρὸς ἀλλήλους. (p. 179) καὶ μαχόμενοί γ' ἂν μετ' ἀλλήλων οἱ τοιοῦτοι νικῷεν ἄν, ὀλίγοι ὄντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πάντας ἀνθρώπους. ἐρῶν γὰρ ἀνὴρ ὑπὸ παιδικῶν ὀφθῆναι ἢ λιπὼν τάξιν ἢ ὅπλα ἀποβαλὼν ἧττον ἂν δή που δέξαιτο ἢ ὑπὸ πάντων τῶν ἄλλων, καὶ πρὸ τούτου τεθνάναι ἂν πολλάκις ἕλοιτο. καὶ μὴν ἐγκαταλιπεῖν γε τὰ παιδικὰ ἢ μὴ βοηθῆσαι κινδυνεύοντι, οὐδεὶς οὕτω κακὸς ὅντινα οὐκ ἂν αὐτὸς ὁ Ἔρως ἔνθεον ποιήσειε πρὸς ἀρετήν, ὥσθ' ὅμοιον εἶναι τῷ ἀρίστῳ φύσει. καὶ ἀτεχνῶς ὃ ἔφη Ὅμηρος, μένος ἐμπνεῦσαι ἐνίοις τῶν ἡρώων τὸν θεόν, τοῦτο ὁ Ἔρως τοῖς ἐρῶσι παρέχει γιγνόμενον παρ' αὐτοῦ.

Platon. conuiu. p. 218 B: Οἱ δὲ οἰκέται, καὶ εἴ τις ἄλλος ἐστὶ βέβηλός τε καὶ ἄγροικος, πύλας πάνυ μεγάλας τοῖς ὠσὶν ἐπίθεσθε.

Platon. Phaedon. pag. 69 C: Καὶ κινδυνεύουσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν καταστήσαντες οὐ φαῦλοί τινες εἶναι,

Ἄρεος καὶ Ἔρωτος φονῶντι αἰτιάσαιτο ἄν τις εἰ μὴ ὑπομένοι ὁπλίτης ἀνταγωνίσασθαι ὑφ' ἑνὶ τεταγμένος θεῷ, ἀλλ' οὐχ ὑπὸ τοῖς δύο.	ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι, ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς Ἅιδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται, ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει. εἰσὶ γὰρ δή, φασὶν οἱ περὶ τὰς τελετάς, ναρθηκοφόροι μὲν πολλοὶ βάκχοι δέ τε παῦροι. Vox βακχεία occurrit in conuiuii pag. 218 B et legg. VII p. 790 E.

Quae in u. h. III, 10 sunt sententiae inueniuntur in conu. pp. 178 DE et 185 A.

Quoniam ita se res habet, quae ll. ll. uariae historiae de amore disseruntur uiro cuidam uindicanda sunt Platonis studiosissimo, qui non modo sententias, sed etiam locutiones ei proprias in sucum et sanguinem conuerterit; quem fuisse Aelianum ipsum nequaquam putandum est, quandoquidem hunc illius dialogos ne primoribus quidem labris attigisse scimus. Immo 'thema tritum erat et commune sophistarum (recentiorum), de quo Maximus Tyrius diss. XXIV—XXVII disputat, ut Socratis in iuuenes amorem honestum sanctumque fuisse ostenderetur'[1]. Nunc uero etiam Fauorinus in eo argumento uersatus est; scripsit enim auctore Suida περὶ Σωκράτους καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἐρωτικῆς τέχνης. Neque fieri posse existimo, ut de Fauorino illorum Aeliani lemmatum auctore ulla dubitatio in mente tua residua sit, si ipsius uerba audiueris, quibus se spadonem esse conquestus est: Stob. flor. LXIV, 26: Φαβωρίνου. Πάθος τί μοι προσέπεσε τῇ ψυχῇ, καὶ ὅ τι μὲν ἔστιν οὐκ οἶδα· ἔρωτα δ' αὐτὸ λέγουσιν εἶναι οἱ μεμυημένοι. βάσκανε δαῖμον καὶ ἀλόγιστε, ἀσθενεῖ προσελήλυθας σώματι, φέρειν σε μὴ δυναμένῳ. ἐξίσταμαί σοι δαῖμον, παραχωρῶ σοι τῆς μάχης· οὐκ εἰμί σοι στρατιώτης. Patet igitur et in hoc Fauorini et apud Aelianum de amoribus tamquam de mysteriis, de amatoribus tamquam de pugnatoribus agi, utriusque autem loci ex Platonis conuiuio sumptum esse

1) Marres p. 87.

habitum et colorem. Tandem igitur forte secunda euenit, ut quae frusta Platonis apud Aelianum exhibita ad Fauorinum reuocanda esse iam pridem mihi uisa erant, uno certo documento cum eius nomine conexa sint.

Verum u. h. l. III capita 9, 10, 12 (30) ex illo ipso libro de Socrate eiusque arte amatoria superscripto non uidentur fluxisse. Etenim quod nullus praeterea uariorum locus hanc originem redolet, Aelianum, si quidem tanta fuisset industria, ut illum fontem peculiarem, copia thesauros describendi data, adiret, num tria uel quattuor fragmenta inde haurire satis habiturum fuisse putabimus? Immo illa ab inciso omnigenae historiae uoce ἔρως notato oriunda esse confido. Quod si statuimus, explicatur, quomodo factum sit, ut ea in uaria historia et uicinitate coniuncta exstent et sola ad quaestiones amatorias istius notae pertineant. Neque leuis momenti est, quod ἔρως littera initiali cadit in uocabula ἕξ, *εἰκών, γῆρας, μεγαλοφροσύνη, ἐπολιτεύσαντο, εὑρετής, δεῖπνον,* quibus finitimos rerum similium indices insigniui.

Volumen Fauorini de senectute inscriptum ab Aeliano inspectum esse simili argumentatione usus negauerim [1]). —

V. h. III, 17 (*ἐπολιτεύσαντο*).] .... *Ἀριστοτέλης δὲ τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα οὐ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο ἐς γόνυ πεσοῦσαν ἀλλ' ἐπὶ στόμα ἀνέστησεν αὖθις.*

Di. La. V, 4: *Ἐντεῦθέν τε γενέσθαι ἐν Μακεδονίᾳ (Ἀριστοτέλην) παρὰ Φιλίππῳ καὶ λαβεῖν μαθητὴν παρ' αὐτοῦ τὸν υἱὸν Ἀλέξανδρον, καὶ αἰτῆσαι ἀναστῆσαι αὐτοῦ τὴν πατρίδα κατασκαφεῖσαν ὑπὸ Φιλίππου καὶ τυχεῖν.* —

V. h. III, 40—42 (*Διόνυσος*).] III, 40: *Ὅτι οἱ συγχορευταὶ Διονύσου Σάτυροι ἦσαν οἱ ὑπ' ἐνίων Τίτυροι ὀνομαζόμενοι. ἔσχον δὲ τὸ ὄνομα ἐκ τῶν τερετισμάτων, οἷς χαίρουσι. Σά-*

Schol. ad. Plat. conuiu. 788, 31: *Σιληνοὶ Διονύσου χορευταί, παρὰ τὸ σιλλαίνειν, ὅ ἐστι σκώπτειν, λεγόμενοι παρὰ τοὺς πότους.*

1) Vid. p. 68.

τυροι δὲ ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι. Σειληνοὶ δὲ ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν· τὸν δὲ σίλλον ψόγον λέγουσι μετὰ παιδιᾶς δυσαρέστου. ἐσθὴς δ' ἦν τοῖς Σειληνοῖς ἀμφίμαλλοι χιτῶνες. αἰνίττεται δὲ ἡ στολὴ τὴν ἐκ τοῦ Διονύσου φυτείαν καὶ τὰ τῶν οἰναρίδων δάση.

Ibid. 35: Σάτυροι Διονύσου ὀπαδοὶ καὶ οὗτοι, οἳ διὰ τὸ ἐν ὄρεσιν οἰκεῖν ἀλουτοῦντες, τράγων σκέλη καὶ τρίχας νομιζόμενοι ἔχειν παραδέδονται, καὶ ταύτῃ καλεῖσθαι ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι τῷ οἴνῳ, τουτέστι κεχηνέναι· φίλοινοι γάρ εἰσι.

Vides hoc Aeliani tractum esse ex doctis adnotationibus adiunctis illis ad eundem librum Platonicum, ex quo sententias quasdam per Fauorinum quidem in uariam historiam deuenisse proxime assecuti sumus. Quod uero de deriuatione nominum Satyrorum, Tityrorum, Silenorum ibi quaeritur, egregie concinit cum indole omnigenae historiae, in qua teste Photio fuerunt τῶν κατὰ τὰ ὀνόματα θέσεων αἰτιολογίαι. —

V. h. IV, 1 (ἔθη).] Terrarum quoque descriptionem in omnigena historia passim tractatam fuisse efficitur ex Stephani Byzantii lemmatis sic inscriptis: Ἄργιλος, Αὐταριᾶται, Τετράπολις, Χελιδόνιοι, Ὠκεανός; — Ἀκτή, Ἀραχωτοί, Βόσπορος, Σφακτήρια.

Verum non tantum de situ urbium, montium, fluminum, sed etiam de hominibus et fabellis unicuique terrae propriis ibi scriptum erat, si quidem Stephanus haec dicit s. u. Αἰθίοψ: ... ὀνομάζουσι δὲ τοὺς αἰτίους τούτων (sc. Aethiopum) Μίθραν καὶ Φλεγύαν, ἄνδρας Αἰθίοπας τὸ γένος, ὡς Φαβωρῖνος.

S. u. Βισαλτία: πόλις καὶ χώρα Μακεδονίας, ἀπὸ Βισάλτου τοῦ Ἡλίου καὶ Γῆς. περὶ ταύτην οἱ λαγοὶ σχεδὸν πάντες ἁλίσκονται δύο ἥπατα ἔχοντες, ὡς Θεόπομπος ἱστορεῖ καὶ Φαβωρῖνος.

S. u. Κρεμμυών: κώμη Κορίνθου. Εὔδοξος ἕκτῳ γῆς περιόδου. ὁ πολίτης Κρεμμυώνιος. ἐν ᾗ μυθεύουσι τὰ περὶ τὴν Κρεμμυωνίαν ὗν, ἣν μητέρα τοῦ Καλυδωνίου κάπρου φασὶ καὶ τῶν Θησέως ἄθλων [ἕνα]'. Φαβωρῖνος δέ, ὅτι τοῦ Ἐρυμανθίου καὶ τοῦ Καλυδωνίου μήτηρ ἦν.

Iam quid impedit, quominus Fauorinum de moribus populorum mirabilibus in eodem libro egisse credamus? —

V. h. IV, 8 (*μεταβολαί*).] Maxim. Tyr. XXVIII, 590: (*Ἐκ τῶν Φαβωρίνου*) *Ἐντυχὼν μὴ ἔσο ὑπερήφανος, ἀπορήσας μὴ ταπεινός· τὰς μεταβολὰς τῆς τύχης γενναίως ἐπίστασο φέρειν*[1]).

Di. La. I, 93 in placitis Cleobuli: *Τὰς μεταβολὰς τῆς τύχης γενναίως ἐπίστασο φέρειν.*

Stob. flor. CV, 62: *Φαβωρίνου. Ἄνθρωπος ὢν μηδέποτ᾽ εἴπῃς ὅτι γίνεται αὔριον· μηδ᾽ ἄνδρα ἰδὼν ὄλβιον, ὅσσον χρόνον ἔσσεται κτλ.* —

V. h. VI, 11—13 (*τύραννοι*).]

V. h. VI, 13: *Καλῶς τὸ δαιμόνιον ἐπὶ τριγονίαν τυραννίδας μὴ ἄγον, ἀλλὰ ἢ παραχρῆμα ἐκτρῖβον τοὺς τυράννους πίτυος δίκην ἢ παίδων στερίσκον. μνημονεύονται δὲ ὑφ᾽ Ἑλλήνων ἐξ αἰῶνος καὶ ἐς ἐγγόνους διαρκέσαι αἵδε, ἥ τε Ἱέρωνος ἐν Σικελίᾳ καὶ ἡ τῶν Λευκωνιδῶν περὶ Βόσπορον καὶ ἡ τῶν Κυψελιδῶν ἐν Κορίνθῳ.*

Fauorinum tyrannos odio prosecutum esse colligendum est ex Stob. flor. XLIX, 14[2]) et 48.

Di. La. III, 20: *Τὸν Πόλλιν λόγος ὑπό τε Χαβρίου ἡττηθῆναι, καὶ μετὰ ταῦτα ἐν Ἑλίκῃ καταποντωθῆναι, τοῦ δαιμονίου μηνίσαντος αὐτῷ διὰ τὸν φιλόσοφον (Πλάτωνα), ὡς καὶ Φαβωρῖνός φησιν ἐν πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων.* —

V. h. VII, 4 et 5 (*πόνος*).]

V. h. VII, 4: *Ὅτι Πιττακὸς πάνυ σφόδρα ἐπῄνει τὴν μύλην, τὸ ἐγκώμιον αὐτῆς ἐκεῖνο ἐπιλέγων, ὅτι ἐν μικρῷ τόπῳ διαφόρως ἔστι γυμνάσασθαι.*

Di. La. I, 81: *Τούτῳ* (sc. *Πιττακῷ*) *γυμνασία ἦν σῖτον ἀλεῖν, ὥς φησι Κλέαρχος ὁ φιλόσοφος.* —

V. h. IX, 17—21 (*κουφότης*).]

V. h. IX, 20: *Πλέων Ἀρίστιππος χειμῶνος ἐπιγενομένου πά-*

Di. La. II, 71, de Aristippo: *Εἰς Κόρινθον αὐτῷ πλέοντί ποτε*

1) Cf. u. h. III, 2—7 (*μεγαλοφροσύνη*) et quae ad hos locos in p. 68 adnotata sunt. 2) Pag. 57.

ν σφόδρα ἐταράττετο. ἔφη δέ τις τῶν συμπλεόντων ‘ὦ Ἀρίστιππε, καὶ σὺ δέδοικας, ὡς οἱ πολλοί’. ὁ δὲ ‘καὶ μάλα γε εἰκότως· ὑμῖν μὲν γὰρ περὶ κακοδαίμονός ἐστι βίου ἡ σπουδὴ καὶ ὁ νῦν κίνδυνος, ἐμοὶ δὲ περὶ εὐδαίμονος’.

καὶ χειμαζομένῳ συνέβη ταραχθῆναι. πρὸς οὖν τὸν εἰπόντα, ‘ἡμεῖς μὲν οἱ ἰδιῶται οὐ δεδοίκαμεν, ὑμεῖς δ' οἱ φιλόσοφοι δειλιᾶτε’ ‘οὐ γὰρ περὶ ὁμοίας’, ἔφη, ‘ψυχῆς ἀγωνιῶμεν ἑκάτεροι’. Gellius XIX, 1, 9 sq. eadem narrat.

V. h. X, 3 (*νεόττια*).] Videas, quaeso, quae ad studia naturalia Fauorini comprobanda in p. 67 allata sunt. —

V. h. XI, 1—3 (*πρῶτος*).]

V. h. XI, 1: *Ὅτι Ὀρίκαδμος πάλης ἐγένετο νομοθέτης, καθ' ἑαυτὸν ἐπινοήσας τὸν Σικελικὸν τρόπον καλούμενον.*

Di. La. II, 1 de Anaximandro: *Εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ.*

2: *Ὅτι ἦν Ὀροιβαντίου Τροιζηνίου ἔπη πρὸ Ὁμήρου, ὥς φασι Τροιζήνιοι λόγοι. καὶ τὸν Φρύγα δὲ Δάρητα, οὗ Φρυγίαν Ἰλιάδα ἔτι καὶ νῦν ἀποσωζομένην οἶδα, πρὸ Ὁμήρου καὶ τοῦτον γενέσθαι λέγουσι. Μελήσανδρος ὁ Μιλήσιος Λαπιθῶν καὶ Κενταύρων μάχην ἔγραψεν.*

Di. La. II, 20 de Socrate: *Καὶ γὰρ πρῶτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, μετὰ τοῦ μαθητοῦ Αἰσχίνου ῥητορεύειν ἐδίδαξε.*
Di. La. V, 9 de Aristotele: *Τοῦτον πρῶτον Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ λόγον δικανικὸν ὑπὲρ ἑαυτοῦ συγγράψαι φησὶν ἐπ' αὐτῇ ταύτῃ τῇ δίκῃ.*

3: *Ὅτι Ἴκκος ὁ Ταραντῖνος πάλης ὑπήρξατο, σωφρονέστερον τὸν τῆς ἀθλήσεως χρόνον διαζήσας καὶ κεκολασμένῃ τροφῇ διαβιώσας καὶ ἀφροδίτης ἀμαθὴς διατελέσας.*

Di. La. VIII, 12 de Pythagora: *Λέγεται δὲ καὶ πρῶτος κρέασιν ἀσκῆσαι ἀθλητάς, καὶ πρῶτόν γ' Εὐρυμένην, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν τρίτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων, τῶν πρότερον ἰσχάσι ξηραῖς καὶ τυροῖς ὑγροῖς, ἀλλὰ καὶ πυροῖς*

| σωμασκούντων αὐτούς, καθάπερ ὁ αὐτὸς Φαβωρῖνος ἐν ὀγδόῃ παντοδαπῆς ἱστορίας φησίν.

De reliquis inuentis ad omn. hist. a Diogene diserte reuocatis cf. p. 53.

Gellius XIV, 6 interprete Nietzscheo se in omnigena historia legisse dicit 'quo nomine fuerit, qui primus 'grammaticus' appellatus est'.

Ac mihi quidem, cum de hoc manifesto utrorumque locorum consensu ad tuum te iudicium remittam, occasione data ad alphabeticam dispositionem omnigenae historiae confirmandam rem addere liceat satis memorabilem; dico quod Diogenes, ubicumque ad eam prouocans de philosophis inuentoribus agit, non uocibus ἤρξατο, ηὗρεν, εὑρετὴς similibus, sed mira quadam constantia semper uoce πρῶτος usus est. Qua de causa hanc uocem uel remotis omnibus quaecumque adhuc de illo libro disputata sunt, conspicuum quendam in modum in promptu est ibi eminuisse. —

V. h. XI, 9 (πενία). Stob. flor. XCV, 14: Φαβωρίνου. Πενίας διττὸν εἶδος· ἢ γὰρ διὰ τὴν γνώμην ἄνθρωποι πένονται ἢ διὰ τὴν τύχην κτλ. —

V. h. XII, 16 (ζηλοτυπία).]

V. h. XII, 26 (ποτίστατοι).]

V. h. XII, 26: Ποτίστατοι γεγόνασιν ἄνθρωποι ὥς φασι Ξεναγόρας ὁ Ῥόδιος, ὃν ἐκάλουν Ἀμφορέα, καὶ Ἡρακλείδης ὁ πύκτης, καὶ Πρωτέας ὁ Λανίκης μὲν υἱός, Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ βασιλέως σύντροφος. καὶ αὐτὸς δὲ Ἀλέξανδρος λέγεται πλεῖστον πιεῖν ἀνθρώπων.

V. h. XII, 16: Λέγεται Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου ζηλοτυπώτατα πρὸς τοὺς ἑταίρους διατεθῆναι καὶ βασκαίνειν

| Pseudocallisth. I, 13 de Alexandro: Ἐγένετο δὲ αὐτοῦ τροφὸς Λανίκη ἡ Μέλαντος ἀδελφή, παιδαγωγὸς καὶ ἀνατροφεὺς Λεωνίδης, διδάσκαλος γραμμάτων Πολυνείκης, μουσικῆς δὲ Λεύκιππος Λήμνιος, γεωμετρίας δὲ Μενεκλῆς ὁ Πελοποννήσιος, ῥητορικῶν δὲ λόγων Ἀναξιμένης, φιλο-

μὲν πᾶσιν, οὐ μὴν διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας. ἤχθετο γὰρ Περδίκκᾳ μὲν ὅτι ἦν πολεμικός, Λυσιμάχῳ δὲ ἐπεὶ στρατηγεῖν ἀγαθὸς ἐδόκει, Σελεύκῳ δὲ ἐπεὶ ἀνδρεῖος ἦν· Ἀντιγόνου δὲ αὐτὸν ἐλύπει τὸ φιλότιμον, Ἀντιπάτρου δὲ ἤχθετο τῷ ἡγεμονικῷ, Πτολεμαίου δὲ τὸ δεξιὸν ὑφεωρᾶτο, Ταρρίου δὲ ἐδεδίει τὸ ἄτακτον, τό γε μὴν νεωτεροποιὸν Πείθωνος.	*σοφίας δὲ Ἀριστοτέλης.* Quem locum sumptum esse e Fauorini omnigena historia per Valerium et hominem illum Armenium, qui uerba codicis archetypi Pseudocallisthenis in suum quisque sermonem conuerterunt, discimus [1]).

Lemmatis igitur ex uaria historia appositis cum hoc fragmento omnigenae historiae id commune est, quod et eandem argumenti perpetuitatem prae se ferunt et ex eodem libro de rebus Alexandri fabulose conscripto per genera uidentur excerpta esse. Accedit quod utrobique Lanicae mentio fit, Alexandri nutricis. —

V. h. XII, 29—32 (*τρυφή*).]	
V. h. XII, 32: *Πυθαγόρας ὁ Σάμιος λευκὴν ἐσθῆτα ἤσθητο, καὶ ἐφόρει στέφανον χρυσοῦν καὶ ἀναξυρίδας.*	Di. La. VIII, 47: *Ἐρατοσθένης δέ φησι, καθὸ καὶ Φαβωρῖνος ἐν τῇ ὀγδόῃ παντοδαπῆς ἱστορίας παρατίθεται, τοῦτον* (sc. *Πυθαγόραν*) *εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα .., κομήτην καὶ ἁλουργίδα φοροῦντα.* Cf. VIII, 19.
Ἐμπεδοκλῆς δὲ ὁ Ἀκραγαντῖνος ἁλουργεῖ ἐχρήσατο καὶ ὑποδήμασι χαλκοῖς. Ἱππίαν δὲ καὶ Γοργίαν ἐν πορφυραῖς ἐσθῆσι προϊέναι διαρρεῖ λόγος.	Di. La. VIII, 73: *Ἔτι τε πολλὰς τῶν πολιτίδων ἀπροίκους ὑπαρχούσας αὐτὸν* (sc. *Ἐμπεδοκλῆ*) *προικίσαι διὰ τὸν παρόντα πλοῦτον· διὸ δὴ πορφύραν τ᾽ ἀναλαβεῖν αὐτὸν καὶ στρόφιον ἐπιθέσθαι χρυσοῦν, ὡς Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ· ἔτι τ᾽ ἐμβάδας χαλκᾶς καὶ στέμμα Δελφικόν.* —

1) Vid. p. 54 sq.

V. h. XII, 35, 36 (de aporiis quibusdam diiudicandis).]

35: Ὅτι δύο Περίανδροι, ὁ μὲν σοφὸς ἦν, ὁ δὲ τύραννος. καὶ Μιλτιάδεις τρεῖς, ὁ τὴν Χερρόνησον κτίσας καὶ ὁ Κυψέλου καὶ ὁ Κίμωνος. Σίβυλλαι τέτταρες, ἡ Ἐρυθραία ἡ Σαμία ἡ Αἰγυπτία ἡ Σαρδιανή. οἳ δέ φασι καὶ ἑτέρας ἕξ, ὡς εἶναι τὰς πάσας δέκα, ὧν εἶναι τὴν Κυμαίαν καὶ τὴν Ἰουδαίαν. Βάκιδες τρεῖς, ὁ μὲν Ἐλεώνιος ὁ δὲ Ἀθηναῖος ὁ δὲ Ἀρκάς.

Dicit Maass p. 57 haec: 'De Periandro Corinthio dubitabant ueteres, num idem fuerit sapiens .... Constat ex oratione Corinthiaca (quam idem epimetro primo Dioni Chrysostomo abiudicans Fauorini esse demonstrat) Fauorinum istam de Periandro aporiam non solum nouisse, uerum, quod grauius est, ipsum diiudicasse. Postquam enim ille p. 520 [Emperius] non sine certo quodam consilio dixit *Περίανδρον τὸν Κυψέλου τὸν σοφὸν* et p. 521 iterauit *οὕτω ὑπὸ μὲν τοῦ θεοῦ βασιλεὺς ὑπὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων ἀνηγορεύθη σοφός*, haud contentus statim, ne quisquam haereret addidit *Περίανδρος σοφὸς μὲν ἦν μετ' ὀλίγων, τύραννος δὲ μετὰ πολλῶν· ἀμφότερα δὲ καὶ τύραννος καὶ σοφὸς μόνος*'.

Gellius XIV, 6 interprete Nietzscheo omnigenam historiam adumbrans se ibi legisse dicit 'quot fuerint Pythagorae nobiles, quot Hippocratae'.

Di. La. I, 79: *Γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Πίττακος νομοθέτης, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονευμάτων τρίτῳ καὶ Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις, ὃς καὶ μικρὸς προσηγορεύθη.*

36: Ἐοίκασιν οἱ ἀρχαῖοι ὑπὲρ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν τῆς Νιόβης παίδων μὴ συνᾴδειν ἀλλήλοις. Ὅμηρος μὲν ἕξ λέγει ἄρ-

Gellius XX, 7 agit 'de diuersis Graecorum sententiis super numero Niobae filiorum'.

ρενας καὶ τοσαύτας κόρας, Λᾶσος δὲ δὶς ἑπτὰ λέγει, Ἡσίοδος δὲ ἐννέα καὶ δέκα, εἰ μὴ ἄρα οὐκ εἰσὶν Ἡσιόδου τὰ ἔπη, ἀλλ' ὡς πολλὰ καὶ ἄλλα κατέψευσται αὐτοῦ. Ἀλκμὰν δέκα φησί, Μίμνερμος εἴκοσι, καὶ Πίνδαρος τοσούτους. —

V. h. XII, 43 (ταπεινότης).] ... Δημήτριον δὲ τὸν Φαληρέα οἰκοτρίβα γενέσθαι λέγουσιν ἐκ τῆς οἰκίας τῆς Τιμοθέου καὶ Κίνωνος.	Di. La. V, 76: Ἦν γὰρ (Δημήτριος) ἐκ τῆς Κόνωνος οἰκίας, ὡς Φαβωρῖνος ἐν πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων φησίν. —

V. h. XIII, 23 et 24 (παλίγκοτος)].

Dabo exempli gratia haec: XIII, 24, 1: Λυκοῦργος ὁ ῥήτωρ ἔγραψε μὴ ἐλαύνειν τὰς γυναῖκας ἐν τοῖς μυστηρίοις ἐπὶ ζευγῶν, ἢ τῇ δρώσῃ τοῦτο ἐπηρτῆσθαι ζημίαν ἥν γε ᾤετο ὁ τάξας ἀποχρῶσαν. πρώτη δὲ τῷ ψηφίσματι ἠπείθησεν ἡ τούτου γυνή, καὶ τὴν ζημίαν ἐξέτισε καταδικασθεῖσα. 24, 3: Κλεισθένης δὲ ὁ Ἀθηναῖος τὸ ἐξοστρακίζεσθαι πρῶτος ἐσηγησάμενος αὐτὸς ἔτυχε τῆς καταδίκης πρῶτος.	Di. La. III, 19: Παρέδωκε δ' αὐτὸν (sc. Διονύσιος ὁ τύραννος τὸν Πλάτωνα) Πόλλιδι τῷ Λακεδαιμονίῳ κατὰ καιρὸν διὰ πρεσβείαν ἀφιγμένῳ, ὥστε ἀποδόσθαι. κἀκεῖνος ἀγαγὼν αὐτὸν εἰς Αἴγιναν ἐπίπρασκεν. ὅτε καὶ Χάρμανδρος Χαρμανδρίδου ἐγράψατο αὐτῷ δίκην θανάτου κατὰ τὸν παρ' αὐτοῖς τεθέντα νόμον, τὸν πρῶτον ἐπιβάντα Ἀθηναίων τῇ νήσῳ ἄκριτον ἀποθνήσκειν. ἦν δ' αὐτὸς ὁ θεὶς τὸν νόμον, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ (etenim is in eodem libro Platonem Aeginae natum esse tradidit; cf. Di. La. III, 3). εἰπόντος δέ τινος, ἀλλὰ κατὰ παιδιάν, φιλόσοφον εἶναι τὸν ἐπιβάντα, ἀπέλυσαν.

3.

Neque uero egomet, quoniam illos indices exemplorum ex omnigena historia sumptos esse euicisse mihi uideor, eo

ipso hanc originem iis lemmatis quae per se collocata sunt et singulis argumentis continentur omnino abiudicandam esse contendi. Nempe res ita cogitari potest, ut quae in uaria historia separatim exstant, istic cum multis exemplis similibus cohaeserint, nisi quod Aelianus, sicut Athenaeum excerpens nonnumquam fecit, principalem qui illis apud Fauorinum fuisset cum uicinis conexum exstinxerit. Atque hoc quoque fieri potuit, ut Fauorinus ipse singula quidem argumenta inter aequales illas commentationes hic illic interposuerit. Immo uero haud pauca uariorum capitula, quae quidem suum quodque seorsus locum obtinent, ex eodem lexico uidentur deriuata esse. Nam quod omnigenam historiam ad quaestiones Homericas, ad inuentores, ad homines cognomines, ad terras describendas, ad appellationes explicandas pertinuisse testimoniis Gellii, Diogenis, Photii nobis compertum est, haec ipsa argumenta etiam extra illos similium rerum elenchos per Aeliani uaria deprehenduntur. Versantur enim in Homericis u. h. VI, 9, VIII, 2, IX, 15, XII, 48, XIII, 14, 19, 22, 38; in inuentis IX, 16; in numero mulierum nomine Sapphus uocatarum XII, 18, 19, quam aporiam ex eodem inciso unde u. h. XII, 35, 36 depromptam esse statuo; in descriptione terrarum V, 3, IX, 16, XIII, 16; in nominibus deriuandis V, 20, XII, 5, 28, — II, 32, IV, 26 V, 3, ubi sunt *μετονομασίαι*; in explicatione prouerbiorum VIII, 18, XII, 22, XIII, 17.

Imprimis uero haec, quia ad genus litterarum *αἰτιολογικὸν* proxime accedunt, omnigenam historiam fontem clamant:

V. h. IX. 16: *Τὴν Ἰταλίαν ᾤκησαν πρῶτοι Αὔσονες αὐτόχθονες. πρεσβύτατον δὲ γενέσθαι Μάρην τινὰ καλούμενον, οὗ τὰ μὲν ἔμπροσθεν λέγουσιν ἀνθρώπῳ ὅμοια, τὰ κατόπισθεν δὲ ἵππῳ. αὐτὸ δὲ τοὔνομα εἰς τὴν Ἑλλάδα φασὶν ἱππομιγὴς δύναται. δοκεῖ δέ μοι πρῶτος ἵππον ἀναβῆναι καὶ ἐμβαλεῖν αὐτῷ χαλινόν, εἶτα ἐκ τούτου διφυὴς πιστευθῆναι*[1]). Subiuncta est descriptio Italiae rhetorica, quam Aeliani ipsius esse arbitror.

1) Cf. p. 74sq. et Gell. I, 10.

V. h. II, 32: *Λέγουσί τινες λόγοι Πυθικοὶ τὸν Ἡρακλῆ τὸν Διὸς καὶ Ἀλκμήνης παῖδα ἀπὸ γενεᾶς Ἀλκαῖον κεκλῆσθαι κτλ.*
V. h. IV, 26: *Ξάνθος ὁ ποιητὴς τῶν μελῶν (ἐγένετο δὲ οὗτος πρεσβύτερος Στησιχόρου τοῦ Ἱμεραίου) λέγει τὴν Ἠλέκτραν τοῦ Ἀγαμέμνονος οὐ τοῦτο ἔχειν τοὔνομα πρῶτον ἀλλὰ Λαοδίκην κτλ.*
V. h. V, 3: *Ἀριστοτέλης τὰς νῦν Ἡρακλείους στήλας καλουμένας, πρὶν ἢ κληθῆναι τοῦτο, φησὶ Βριάρεω καλεῖσθαι αὐτάς κτλ.*

Gellius XIV, 6 se in omnigena historia legisse testis est 'quibus urbibus regionibusque uocabula mutata sint, quod Boeotia ante appellata fuerit 'Aonia', quod Aegyptus 'Aeria', quod Creta quoque eodem nomine Aeria dicta est, quod Attice '*Ἀκτή*', quod Corinthus 'Ephyre', quod Macedonis '*Ἠμαθία*', quod Thessalia '*Αἱμονία*', quod Tyros 'Sarra', quod Thracia ante 'Sithonia' dictast, quod Paeston '*Ποσειδώνιον*''.

Quid quod uoces *Ἡρακλῆς, Νηστεία, Ἰταλία,* quibus capita II, 32, V, 20, IX, 16, deinceps notanda esse consentaneum est, ad finitimorum indicum inscriptiones litteris primis optime quadrare ex his apparebit:

V. h. I, 13: *ζῷα*; II, 22 et 23: *εὐνομώτατοι*; II, 25: *ἕξ*; II, 32: *Ἡρακλῆς*; II, 33: *εἰκών*; II, 34—36: *γῆρας*. — IV, 8: *μεταβολαί*; IV, 15: *μουσική*; IV, 16: *μίμησις*; V, 1 et 2: *νόσος*; inde a V, 10: *πολιτεῖαι*; V, 20: *Νηστεία*; VI, 1: *ὕβρις*; VI, 11—13: *τύραννος*. — IX, 16: *Ἰταλία*; IX, 17—21: *κουφότης*; IX, 22: *ἰατρός*; IX, 34—37: *κουφότης*.

Restat ut haec addam:

V. h. III, 36: *Ἀριστοτέλης ὅτε ἀπέλιπε τὰς Ἀθήνας δέει τῆς κρίσεως, πρὸς τὸν ἐρόμενον αὐτόν 'τίς ἐστιν ἡ τῶν Ἀθηναίων πόλις'; ἔφη 'παγκάλη· ἀλλ' ἐν αὐτῇ*
ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ,
τοὺς συκοφάντας λέγων.

Di. La. V, 9: *Τοῦτον* (sc. *Ἀριστοτέλην*) *πρῶτον Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ λόγον δικανικὸν ὑπὲρ ἑαυτοῦ συγγράψαι φησὶν ἐπ' αὐτῇ ταύτῃ τῇ δίκῃ καὶ λέγειν ὡς Ἀθήνησιν*
ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

In u. h. XII, 22, qui locus neque Zenobio neque Diogeniano debetur quomodo adagium *ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς* ortum sit exponitur.

Phrynichus p. 37 Lobeck: *Ἐπεξελευσόμενος ἄλλος οὗτος ἦν Ἡρακλῆς. τοῦτο οὖν ἔσυρεν ἐκ τριόδου Φαβωρῖνος· καὶ γὰρ ἐπέξειμι λέγεται, ἀλλ' οὐκ ἐπεξελεύσομαι.*

Quod prouerbium in omnigena historia fortasse sub uoce *Παροιμίαι* exstitit.

Nunc uero, cum circiter quarta pars uariorum conglutinatis exemplis ex omnigena historia depromptis contineatur, de lemmatis autem inter se non conexis alia ad eandem, alia ad commentarios referenda sint, dimidium certe eius operis, quod quidem computare possim, Fauorino uindicandum est. Quodsi assumimus id quod prima dissertatione apparuit, XXVIII narrationes maioris ambitus ex Athenaeo descriptas esse, reliqui fontes uariae historiae numero multi fuisse non uidentur.

XI. De Pamphila[1]) *Aeliani auctore.*

Phot. bibl. cod. 175 p. 119 Bekk.: *Ἀνεγνώσθησαν Παμφίλης συμμίκτων ἱστορικῶν ὑπομνημάτων λόγοι η'. αὕτη ἀνδρὶ μὲν συνῴκει, ὡς καὶ αὐτὴ τῶν ὑπομνημάτων προοιμιαζομένη ἐπισημαίνεται· ᾧ καὶ ιγ' ἔτη ἐκ παιδὸς συμβιοῦσα ἤδη τῆς ὑπομνηματικῆς ταύτης συγγραφῆς λέγει ἀπάρξασθαι, συγγράψαι δὲ ἅ τε παρὰ τοῦ ἀνδρὸς μάθοι, τὰ ιγ' ἔτη συνεχῶς αὐτῷ συνοῦσα καὶ μηδ' ἡμέραν μηδ' ὥραν ἀπολειπομένη, καὶ ἃ παρ' ἄλλου τινὸς ἀκοῦσαι συνέβη τῶν παρ' αὐτὸν ἀφικνουμένων (πολλοὺς δὲ φοιτᾶν ὄνομα καὶ δόξαν ἔχοντας ἐπὶ παιδείᾳ), καὶ δὴ καὶ ὅσα βιβλίων αὐτὴ ἀνελέξατο. ταῦτα δὲ πάντα, ὅσα λόγου καὶ μνήμης αὐτῇ ἄξια ἐδόκει, εἰς ὑπομνήματα συμμιγῆ καὶ οὐ πρὸς τὰς ἰδίας ὑποθέσεις διακεκριμένον ἕκαστον διελεῖν, ἀλλ' οὕτως εἰκῇ καὶ ὡς ἕκαστον ἐπῆλθεν ἀναγράψαι, ὡς οὐχὶ χαλεπὸν ἔχουσα, φησί, τὸ κατ' εἶδος αὐτὰ*

1) C. Mueller. frr. histt. Graec. III p. 520. Westerm. in Pauly's Realenc. V p. 1094.

διελεῖν, ἐπιτερπέστερον δὲ καὶ χαριέστερον τὸ ἀναμεμιγμένον καὶ τὴν ποικιλίαν τοῦ μονοειδοῦς νομίζουσα, χρήσιμον δὲ τὸ βιβλίον εἰς πολυμαθίαν· εὕροι γὰρ ἄν τις καὶ τῶν ἱστορικῶν οὐκ ὀλίγα ἀναγκαῖα, καὶ δὴ καὶ ἀποφθεγμάτων καὶ ῥητορικῆς διατριβῆς ἔνια καὶ φιλοσόφου θεωρίας καὶ ποιητικῆς ἰδέας, καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἐμπέσοι. Αἰγυπτία δὲ τὸ γένος ἡ Παμφίλη, ἤκμασε δὲ καθ' οὓς χρόνους Νέρων ὁ Ῥωμαίων ἤκμαζεν αὐτοκράτωρ. ἡ δὲ φράσις, ὡς ἔστιν ἐκ τῶν προοιμίων συλλαβεῖν καὶ ἐν οἷς ἄλλοθί που ἴδιόν τι λέγει, καὶ μάλιστα κατὰ τὴν διάνοιαν, οἷα δὴ καὶ γυναικὸς ἔκγονον οὖσα, τῆς ἀφελοῦς ἐστιν ἰδέας, οὐδὲ τῇ λέξει πρὸς τὴν ἰδέαν ἀλλοτριουμένη. ἐν οἷς δὲ τὰ ἀρχαιοτέρων ἀπομνημονεύουσα λέγει, ποικιλώτερον αὐτῇ καὶ οὐ καθ' ἓν εἶδος σύγκειται ὁ λόγος.

Idem cod. 161 p. 103 Bekk.: Ὁ δὲ δεύτερος (sc. τῶν ἐκλογῶν λόγος Σωπάτρῳ συνείλεκται) ἔκ τε τῶν Σωτηρίδα Παμφίλης ἐπιτομῶν πρώτου λόγου καὶ καθεξῆς μέχρι τοῦ δεκάτου.

Suid.: Παμφίλη Ἐπιδαυρία σοφή, θυγάτηρ Σωτηρίδου, οὗ λέγεται εἶναι καὶ τὰ συντάγματα, ὡς Διονύσιος ἐν τῷ λ' τῆς μουσικῆς ἱστορίας, ὡς δὲ ἕτεροι γεγράφασι, Σωκρατίδα τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, ἱστορικὰ ὑπομνήματα ἐν βιβλίοις λγ', ἐπιτομὴν τοῦ Κτησίου ἐν βιβλίοις γ', ἐπιτομὰς ἱστοριῶν τε καὶ ἑτέρων βιβλίων παμπλείστας, περὶ ἀμφισβητήσεων, περὶ ἀφροδισίων καὶ ἄλλων πολλῶν. Cf. eundem s. u. Σωτηρίδας.

Fragmenta Pamphilae exstant apud Di. La. I, 24, 63, 76, 90, 98, II, 24, III, 23, V, 36 et apud Gell. XV, 17 et 23. Sunt autem deinceps de Thalete, de Chilone Lacedaemonio, de Pittaco, de Cleobulo Lindio, de Periandris, de Socrate, de Platone, de Theophrasto Menandri praeceptore — de Alcibiade tibias respuente, de aetate Hellanici Herodoti Thucydidis.

Praebetur aditus quasi ad officinam compilatorum qui post Christum natum fuerunt introspiciendam exemplo Sopatri hominis Aeliani simillimi. Cum enim Photius in codice CLXI auctores quibus is in eclogis conflandis usus est plene enumeret, habemus indicem librorum qui quidem illis saeculis ad

florilegia componenda uideri potuerint idonei. In quo exstant cum multa alia uolumina peculiaria illa tum miscellanea haec: Aristoxeni Tarentini *συμμικτὰ ὑπομνήματα*, Pamphilae *ἱστορικὰ ὑπομνήματα*, Cephalionis *Μοῦσαι*, Fauorini *παντοδαπὴ ἱστορία*, Athenaei *δειπνοσοφισταί*. Haec igitur inter cetera quae tum circumferebantur eiusmodi scripta, cum sola a Sopatro excerpta sint, longe luculentissima uidentur fuisse et excellentissima. Iam de iis cum Aristoxenus propterea quod priscus scriptor fuit, Cephalio quod ueterrimas res tractare satis habuit a fontibus Aeliani remouendi sint, Fauorinum uero et Athenaeum ad uariam historiam scribendam adhibitos esse sciamus, sequitur, ut de Pamphila nobis alios auctores Aeliani circumspicientibus intentiore animo deliberandum sit.

Immo haec non obscuris commendatur indiciis. Primum enim copiosior erat, quam ut in uaria historia conficienda praeterita esse uideretur, si quidem triginta tres libros commentariorum condidit, quem ambitum nullum quod tum erat opus multiiugum, quantum ego scio, excessit. Dein ut erat muliercula, cum non tam cognitionem quam delectationem in scribendo spectauerit[1], ad Aeliani ingenium proxime accedit. Quid quod floridam scribendi rationem qua usa est pariter excusauit et laudauit atque suorum librorum dispositionem Aelianus, utpote qui in epilogo historiae animalium haec dicat: *ἐγὼ δὲ πρῶτον μὲν τὸ ἐμὸν ἴδιον οὐκ εἰμι τῆς ἄλλου κρίσεώς τε καὶ βουλήσεως δοῦλος, οὐδέ φημι δεῖν ἕπεσθαι ἑτέρῳ, ὅποι μ' ἂν ἀπάγῃ· δεύτερον δὲ τῷ ποικίλῳ τῆς ἀναγνώσεως τὸ ἐφολκὸν θηρῶν καὶ τὴν ἐκ τῶν ὁμοίων βδελυγμίαν ἀποδιδράσκων οἱονεὶ λειμῶνά τινα ἢ στέφανον ὡραῖον ἐκ τῆς πολυχροίας, ὡς ἀνθεσφόρων τῶν ζῴων τῶν πολλῶν, ᾠήθην δεῖν τήνδε ὑφᾶναί τε καὶ διαπλέξαι τὴν συγγραφήν.*

Iam uero haud pauca argumenti genera Pamphilae cum Aeliano erant communia: uterque facete dicta, uterque philo-

1) Cf. Krüger, Leben des Thukydides p. 7 sq.

sophos et philosophiam, uterque narrationes ex historiarum libris excerptas tractauit.

Quin etiam utrique cum Ctesia Cnidio ratio quaedam intercedit. Etenim libro quem is de rebus Persicis composuit uariorum deberi capita 40 l. XII et 3 l. XIII ex Ath. II p. 45 b et Phot. bibl. cod. 72 p. 39 Bekk. efficitur.

Item libri I capita 21, 22, 31—34, licet quae ibi exstant disertis uerbis illi nusquam tribuantur, eiusdem sunt. Pertinent enim ad unum omnia ad Artaxerxem Mnemonem. Atque in I, 21 quidem narratur, quomodo Ismenias a Thebanis ad eum ablegatus ignominiam moris *προσκύνησις* appellati effugerit; I, 22 est de muneribus quae rex legatis ciuitatum exterarum mittebat; I, 31 de eo Persarum more quo regem per ipsos iter facientem pro suis quisque rebus, cum autem in agris uersabantur, prout quodque forte praesto erat donabant, bubus, ouibus, uino, lacte, caseo; in I, 32 Sinaetes agricola, cum procul a fundo suo regi obuiam factus non haberet, quid daret, aquam Cyri, fluminis propinqui, manibus exceptam ei muneri obtulisse et mille daricos pateramque auream accepisse narratur; exstat in I, 33 Artaxerxem Omisem, qui ei granatum maximum dedisset, et donis et laude remuneratum esse; in I, 34 Rhacocem Mardum duxisse Cartomem filium propter nequitiem uinctum ad iudices et petiisse ut eum capitis damnarent; regem, ad quem res delata esset, Rhacocem in ordinem iudicum regiorum recepisse, Cartomi ignouisse. Iam eadem exceptis cc. 22 et 34 leguntur in Artaxerxe Plutarchi, nisi quod ibi multo breuius enarrantur. Quocirca is, cum in hac uita modo Ctesiam, modo Dinonem auctores afferat, locis laudatis perinde atque Aelianus ex alteroutro pendet. Nunc autem illa Aelianea quod ad priuatam uitam Mnemonis, ad eius mores et itinera pertinent, quod non tantum nomina eorum quibuscum rex collocutus sit, Sinaetis, Omisis, Rhacocis, sed etiam uerba ipsa exhibent quae cum iis commutauerit, quod in c. 21 chiliarchus, qui Ismeniae regem udituro dicitur suasisse, ut eum antequam alloqueretur adoraret, nominatim memoratur, scilicet Tithraustes, debeantur necesse est homini cui-

dam ex comitatu Artaxerxis, qui et aulam Persicam penitus cognouerit et Artaxerxem solitus sit sectari. Hunc uero intellegendum esse non Dinonem, Philippi Macedonis aequalem, sed Ctesiam, qui per septendecim annos illius regis fuit medicus et quae apud eum moratus de rebus Persicis et Indicis compererat litteris mandauit, apertum est. Qua de causa si quis Ctesiae reliquias post C. Muellerum denuo aggressus erit colligere, illas sex per Aelianum seruatas non poterit praetermittere.

Iam uero Pamphila, quoniam epitomas cum aliorum scriptorum quam plurimas tum Ctesiae teste Suida scripsit, quin eum ipsum etiam ad commentarios suos historicos admouerit mihi dubium esse non uidetur. Utut est, nemo hac remota ἀπομνημονευμάτων auctor Ctesiae historiis operam nauasse traditur.

Alia quaedam Aeliani cum Pamphila affinitas in eo posita est, quod uterque cum Aegypto cohaeret. Terra Aegyptia quaestionum naturalium quodammodo fuit patria. Scilicet patefacit Mare Rubrum aditum miraculorum Indiae, Nilus Aethiopiae, illius elephantorum rhinocerotum leonum aridae nutricis. Altera autem fronte ad terras Mari Mediterraneo adiacentes spectans ne a Graecis quidem rerum mirabilium studiis potuit esse aliena. Iam in hoc trium continentium quasi confinio, praesertim cum Aegyptii obseruatione naturae antiquitus agitati deos ipsos animalibus plus minus accommodarent, necesse fuit, ut quaestiones physicae ad summum fastigium proueherentur. Exstiterunt igitur Alexandriae Callimachus [1]), Strato [2]), Philostephanus [3]), Antigonus Carystius [4]), Aristophanes Byzantius [5]), naturae doctissimi inuestigatores. Suffragabantur iis Ptolemaei reges eodem propensi. Quid quod Philadelphus Ptolemaim Epitherum [6]), Energetes Berenicen Panchrysum [7])

1) Pauly's Realenc. II p. 88. 2) Ibid. VI, 2 p. 1458. 3) Ibid. V p. 1530. 4) Ibid. I, 1 p. 1116 s; fragmm. exstant in Westermanni παραδοξογράφοις. 5) Ibid. I, 2 p. 1632. 6) Ibid. VI, 1 p. 198. 7) Ibid. p. 207.

colonias ad nullum alium finem nisi ad elephantos uenandos deduxerunt; quod Philadelphus Stratonis Theophrastei discipulus India tenus legatos misit, qui cum de commercio agerent tum res a natura mirabiliter conformatas undique conquisitas Alexandriam aduehérent[1]; quod idem thesauros miraculorum per conclauia regiae peculiaria habebat dispositos[1]. Ex Aegypto ut ex fonte copiosissimo multae historiolae absurdae per orbem terrarum effusae sunt. Veluti etiam physiologus, qui liber de proprietatibus bestiarum compositus et poetis et praedicatoribus aeui medii summae utilitati erat, ob glossemata Coptica inter uerborum contextum interposita inde est ducendus[2].

At quorsum haec? Vituperes me, quod digressus sum, dummodo quo magis quodque uolumen ueterum de animalibus est, eo probabilius ad origines quasdam Aegyptias referri concedas.

Iam Aeliani historia animalium, in quam cadunt quae proxime adumbrata sunt, cum mihi quidem composita esse uideatur ex libris singulis de piscibus, de elephantis, de circumnauigationibus et Maris Rubri et Ponti Euxini, ex Indicis quibusdam et Lybicis, denique ex opere quodam per litteras generatimque de bestiis conscripto, quale id erat quod Philo Byblius *περὶ παραδόξου ἱστορίας* inscripsit[3], permultas narrationes etiam apertis auctorum Aegyptiorum indiciis habet adspersas. Cuius rei ut aliquot exempla afferam, narrat Aelianus in h. a. III, 34 cornu trium amphorarum Philadelpho ex India missum esse; in XVI, 39 et eidem et Euergetae dracones uiuos ex Aethiopia Alexandriam esse deportatos; in XI, 25 pullum elephantinum Ptolemaeo alteri dono datum esse sermone Graeco eruditum; in VIII, 4 Ptolemaeus quidam crocodilis cibaria obicere solitus esse fertur; occurrunt identidem fabulae Aegyptiorum populares, ut in X, 25 de Cynoprosopis hominibus, qui in desertis inter Oasim et Aethiopiam sitis

1) Pauly's Realenc. VI p. 199. 2) Carus, Geschichte der Zoologie p. 142. 3) Suid. s. u. *Παλαίφατος*. Euseb. praep. eu. I, 9, 28 Dind.

habitare dicebantur. Laudantur scriptores Aegyptii, Callimachus (IX, 27, XV, 28), Manetho (X, 16), Phylarchus (VI, 29, XVII, 5), Aristophanes Byzantius (I, 38, VII, 39, 47), Apio (X, 29, XI, 40). Syenitae, Tentyritae, Ombitae, Coptitae, Busiritae, Arsenoitae, Chusenses, alii Nili accolae qua quique ratione in singula animalia uernacula, in crocodilos, ibidas, aspidas se praebuerint passim disseritur; passim Aegyptiorum morum sacrorumque, passim Nili mentio; passim et res exterarum gentium ad Aegyptias reuocantur. Velut in h. a. V, 56, postquam narratum est ceruos Syrios in Cyprum insulam desiderio pastionum quae ibi pinguissimae esse dicerentur solere transnare, haec exstant: *καὶ λέγουσί γε Κύπριοι εὔγεων οἰκεῖν χῶρον, καὶ ταῖς Αἰγυπτίων ἀρούραις τολμῶσιν ἀντικρίνειν τὰς σφετέρας.*

Neque in uaria historia, quatenus quidem neque ad Athenaeum neque ad Fauorinum supra reuocata est, talia desiderantur. Pertinet enim et ipsa nonnusquam ad Aegyptiorum regum uitas priuatas fabellasque populares. Habes in u. h. XIV, 31 Ptolemaei Tryphonis cum muliere quadam formosa colloquium; in I, 30 Galetem adulescentem tam pulcherrimum quam mitissimum Ptolemaeum regem, cui in deliciis esset, commouisse, ut equo concitato quosdam homines miseros, qui ad mortem ducerentur, soluere properaret; in XIV, 43 Berenicen a Ptolemaeo coniuge hortatu impetrasse, ut supplicia inter aleam indicta causa decernere desineret; in XIII, 33 aquilam alterum Rhodopis lauantis calceolum cum abripuisset posuisse in gremio Psammetichi regis; quem illam per legatos repertam in matrimonium duxisse.

Deinde ex fabulosa Alexandri historia, quam C. Mueller[1]) Aegyptiis uindicandam esse euicit, duo lemmata uariae historiae oriunda sunt. Quae enim omina Thebanis, antequam urbs ab Alexandro euerteretur, diuinitus missa esse in XII, 57 perhibentur, eorum etiam in Pseudocallisthenis l. I capitibus 27 et 46, 46 sqq. occurrit commemoratio. Altero loco u. h. XII, 64

1) Cf. p. 56.

et Pseudocall. III, 34 sibi respondent. Nam utrimque narratur Alexandri mortui corpus, de quo duces Macedonum inter se uerbis acerrimis conflixissent, a Ptolemaeo Babylone Alexandriam transuectum esse, nisi quod Aelianus dicit id factum esse fraude Ptolemaei, ille numine oraculi Babylonii; eam autem terram in qua ossa Alexandri humata essent semper secundis fortunis usuram esse inexpugnabilemque fore homines arbitratos esse. Hanc fabulam Mueller ab Aegyptiis eo consilio fictam esse demonstrat, ut Alexandrum Nectanabi, regi ingenuo, rite successisse opinati ignominiae imperio Macedonum sibi inustae obliuiscerentur.

Quoniam patet Aelianum a fontibus quibusdam Aegyptiis multa petiuisse, unde ei copiam fuisse putas iis utendi? Prompta et parata est responsio. Ipse in h. a. XI, 40 narrat se Alexandriae in luco dei, ubi perseae densae umbram et frigus praeberent, uitulum colore flauo uidisse quinque pedibus instructum. Quodsi in ea urbe peregrinatus est, haec quasi ultro animum subit conclusio, eum ex ditissimis quibus Alexandria florebat bibliothecis suam cum hominum tum animalium notitiam magnam partem hausisse.

Sed ut ad Pamphilam reuertatur disputatio, hanc Aegyptiam fuisse docemur diserto Photii testimonio, prae quo quod Mueller duce Suida adnotat, eam fuisse Epidauriam, omnino nihil ualet. Nam cum Suidas, quod Soteridas Epidaurius erat, patris et filiae patrias haud dubie confundat, ille ex Pamphilae ipsius et praefatione et libris sua deprompsit. At sit Epidauri nata, utique tum, cum Socratidae grammatici uxor erat et in commentariis scribendis operam collocabat in Aegypto uersabatur.

Quae cum ita sint, eam res Aegyptias in farraginem suam recepisse consentaneum est, atque id eo magis, quod se etiam narrationes audiendo compertas eo inseruisse in prologo ipsa professa est. Atque uideas, quantopere illa Aeliani de Ptolemaeo Tryphone, de Galete Ptolemaei amasio, de Berenice, de Rhodopi cum eo conueniant, quod Suidas librum *περὶ ἀφροδισίων* Pamphilae tribuit.

Sed iam finem faciamus ratiocinandi. De decem commentariorum frustulis quae aetatem tulerunt unum cum uaria historia plane congruit:

V. h. II, 42: *Ἡ Πλάτωνος δόξα καὶ ὁ τῆς κατ' αὐτὸν ἀρετῆς λόγος καὶ ἐς Ἀρκάδας ἀφίκετο καὶ Θηβαίους, καὶ οὖν καὶ ἐδεήθησαν αὐτοῦ πρέσβεις ἀποστείλαντες σὺν τῇ ἀνωτάτω σπουδῇ ἀφικέσθαι σφίσι τὸν ἄνδρα οὐκ ἐπὶ μόνῃ τῇ τῶν νέων προστασίᾳ, οὐδ' ἵνα αὐτοῖς συγγένηται ἐπὶ τοῖς λόγοις τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν, ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸ ἔτι τούτων μεῖζον νομοθέτην αὐτὸν ἐκάλουν. οὔκουν ἔμελλον ἀτυχήσειν τοῦ ἀνδρός· καὶ γὰρ ἥσθη ὁ τοῦ Ἀρίστωνος τῇ κλήσει, καὶ δὴ καὶ ἔμελλεν ὑπακούσεσθαι. ἤρετο μέντοι τοὺς ἥκοντας πῶς ἔχουσι πρὸς τὸ ἴσον ἔχειν ἅπαντες. ἐπεὶ δὲ ἔμαθε παρ' αὐτῶν ὅτι καὶ πάνυ ἀλλοτρίως, οὐδὲ πείσει αὐτοὺς τιμᾶν τὴν ἰσονομίαν, ἀπείπατο τὴν πρὸς αὐτοὺς ἐπιδημίαν.*

Di. La. III, 23: *Φησὶ δὲ Παμφίλη ἐν τῷ πέμπτῳ καὶ εἰκοστῷ τῶν ὑπομνημάτων ὡς Ἀρκάδες καὶ Θηβαῖοι μεγάλην πόλιν οἰκίζοντες παρεκάλουν αὐτὸν νομοθέτην· ὁ δὲ μαθὼν ἴσον ἔχειν οὐ θέλοντας οὐκ ἐπορεύθη.*

Tam multis uero notis in Pamphilam conuenientibus commentarios eius in usum uariae historiae conuersos esse ueri est simillimum.

XII. De Pamphila Fauorini auctore.

A.

Verum enim uero Fauorinum Pamphila usum esse ex Stephano Byzantio efficitur: *Ῥοπεῖς ἔθνος οὗ μέμνηται Φαβωρῖνος ἐν ἐπιτομῇ τετάρτῃ τῆς Παμφίλης.* Nec non ex his uerbis Diogenis: I, 98: *Σωτίων δὲ καὶ Ἡρακλείδης καὶ Παμφίλη ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν ὑπομνημάτων δύο φασὶ Περιάνδρους γεγονέναι, τὸν μὲν τύραννον, τὸν δὲ σοφὸν καὶ Ἀμβρακιώτην. τοῦτο καὶ Νεάνθης φησὶν ὁ Κυζικηνός, ἀνεψιούς τε εἶναι ἀλλήλοις. καὶ Ἀριστοτέλης μὲν τὸν Κορίνθιόν φησιν εἶναι τὸν*

σοφόν· Πλάτων δὲ οὔ φησι. Iam tot scriptorum nomina ad unam rem probandam a quo primo auctore composita esse putas? Utrum libris Sotionis, Heraclidis, Pamphilae, Neanthis, Aristotelis, Platonis euolutis a Diogene ipso? at erat segnis compilator; an a Demetrio uel Diocle Magnetibus? qui quandoquidem ante Pamphilam uixerunt, eam non potuerunt commemorare; an a Pamphila? sed et ab industria qua ea uerba composita sunt ingenio abhorruit neque nomen eius inter auctores allatos ullo modo eminet. Deducimur igitur ad scriptorem qui inter huius et Diogenis memoriam uita sphilosophorum exposuerit id est necessario ad Fauorinum.

Similiter statuendum est de Di. La. I, 68: *πρός τε τὸν ἀδελφὸν δυσφοροῦντα ὅτι μὴ ἔφορος ἐγένετο, αὐτοῦ ὄντος, ʻἐγὼ μὲν γὰρ ἐπίσταμαιʼ, εἶπεν* (sc. Chilo Lacedaemonius), *ʻἀδικεῖσθαι, σὺ δὲ οὔʼ. γέγονε δὲ ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοστὴν πέμπτην Ὀλυμπιάδα· Παμφίλη δέ φησι κατὰ τὴν ἕκτην. καὶ πρῶτον ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου, ὥς φησι Σωσικράτης. καὶ πρῶτος εἰσηγήσατο ἐφόρους τοῖς βασιλεῦσι παραζευγνύναι.* Quid uero? Num Diogenem tanta diligentia fuisse opinaris, ut ad istud temporis indicium accuratius definiendum Pamphilae commentarios euolueret? Immo uero hi ob id ipsum quod memorantur ab illo non inspecti sunt. Fauorinum autem clamant uerba *καὶ πρῶτον ἔφορον γενέσθαι — καὶ πρῶτος εἰσηγήσατο ἐφόρους* [1]).

Denique haud leuis momenti est quod is qui praeter Diogenem solus fragmenta Pamphilae seruauit, Gellius, et ipse assecla erat Fauorini, ʻcum quo Romae dies plerumque totos eratʼ quemque mirum quantum allectus ʻquoquo iret sequebaturʼ [2]).

B.

Atque ad omnigenam quidem historiam Fauorinus Pamphilam adhibuit. Namque illa Fauorini de Periandris commentatio, in qua ea nominatur, et ad indicis similitudinem expressa est et ad homonymos pertinet; haec autem de Chilone ad inuentores.

1) Vide p. 52 sq. 2) Gell. XVI, 3, 1.

Nunc autem explicari uidetur qui factum sit, ut reliquiae omnigenae historiae uestigiis originis Aegyptiae insignes sint. Etenim memineris, quaeso, esse Valerii siue Pseudocallisthenis l. I caput 13 de educatoribus Alexandri Magni, u. h. XII, 16 (omn. hist. s. u. *ζηλοτυπία*) de eiusdem in legatos suos inuidia, u. h. XII, 26 (omn. hist. s. u. *ποτίστατοι*) de Alexandro et Protea Lanicae filio potatoribus, u. h. I, 1—13 (omn. hist. s. u. *ζῷα*) cum de aliis animalibus tum de ranis et canibus Aegyptiis, u. h. IX, 39 (omn. hist. s. u. *παράδοξος*) de absurdo canis uel arietis uel anseris amore in Glaucen, quam amicam Ptolemaei Philadelphi fuisse ex h. a. VIII, 11 comperimus. Scilicet Aegyptia fuit Pamphila.

Aliud eiusdem rei documentum grauissimum nescio an petendum sit ex Stephano. Is enim s. uu. *Ἄργιλος, Αὐταριᾶται, Ὠκεανός, Χελιδόνιοι, Τετράπολις* apertis uerbis *παντοδαπὴν ἱστορίαν* commemorat; Fauorinum libri nomine omisso s. uu. *Αἰθίοψ, Ἀκτή, Ἀραχωτοί, Βισαλτία, Βόσπορος, Κρεμμυών, Σφακτήρια.* Praeterea ad omnigenam historiam recedere quae in Stephani epitome exstant s. uu. *Βοιωτία, Αἴγυπτος, Κόρινθος, Ἠμαθία, Αἱμονία* Nietzsche ostendit; denique uerba s. u. *Ἀλεξάνδρειαι* ad Fauorini librum quendam *περὶ Κυρηναϊκῆς πόλεως* in editionibus relata Marres, hoc titulo deleto, ad eundem fontem quem dixi optimo iure reuocat[1]. Verum quae tandem est ratio epitomes Pamphilae Fauorinianae, quae semel s. u. *Ῥοπεῖς* memoratur?[2] Fauorinum discere uidemur rem geographicam duobus libris, et omnigena historia et hac epitome attigisse, neque est, quod in hoc quidem offendamus. Atqui Stephanum utraque usum esse, atque ita quidem, ut alteram saepissime, alteram paene numquam excerperet, num est credibile? Immo uero omnigenam historiam de libris Fauorini solam ei Ethnica componenti ad manum fuisse in promptu est. Itaque si quidem in philologia exercenda ullus locus est diuinandi, res ita se habuit,

1) Vide cap. XVI.

2) Cf. ea quae ad u. *Ῥοπεῖς* a Meinekio in edit. Steph. adnotata sunt.

ut haec ab illa non diuersa esset, propterea autem, quod frustis ex Pamphila excerptis redundabat, epitome Pamphilae a Stephano dicta sit.

Commentarios Fauorini ex Pamphilae coniectaneis partim haustos esse neque nego neque affirmo.

C.

Atque si constat Pamphilam in usum omnigenae historiae compilatam esse, fieri potuit, ut quae illius apud Aelianum sunt uestigia per hanc in uariam historiam deuenerint. Quod re uera factum esse uno momento facultas praebetur demonstrandi. Occurrunt enim in u. h. XII, 35, qui locus ex omnig. hist. sumptus est, uerba *ὅτι δύο Περίανδροι, ὁ μὲν σοφὸς ἦν, ο δὲ τύραννος*, aeque atque in Pamphilae fragmento p. 89 apposito. Quae cum ita sint, non nihil detrahitur de confidentia qua ad ipsam Pamphilam historiolarum Aeliani partem supra reuocauimus. Sed si quidem commentarios Fauorini uitis philosophorum circumscriptos fuisse meo iure suspicatus sum [1]), illae Ctesiae quas Aelianus exhibet reliquiae [2]), cum ab indole omnigenae historiae discrepent; quo minus ne ab illis quidem trahi potuerunt, eo magis ex Pamphila ipsa uidentur esse oriundae. Ac nonne hoc conicere licet, Aelianum simul et ea ipsa et eius epitome a Fauorino facta usum esse? En quaestionem maxime implicatam, quam soluere nequeo. Attamen est aliquid, difficultates rei detexisse.

Ceterum, utut est, quo magis impugnabis id quod arguere conatus sum, Pamphilam in numero proximorum auctorum Aeliani habendam esse, eo plures narrationes uariae historiae Fauorino uindicabis.

XIII. Concluditur de fontibus uariae historiae quaestio.

Alios Aeliani auctores, quos quidem certa argumentatione usus extricare possim, non habeo. Si qui erant, utrum prorsus in obliuione iacent? an latent in numero sophistarum re-

1) Pag. 48 sq. 2) Pag. 84 sq.

centiorum? Ex quibus Herodes Atticus idcirco quod ἐγχειρίδια et καίρια et ἐφημερίδας teste Philostrato scripsit et ab Aeliano 'ὡς ποικιλώτατος ῥητόρων' permagni ducebatur praecipue in censum uenit; praeterea Telephus Pergamenus, Philo Byblius, Nicostratus Macedo [1]). Reuocamur autem una nota ad auctores aetati Fauorini succedentes. Etenim in u. h. XII, 61, postquam memoratum est Thurinos Aquilonem, qui classem Dionysii hostis aduentantem demersisset, ciuitate donatum diuinis honoribus coluisse, ex Pausan. perieg. VIII, 36, 6 haec subiuncta sunt: *Παυσανίας δέ φησιν ὅτι καὶ Μεγαλοπολῖται.* At fieri potuit ut a commentatore quodam litterato addita sint.

Verum complectamur quae proxima dissertatione assecuti sumus. Refutata opinione eorum qui Aelianum ad fontes et radices scientiae antiquitatis adscendisse arbitrati sunt [2]), curas eius in orbe scriptorum ipsius memoriae quam proximorum angustissimo illo uersatas esse ostendimus. Neque ex uoluminibus peculiaribus, uerbi gratia de rebus gestis, de philosophis, de antiquitatibus compositis, hausit, sed ex miscellaneis, ex quibus commoda erat facultas describendi: Athenaei, Fauorini, utque uidetur, Pamphilae. Ac cum uel horum copiae ad argumenta uariae historiae deriuanda sufficere uideantur, auctores quos Aelianus omnino secutus est, numerum quinarium uel senarium nequaquam excedere confido. Non igitur diligens uariarum rerum collector, sed compilator inertissimus euasit.

Atqui huius iudicii acerbitas non cadit nisi in rationem qua quidem materiam sibi comparauit. In eloquendo qualem se praestiterit, non tantum ex libro de natura animalium scripto sed etiam ex nonnullis uariorum lemmatis dilucide cognoscitur. Depinguntur enim lautissimis coloribus in u. h. II, 44 miles in pugnam ruens a Theone pictus; in III, 1 Tempe Thessalica, in IX, 16 Italiae natura; in XII, 1 Aspasiae, Cyri amicae, pu-

1) Cf. p. 47 sq. 2) Dico imprimis Perizonium et Westermannum, qui in Pauly's Realenc. I², 1 p. 349 haec dicit: 'beide (et u. h. et h. a.) sind mit immensem Fleiſse aus einer groſsen Zahl von Schriften aller Art zusammengetragen'.

dicitia, pulchritudo, uicissitudines fortunae; in XIII, 1 Atalantae, uenatricis Arcadiae, uenustas et intacta uirginitas. His omnibus hoc consilium subest, ut dicendo imagines rerum non minus distincte quam pingendo effingantur. Quam rationem ipse profitetur, cum l. III caput primum exorsus *φέρε οὖν*, inquit, *καὶ τὰ καλούμενα Τέμπη τὰ Θετταλικὰ διαγράψωμεν τῷ λόγῳ καὶ διαπλάσωμεν· ὡμολόγηται γὰρ καὶ ὁ λόγος, ἐὰν ἔχῃ δύναμιν φραστικήν, μηδὲν ἀσθενέστερον ὅσα βούλεται δεικνύναι τῶν ἀνδρῶν τῶν κατὰ χειρουργίαν δεινῶν.* Eodem spectant in XIII, 1 haec uerba: *φέρε δὲ καὶ τὸ εἶδος αὐτῆς, εἴ τι μὴ λυπεῖ, διαγράψωμεν· λυπεῖ δὲ οὐδέν, ἐπεὶ καὶ ἐκ τούτων προσγένοιτ' ἂν λόγων τε ἐμπειρία καὶ τέχνη.*

Assignandae sunt istae declamationes generi 'iconographico', in quo ei antecessit Nicostratus Macedo, Marci aequalis [1]), successerunt Philostrati eorumque sectatores. Atque, cum argumenta earum nimirum non inuenisset [2]), pigmenta uerborum de suo adiecit. His quinque igitur *ἐκφράσεσι* praeclarum facundiae suae erexit monumentum.

Iam elocutione Aelianus ipse, elocutione aequales eius, ut homines ad *μελέτας, ἐπιστολάς, διαλέξεις*, denique ad omne genus studiorum rhetoricae admodum proni, unumquemque librum metiebantur. Elocutione nos, ut crimen iniquitatis effugiamus, et ipsi Aelianum iudicemus.

XIV. De aliis quibusdam quaestionibus Aelianeis.

A.

De fontibus ego uariae historiae agens cum non pauca documenta ex animalium historia petiui, eam tacite amplexus sum sententiam, in qua paene omnes doctos esse uideo, utrumque librum uni eidemque Aeliano tribuendum esse. Immo

1) Cf. Suid. s. u. 2) Si quidem quae in u. h. de Aspasia sunt etiam in Plut. Artax. XXVI et Pericl. XXIV, quae de Atalante, et in Palaeph. de incred. XIV similiter enarrantur; uallisque Tempe uocatae amoenitas iam a Theopompo in Philippicis et a Dione Chrysostomo rhetorice descripta erat. Cf. E. Rhode, der griechische Roman p. 508.

uera et immota sunt quae Gesner[1]), Perizonius[2]), Iacobs[3]), alii ad hanc rem probandam attulerunt. Utrimque eadem ratio sentiendi et iudicandi, idem studium naturae rerumque mirabilium, eadem superstitio, eadem uarietas; utrimque narrationes, si non pares, at certe simillimae, eaedem proprietates orationis; uelut de parenthesibus in uariis haec animo obiciuntur: V, 11: *ὁ Θρᾳκῶν βασιλεύς (τὸ δὲ ὄνομα λεγέτω ἄλλος) . . . τοῖς παισὶν αὑτοῦ συνεβούλευε* . . . XIV, 43: *ὁ μὲν Πτολεμαῖός φασιν (ὁπόστος δὲ ἦν οὗτος, ἐᾶν δεῖ) καθῆστο ἐπὶ κύβοις* . . .; iam uideas quantopere iis consentanea sint in h. a. IV, 7 *ἀκούω τὸν Σκυθῶν βασιλέα (τὸ δὲ ὄνομα εἰδὼς ἐῶ· τί γάρ μοι καὶ λυσιτελές ἐστιν;) ἵππον σπουδαίαν ἔχειν* . . . in h. a. VIII, 4: *Πτολεμαίου (ὁπόστος δὲ ἦν οὗτος ἐκείνους ἔρεσθε) καλοῦντος τὸν πρᾳότατον τῶν κροκοδείλων* . . .

Accedunt uero alia momenta. Primum enim etiam temporum ratio constat, si quidem uariam historiam inter annos 200 et 231[4]), historiam animalium post annum 195[5]) confectas esse supra exsecuti sumus. Tum quod is qui librum de natura bestiarum scripsit in Aegyptum iter fecit, ne uariorum quidem auctor a notitia eius terrae erat alienus. Nam Aelianus in u. h. II, 41, ubi Mycerino ex oraculo editum esse breui fore, ut moreretur, Athenaeum[6]) secutus narrat, ei oraculo nomen Buto fuisse de suo addidit. Eodem spectat quod nomen Alexandriae urbis nusquam simpliciter apposuit, sed et hic et illic similem in modum circuiit. Leguntur enim in u. h. XII, 64 uerba *ἐς τὴν Ἀλεξάνδρου πόλιν τὴν κατ᾽ Αἴγυπτον*; — in h. a. I, 38: *ἐν τῇ Αἰγυπτίᾳ Ἀλεξάνδρου πόλει*; in h. a. VI, 15: *ἐν τῇ Ἀλεξάνδρου πόλει*; in h. a. XI, 40: *ἐν τῇ πόλει τῇ Ἀλεξανδρέων τῇ μεγάλῃ*; in h. a. XVI, 39: *ἐς τὴν Ἀλεξάνδρου πόλιν*. — Castigantur propter impietatem in h. a. VI, 40 Hippo, Diagoras, Herostratus; apud Suidam s. u. *Ἐπίκουρος* b et c, quae lemmata ex libro Aeliani *περὶ προνοίας* inscripto sumpta

1) In prolegg. ad Aelianum praefixis eiusdem auctoris editioni quae prodiit Tiguri 1556; habentur etiam in A. Gronouii edit. hist. an., Londini 1744.
2) In praef. ad u. h. p. XXV sq. Kuehn. 3) Praef. ad. hist. an.
4) Pag. 3 sqq. 5) Pag. 8 sqq. 6) Pag. 13.

sunt, Epicurus, Metrodorus, Polyaenus; in u. h. II, 23 Diagoras, ibidem 31 Euhemerus, Diogenes Phryx, Hippo, Diagoras, Sosias, Epicurus; Epicureos ob eandem causam et a Romanis et a Messeniis expulsos esse exstat non modo in l. l. Suidae, sed etiam in u. h. IX, 12. Ut in u. h. I, 2, ita in h. a. VI, 57 Minerua *Ἐργάνη* cum phalangiis comparatur. Alias eiusmodi congruentias sciens supersedeo enumerare.

Attamen Bernhardy[1]) cum Is. Vossio[2]) et Valckenario quasdam discrepantias elocutionis premens de communi auctore utriusque historiae dubitat. Age uero, ne ambiguis fundamentis proximam dissertationem fulsisse uidear, ea ipsa in qua ille offendit elocutio examinanda est. Itaque animum aduertamus ad rationem qua altera in utroque libro enuntiata cum alteris conexa sunt et ad minimas quasque orationis particulas, in quibus promptissima est diiudicatio. Utrobique autem saepissime occurrunt uoculae *καὶ — δέ, καὶ — μέντοι, γὲ μὴν* pro *δέ, δὲ οὖν, τοί, τοίνυν, γοῦν* cui fere est notio particulae *γάρ, ἀλλὰ γάρ, δὲ ἄρα, εἴπερ οὖν, εἶτα μέντοι, εἶτα* pro *ἔπειτα δέ, καὶ γὰρ καί, καὶ οὖν καί, καὶ μέντοι καί, ἅμα — καί, τὲ καί, οὐ μήν, οὔτε μήν, ὅτι ἄρα* (*οὐκ ἀγνοῶ δὲ οὐδὲ ἐκεῖνο ὅτι ἄρα . . .*), *ὅσπερ οὖν, ὥσπερ οὖν, αὖ πάλιν, πάνυ, μάλα, μάλιστα, πάντως, πρὶν ἢ* cum infinitiuo, *ἐκεῖνος* pro *ὅδε, ὑπὲρ* pro *περί, οἱονεί*. Quod ad apodosin attinet, utrimque talia identidem leguntur: *εἰ δέ τι χαῦνον ἦν αὐτοῖς τῶν μελῶν . . . ἀλλ' ἐνταῦθα μὲν ἐπαίοντο* (u. h. XIV, 7). *οἱ δὲ καλούμενοι τῶν κοχλιῶν ἀρείονες οὗτοι μὲν καὶ ἀπατῶσι* (h. a. X, 5). — *ὁ δὲ πολλαῖς . . . χρησάμενος . . . μεταβολαῖς τελευταῖον δὲ τὸν βίον κατέστρεψεν* (u. h. IX, 8). *εἰ γάρ τις χρίσαιτο . . . τὰ δὲ ἀποδιδράσκει πορρωτάτω* (h. a. X, 12). — *καὶ πυνθανόμενοι τὰ παρ' ἀλλήλοις εἶτα ἀντεφιλοτιμοῦντο* (u. h. VII, 2). *ὄντων δὲ σκορπίων ἐνταῦθα μεγίστων . . . καὶ μηχανὰς μυρίας μηχανωμένων τῶν Αἰγυπτίων, ἀλλὰ αἵ γε* (scil. mulieres Aegyptiae) *πενθοῦσαι παρὰ τῇ Θεῷ . . . καὶ ἀνυπόδητοι βαδίζουσαι . . . εἶτα μέντοι ἀπαθεῖς διαμένουσι*

1) Wissenschaftliche Syntax p. 37, 61.
2) In appendice obseru. in Melam II, 2.

(h. a. X, 23). Est igitur utraque historia omnino iisdem particulis similiter usurpatis adornata, nisi quod librum bestiarium Aelianismis aliquanto uberiorem euadere quam uaria concedendum est. De locutionum quae inter utrumque librum intercedit similitudine nisi forte ipse quaerere mauis — est enim luce clarior —, ad Gesneri prolegomena te delego. Quod uero in uniuersum colorem generis dicendi attinet, copiosissimum quodque lemma uariae historiae ad narrationes quae illic sunt prorsus accedit [1]). Sit autem particularum usurpatio quae hic est ab illo libro paululum diuersa: in homine cui peritia linguae Graecae assumpta et aduenticia erat quaedam orationis inconstantia nihil habet admirationis. His omnibus reputatis facere non possum, quin istud iudicium Bernhardyi ex leuiore cognitione Aeliani profectum esse censeam.

B.

1. Verum tamen quicumque libros Aeliani uel obiter animo perlustrat duas potissimum mouere potest difficultates, quas expedire magis operae pretium esse uidetur quam res manifestas in dubium uocare. Primum enim, cum historia animalium et prologo et epilogo instructa sit et dictionem tam elegantem adeoque putidam quam ubique constantem prae se ferat, uaria historia non modo praefatione et peroratione eget, sed etiam inter narrationes arte sophistica compositas exhibet ieiunas et aridas, quae magna ex parte a uocula ὅτι incipiunt. Iam uiri docti, si a Bernhardyio disceditur, in hoc discrimine explicando in duas partes abeunt. Concludunt enim ex eo Ioach. Kuhn [2]), Perizonius [3]), Iacobs, Hercher, Westermann, alius alio confidentius, uariam historiam libidine epitomatorum ad hanc illam exilitatem redactam esse; Gesner et Voss in historicis Graecis, 'non esse extremam operi manum additam ab auctore eo quod fato praeueniretur'.

Atque Hercher [4]) quidem quattuor locos quos Stobaeus ex

1) Velut cf. u. h. XII, 1 uel XIII, 1 cum h. a. VII, 48. 2) Ed. uar. hist. Argent. 1685. 3) Praef. p. XXXV. 4) 'De Aeliani u. h.' Rudolstadt. 1856 et praef. editionis maioris, Par. 1858 p. V.

uaria historia descripsit (flor. XXIX, 60, LXXIX, 39, XL, 24, XIII, 38) iis Aelianeis unde descripti sunt (u. h. VII, 7, IX, 33, X, 5, XIV, 3) demonstrat esse integriores. Idem[1]) animaduerti iubet 'esse in codicibus argumenta nonnulla duplici induta sermone, altero paupertino, altero plerumque integriore uel adeo integerrimo'. 'Id quod imprimis de illis capitibus dictum' uult, 'quae in libro XII his numeris notata sunt: 2, 5, 6, 12, 13, 14, 15, 16, 22. Horum capitum secundo, quinto, sexto in extremo libro XIV capita 37, 35, 36 respondent; reliquam duplicitatem inde a libri XIV c. 46 Vaticanus codex eiusque sectatores Leidensis et Parisinus 1530 aperiunt'. Quamquam ex eo quod nonnulla argumenta libri XII uitiata esse certum est, necessario quidem tantummodo hunc ipsum librum aut omnino extremam partem uariae historiae a descriptoribus attrectatam esse sequitur. Porro ille uir doctus uulgatis Aeliani editionibus crimini dat, quod codices in II, 12 de Themistocle haec exhibent: *καὶ ὑπήρχετό πως τοῦ σωφρονεῖν*, Suidas autem s. u. *ὑπῆρξαν· Αἰλιανός* '*ὁ δὲ ὑπήρξατο σωφρονεῖν*'. — Tum librum sextum intercidisse et quintum postea a scribis in duos esse diuisum ueri simile est[2]).

Neque uero ei rei, quod Suidas s. uu. *ἀσέλγεια, δώς, κάκη, φιλωθέντες* ad uariam historiam reuocat quae ibi non repeeriuntur multum tribuendum est, si quidem is, quattuor his lemmatis exceptis, paucas tantum uoculas (s. u. *ὑπῆρξαν*) cum ea communes habet et s. uu. *δώς* et *φιλωθέντες* attingit res Romanas, quas istic admodum raro occurrere supra[3]) diximus. Nimirum haec quoque frustula in Suidae lexicum deuenisse uidentur ex libris Aeliani *περὶ προνοίας* uel *περὶ θείων ἐναργειῶν* inscriptis, unde cetera apud Suidam Aelianea hausta sunt.

Caue autem credas ad genuinam uariorum speciem explorandam quidquam grauius effici ea ansa quam Hercher in emendatione libri de bestiis compositi adhibendam esse luculenter exponit. Is enim in codicibus mss. Aeliani apprime uersatus quo est studio, ut scripta eius emblematum nube

1) Ibid. p. VII. 2) Vide Periz. praef. p. XXXVI et adnot. ad u. h. VI, 1. 3) Pag. 31.

aucta esse demonstret per candidum quendam lectorem, cuius interpretamenta margini adiecta postea in contextum uerborum uel ἀσυνδέτως uel καὶ siue δηλονότι particulis praefixis inculcata sint, idem genus deprauationis etiam in uaria historia odoratur. At quamuis libenter concedam, fieri potuisse, ut hoc aut illud glossema uia indicata eo irrepserit, additamentis breuitas uariae historiae non explicatur.

Ceterum uulgatae corruptio, quam ille ex Suida, Stobaeo, codicibus Aeliani comprobat, modo ad leuissimas uerborum discrepantias pertinet. Argumenti maciem, qua u. h. passim insignis est, nescio quo pacto inde repetam.

Nihilo tamen secius eam uariam historiam quam nos manibus terimus non plane intactam esse causis allatis exploratum habemus. Quaeramus autem quibus cancellis id describatur, atque ita quidem quaeramus, ut omnes librorum ueterum locos, quos quidem in eam translatos esse et omnes quos ex ea alibi legi notum sit, cum ea ipsa comparemus, id quod Hercher, cum Aeliani codices et excerptores solos huc applicaret, suae sententiae indulgens cumulate non expleuit.

Et parti quidem huius officii iam antea Athenaeo cum Aeliano collato satisfecimus. Tantum autem abest, ut illa XXVIII capita, quae hic illi debet, nobis uideantur esse truncata, ut uariis locutionibus et adeo ornamentis nonnusquam rhetoricis eo fonte uberiora sint neque ullum redoleant contractionis uestigium. Ne continuationem quidem argumentorum genuinam iniquitate temporum turbatam esse ex eo apparet quod etiamnunc eadem est atque apud illum ipsum. Item quae ibi sunt Herodoti, Platonis, Isocratis fragmenta integra euadunt. Quin immo excerpta uariae historiae Stobeiana, remotis pusillis quibusdam discrepantiunculis, quas Hercher plus iusto premit, ad uerbum cum ea consonant. Dico autem non solum u. h. II, 35 et Stob. floril. CXVIII, 23, u. h. II, 43 et Stob. floril. XCV, 10, u. h. III, 2 et Stob. floril. CVIII, 62, u. h. III, 3 et Stob. floril. CVIII, 63, sed etiam hos locos: u. h. III, 28 et Stob. floril. XXII, 33, u. h. IV, 13 et Stob. floril. XVII, 30, u. h. VIII, 15 et Stob. floril. XXI, 6. V. h. VII, 20,

etiamsi aliquot additamentis interpolatum est, tamen neque uerbis neque rebus ceteroqui dissidet a Stob. flor. XII, 20. Denique uerbotenus consentiunt u. h. IX, 18 cum c. XXIV e ms. flor. Ioan. Damasc. (Meineke IV p. 185) et u. h. II, 30 cum Eustath. in Il. σ p. 1149 u. 3 sqq. (1202 u. 7 sqq.).

Quocirca cum notae agnoscendae sint et corruptionis et integritatis, hae multo praeualent. Neque confirmatur id quod Kuhn arbitratus est, tantum 'analecta et quaedam ruta caesa pro iusto opere' restare, 'bonumque Aelianum culpa librariorum ita discerptum esse, ut nec caput nec pedes amplius haberet'. Simul redarguuntur qui Kuhnii opinionem secuti uulgauerunt recentiores omnes, Iacobs, Hercher, Westermann. Perizonii sententia uicit.

2.

Cardo autem huius disceptationis positus est in ui et notione ὅτι particulae capitibus uariae historiae fere octoginta inde a III, 13 praefixae, quam uiri litterati pro grauissimo epitomes indicio et habent et habuerunt. Refellatur tandem hic error per saecula repetitus et inueteratus. Nimirum ego non hoc consilium suscipio, ut epitomatorum malam operam ea uocula significari omnino negem. Verum initium sumamus quaerendi qui sit epitomator. Nempe homo argumenti cupidus, qui uerba inter transcribendum coartet et interdum in deterius uertat, denique res superuacaneas omittat. Tali uero homini illud ὅτι uariorum neutiquam imputari debet. Nam primum quidem deprehenditur in initiis narrationum quas integras esse Athenaeo comparato elucet (u. h. III, 13, IX, 3, 12), et capitum copiosorum (XIV, 22, 48); tum praepositum est argumentis quibus Aelianus sui mentionem suumque iudicium inseruit (XII, 17, 48, XIV, 4, 47). Contra ὅτι particula ineuntibus locis quos uitiatos esse constat, quamquam, si criterium esset deprauationis, ibi requireretur, interdum deest (cf. u. h. IX, 33 cum Stob. flor. LXXIX, 39 — u. h. X, 5 cum Stob. flor. XL, 24 — u. h. XII, 2 cum u. h. XIV, 37 — u. h. XIV, 36 et u. h. XII, 6 duce Herchero).

Deinde, si ὅτι epitomatoris esset, quoniam haec uox ante III, 13 primum occurrit, eam uariae historiae partem quae huic lemmati antecedit incolumem, quae subsecuntur mutilata esse sequeretur, iique quos impugno omnes necessitatem eius conclusionis agnouerunt, quandoquidem Ioach. Kuhn, Iacobs, Westermann inde ab hoc loco, Hercher [1]) autem mira quadam argumentatione usus inde a III, 3 epitomen incipere docent. Iam uero ego non tam bene oculatus sum, ut uerbi causa inter capita libri III 1—12 et 13—33 aut inter II, 1 — III, 2 et sequentia ullum discrimen orationis cognoscere possim. Quid quod etiam in ea parte quae capiti l. III 2 uel 12 succedit insunt fere XL argumenta quae minime truncata esse ex Herodoto, Xenophonte, Platone, Isocrate, Athenaeo, Stobaeo apparet, et multa alia quae per se incolumitatem clamant. Nouum quendam isti fingunt epitomatorem, qui alia capita circumciderit, alia ne in angustum cogeret religiose abstinuerit. Cur is, si erat, non omnes narrationes formis breuioribus indutas inuidiosa illa particula adornauit, ut ii fecerunt qui e Diodoro excerpta de legationibus, de uirtutibus uitiisque composuerunt? Cur idem politissimae cuique ἐκφράσει, uelut iis quae de Atalante et de Aspasia sunt, pepercit? Mirum quam mansuetum ei inculcant ingenium.

Quoniam in promptu est, quantam offensionem istorum sententia habeat, alia sit uocabuli ὅτι significatio necesse est. Ac num forsan placet quod Perizonius suspicari ausus est, Aelianum ipsum studio uarietatis usque eo prouectum esse, ut nitidas historiolas cum scabris dedita opera miscuerit? Immo uero alia uia non patet, nisi statuimus id quod iam Gesner ante hos 328 annos feliciter diuinauit, uariam historiam non esse opus perfectum, sed materiae collectionem futuris curis reseruatam. Debetur illud ὅτι Aeliano ipsi fontium uariae historiae epitomatori, qui eo praemisso argumenta inter legendum probata in codicillis suis adumbrauit. Atque aggressus quidem hunc librum acriore fuisse uidetur formandi studio,

1) Pag. VIII edit. Paris.

quod mox defecit; et ut forte libido excerpendi et adumbrandi praeualuerat, ita *ὅτι* particula usus nudis rebus adscribendis continebatur; quo magis autem quaeque fabella ipsi arriserat, eo fusius eam tractare suoque iudicio augere malebat. Verum capita libri II 44, l. III 1, l. XII 1, l. XIII 1 ex suis declamationibus antea perfectis inter illa excerpta aliorum uidetur interiecisse.

Rem ita se habere te non negaturum esse puto, si libri IV caput 20 intentius legeris, ubi Aelianus, postquam de Democriti itineribus exposuit, sic pergit: *ὅτι οἱ Ἀβδηρῖται ἐκάλουν τὸν Δημόκριτον Φιλοσοφίαν, τὸν δὲ Πρωταγόραν Λόγον. κατεγέλα δὲ πάντων ὁ Δημόκριτος καὶ ἔλεγεν αὐτοὺς μαίνεσθαι· ὅθεν καὶ Γελασῖνον αὐτὸν ἐκάλουν οἱ πολῖται. λέγουσι δὲ οἱ αὐτοὶ τὸν Ἱπποκράτη παρὰ τὴν πρώτην ἔντευξιν ὑπὲρ τοῦ Δημοκρίτου δόξαν λαβεῖν ὡς μαινομένου· προϊούσης δὲ αὐτοῖς τῆς συνουσίας ἐς ὑπερβολὴν θαυμάσαι τὸν ἄνδρα. λέγουσι δὲ Δωριέα ὄντα τὸν Ἱπποκράτη ἀλλ' οὖν τὴν Δημοκρίτου χάριν τῇ Ἰάδι φωνῇ συγγράψαι τὰ συγγράμματα.* Quae uerba non eam speciem prae se ferunt, ut e libro perpolito desumpta et contracta sint, sed ut potius adnotamenta esse uideantur inter legendum pugillaribus mandata. Similiter indicandum est de u. h. IV, 1, 2; 18, 2; VII, 8, 2; XI, 9, 5 et 6; XIII, 6, 2; 16, 2; XIV, 12 (si quidem 8—20 ex omnig. hist. u. *παιδιὰ* excerpta sunt). Accedit quod non solum discrepantiae rerum (u. h. I, 8 et XIII, 35; VI, 1, 5 et VIII, 15), sed etiam loci gemelli per uariam historiam dispersi sunt (cf. p. 46), imprimis quod Pherecydes morbo pediculari mortuus esse bis narratur, atque id in IV, 28 et V, 2, quae capita interuallo tantummodo duorum seiuncta sunt. Neque Aelianum in opere perfecto talia relicturum fuisse credibile est.

Iam cur uariis suis finem non imposuit? Scilicet quia fato, antequam ea perficeret, abreptus est. Ergo hoc eius opus ultimum erat aut postumum et post historiam animalium exaratum est. Conuenit huc quod eadem aliquanto post sermones conuiuales Athenaei circa annum 200 editos scripta esse supra apparuit.

Restat, ut de Perizonii [1]) sententia huic contraria quaeram, quid habeat auctoritatis. Is enim, quod prima quindecim lemmata uariae historiae ad bestias pertinent, opponit Aelianum, si hanc post historiam animalium composuisset, in uariis suis repetiisse putandum esse res iam antea libro peculiari pertractatas, id quod ei plane displicet. Deinde 'Adde', inquit, 'correxisse eum uel reiecisse aliquando in hist. animalium, quae in uaria simpliciter uulgari sententiae congruentia tradiderat. Ita certe u. h. X, 3 catulos leonum affirmat unguibus scalpere uteros matrum, quasi ad lucem festinantes. At in hist. anim. IV, 34 narrationem, quae tradit eos (catulos) scalpere uteros, fabulam esse pronuntiat'.

Est uero satis leuis haec argumentatio et in eius arbitratu posita. Primum enim non intellegitur, cur idem Aelianus qui in uno eodemque uolumine iterationem non respuit [2]), argumenta in priore libro tractata in posteriore retractare reformidauerit. Altero loco quod Perizonius altiorem quendam iudicii Aelianei gradum et quasi progressum in historia animalium comprobare conatus est, quo tandem iure compilatori ratio et iudicium uindicantur? qui, quamquam in h. a. II, 32 et in u. h. I, 14 de cantu olorum dubitat, tamen in h. a. X, 36 et XI, 1 de eodem ut de re uera agit; qui se a causis rerum explicandis abhorrere his uerbis professus est: h. a. VIII, 28: *φύσεως δὲ ἀπόρρητα ἐλέγχειν οὐκ ἐμόν, καὶ εἰκότως, ἐπεὶ καὶ ἀλεκτρυόνα δέδοικε λέων καὶ τὸν αὐτὸν βασιλίσκος καὶ μέντοι καὶ ὗν ἐλέφας· τὰς δὲ αἰτίας ὅσοι σχολὴν ἄγουσι πολλὴν ζητοῦντες τοῦ μὲν χρόνου καταφρονήσουσιν, οὐ μὴν ἐς τέλος ἀφίξονται τῆς σπουδῆς*; quem omnia ad delectationem reuocasse seruilemque auctorum quibus usus est fuisse sectatorem cum aliunde tum ex h. a. XII, 38 elucet, ubi postquam a sue alato agros Clazomeniorum uastatos esse rettulit, '*τοῦτο δέ*', inquit, '*εἴ τῳ δοκεῖ μῦθος εἶναι, δοκείτω, ἐμὲ δ' οὖν περὶ ζῴου λεχθὲν καὶ μὴ λαθὸν οὐκ ἐλύπησεν εἰρημένον*'.

1) Praef. ad u. h. p. XXXII. 2) Cf. de perdicum libidine h. a. III, 16 et IV, 1; de Glauces amoribus h. a. I, 6 et V, 29 et VIII, 11; de simiis Indicis h. a. XVI, 10 et XVII, 39 etc.

C.

Altera difficultas, quae uariam historiam et librum de animalibus comparantibus nobis mouenda est, in eo uersatur, quod argumenta saepius simul inter se conueniunt, simul discrepant. Quam fontium quadam communitate explicandam esse supra [1]) dixi, atque id duobus usus axiomatis. Nunc uero haec, quoniam et utrumque librum eiusdem Aeliani esse et uaria post librum bestiarium condita esse ostendisse mihi uideor, confirmata sunt.

XV. De Fauorini omnigena historia denuo.

Ad cognitionem omnigenae historiae ceteroqui paene oblitteratae iam noua lux allata est. Nam cum Gellius eam tam obiter quam inuidiose adumbrauerit, pauca frusta Diogenes de philosophis, Stephanus de chorographia exhibeat, ex Aeliani uariis eius species fere ut ex epitome effulget. Iam nobis hoc amplo fundamento nixis occasio prosperrima datur de indole eius disserendi. Et primum quidem comprobatum est illud, quod paucis adminiculis initio [2]) defendi, in litteras eam digestam fuisse. Ac non tantum aequalitate quadam argumenti notabilis erat, neque solum ad quaestiones Homericas, ad inuenta, ad nominum deriuationes, ad terras describendas pertinebat, sed permulta et diuersa exempla habebat coagmentata et in uno conspectu posita, tamquam opulentum quoddam doctrinae uersicoloris receptaculum, quo si quis celeriter de re qualibet certior fieri uolebat uteretur. Neque multum a uero abesse mihi uidear, si eam cum libris quos primus Brockhaus bibliopola 'Conuersationslexica' nuncupauit contendam. Pertinebat autem imprimis ad quaestiones 'aetiologicas', neque id solum sub uoce πρῶτος, sed passim. Praeterea redundabat coaceruatis scriptorum testimoniis, de qua re cf. cap. XVII.

Ceterum uia et ratione Fauorinus fontes suos in usum omnigenae historiae discerpsisse uidetur, si quidem ea quae in Pseudocallisth. I, 13 et u. h. XII, 16, 26 inde seruata sunt

1) Pag. 30. 2) Pag. 51 sqq.

ex una eademque Alexandri historia deinceps apparet hausta esse. Porro hic 'liber grandi uolumine' erat 'elaboratus ex multis et uariis et remotis lectionibus', id est ut scimus e commentariis Pamphilae, ut Nietzsche suspicatur ex Philostephani opere *περὶ εὑρημάτων* composito, praeterea fortasse ex Pamphilo aliisue asseclis Didymi. Quamquam Aelianus, ut Athenaei, ita huius operis indices in transcribendo contraxit et lacerauit.

Nunc uero non parui momenti est cognoscere, quae ratio inter omnigenam historiam et ceteros libros Fauorini interfuerit. Ac primo loco animo obicitur, quod eadem argumenta, quae in commentariis, in hac quoque deprehenduntur:

Di. La. VIII, 12: *καθάπερ ὁ αὐτὸς* Φ α β ω ρ ῖ ν ο ς *ἐν ὀγδόῃ* π α ν τ ο δ α π ῆ ς ἱ σ τ ο ρ ί α ς *φησίν*; cf. VIII, 47.	Di. La. VIII, 12: *Λέγεται καὶ* π ρ ῶ τ ο ς *(Πυθαγόρας) κρέασιν ἀσκῆσαι ἀθλητάς, καὶ πρῶτόν γ' Εὐρυμένην, καθά φησι* Φ α β ω ρ ῖ ν ο ς *ἐν* τ ρ ί τ ῳ τ ῶ ν ἀ π ο μ ν η μ ο ν ε υ μ ά τ ω ν, *τῶν πρότερον ἰσχάσι ξηραῖς καὶ τυροῖς ὑγροῖς, ἀλλὰ καὶ πυροῖς σωμασκούντων αὐτούς,*
Di. La. VIII, 1, 14 de Pythagora: *Πρῶτόν τέ φασι τοῦτον ἀποφῆναι τὴν ψυχὴν κύκλον ἀνάγκης ἀμείβουσαν ἄλλοτ' ἄλλοις ἐνδεῖσθαι ζῴοις· καὶ πρῶτον εἰς τοὺς Ἕλληνας μέτρα καὶ σταθμὰ εἰσηγήσασθαι, καθά φησιν Ἀριστόξενος ὁ μουσικός· πρῶτόν θ' Ἕσπερον καὶ Φωσφόρον τὸν αὐτὸν εἰπεῖν, οἱ δέ φασι Παρμενίδην.* Qui locus F a u o r i n o debetur et	Di. La. IX, 3, 23 de Parmenide: *Καὶ δοκεῖ πρῶτος πεφωρακέναι τὸν αὐτὸν εἶναι Ἕσπερον καὶ Φωσφόρον, ὥς φησι* Φ α β ω ρ ῖ ν ο ς *ἐν* π έ μ π τ ῳ τ ῶ ν ἀ π ο μ ν η μ ο ν ε υ μ ά τ ω ν· *οἱ δὲ Πυθαγόραν. Καλλίμαχος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ ποίημα.*

propterea quod de inuentis est et propter Di. La. IX, 23; atque omnigenae quidem historiae ob aequalitatem.	
De inuentis ad omnig. hist. a Diogene diserte reuocatis uide p. 52 sq.	Di. La. III, 48: *Διαλόγους τοίνυν φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην· Ἀριστοτέλης δ' ἐν πρώτῳ περὶ ποιητῶν Ἀλεξαμενὸν Στυρέα ἢ Τήιον, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονεύμασι.*
Ex omnigena historia Di. La. VI, 73 affert tragoedias quae Diogenis Cynici ferrentur ab ipso neque a Philisco aut Pasiphonte compositas esse; idem III, 57 Platonem in republica conscribenda Protagorae libros compilasse; idem IX, 34 Anaxagoram quas de sole et luna proferret sententias a prisco quodam auctore furatum esse.	In commentariis de libris subditiciis expositum fuisse sequitur ex II, 39 et III, 62.
Pollim Lacedaemonium iussu Dionysii tyranni Platonem uendidisse in omnig. hist. exstabat (III, 19).	Eandem rem Fauorinus in commentariis tractauit (III, 20).
Ibidem Polycratem sophistam inter Socratis accusatores fuisse (II, 38).	Non genuinam esse Polycratis quae ferebatur orationem in Socratem conscriptam Fauorinus in commentariis dixit (II, 39).
Fauor. omnig. hist. s. u. *ταπεινότης* apud Aelian. u. h. XII, 43: *Δημήτριον δὲ τὸν Φαληρέα οἰκότριβα γενέσθαι λέγουσιν ἐκ τῆς οἰκίας τῆς Τιμοθέου καὶ Κόνωνος.*	Di. La. V, 75 sq.: (*Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς*) *προσόδοις καὶ κατασκευαῖς ηὔξησε τὴν πόλιν, καίπερ οὐκ εὐγενὴς ὤν. ἦν γὰρ ἐκ τῆς Κόνωνος οἰκίας,*

ὡς Φαβωρῖνος ἐν πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων φησίν.

Fauorin. omn. hist. s. u. τρυφὴ apud Aelian. u. h. XII, 32: Ἐμπεδοκλῆς δὲ ὁ Ἀκραγαντῖνος ἁλουργεῖ ἐχρήσατο καὶ ὑποδήμασι χαλκοῖς.

Di. La. VIII, 73 de Empedocle: Ἔτι τε πολλὰς τῶν πολιτίδων ἀπροίκους ὑπαρχούσας αὐτὸν προικίσαι διὰ τὸν παρόντα πλοῦτον· διὸ δὴ πορφύραν τ' ἀναλαβεῖν αὐτὸν καὶ στρόφιον ἐπιθέσθαι χρυσοῦν, ὡς Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ· ἔτι τ' ἐμβάδας χαλκᾶς καὶ στέμμα Δελφικόν.

Similia efficiuntur ex locis uariae historiae duplicibus, qui quidem ad corruptionem codicum non reuocandi sint:

Fauor. omnig. hist. s. u. παλίγκοτος apud Ael. u. h. XIII, 24: Καὶ Περικλῆς ἔγραψε μὴ εἶναι Ἀθηναῖον ὃς μὴ ἐξ ἀμφοῖν γέγονεν ἀστοῖν. εἶτα ἀποβαλὼν τοὺς γνησίους παῖδας ἐπὶ τῷ νόθῳ Περικλεῖ καταλέλειπτο· δῆλα δὲ ὅτι καὶ Περικλῆς ἐβούλετο μὲν ἕτερα, ἔτυχε δὲ ἑτέρων.

Ael. u. h. VI, 10: Περικλῆς στρατηγῶν Ἀθηναίοις νόμον ἔγραψεν, ἐὰν μὴ τύχῃ τις ἐξ ἀμφοῖν ὑπάρχων ἀστῶν, τούτῳ μὴ μετεῖναι τῆς πολιτείας. μετῆλθε δὲ ἄρα αὐτὸν ἡ ἐκ τοῦ νόμου νέμεσις. οἱ γὰρ δύο παῖδες, οἵπερ οὖν ἤστην αὐτῷ, Πάραλός τε καὶ Ξάνθιππος, ἀλλὰ οὗτοι μὲν κατὰ τὴν νόσον τὴν δημοσίαν ἀπέθανον, κατελείφθη δὲ ὁ Περικλῆς ἐπὶ τοῖς νόθοις, οἵπερ οὖν οὐ μετέσχον τῆς πολιτείας κατὰ τὸν πατρῷον νόμον (caput per se positum).

Eadem ratio est inter Fauor. omnig. hist. u. παράδοξος apud Ael. u. h. IX, 39 et u. h. II, 14 — omn. hist. u. τέρατα apud Ael. u. h. XII, 45 et u. h. X, 21 — omn. hist. u. παιδιὰ apud Ael. u. h. XIV, 8, 2 et u. h. II, 6.

Iam quoniam omnigenam historiam quattuor narratiunculas communes habere uidimus cum ea uariorum parte quam supra ad commentarios Fauorini Pamphilaeque potissimum rettulimus, iidem commentarii, si minus utrique, at certe alteriutri cum illo lexico Fauorini et ipso uidentur argumento fuisse coniuncti.

Quodsi Fauorinus nonnumquam easdem res tractauit et in omnigena historia et in miscellaneis solute indigesteque conscriptis, in illa curam adhibens his uidetur usus esse. Tum quod u. h. II, 34—36 et III, 9, 10, 12, quae argumenta libris Fauorini de senectute et de arte amandi Socratica inscriptis deinceps respondent, non ab iis ipsis, sed ab omnigena historia, ut credo [1]), petita sunt, ad hanc suspicionem deducimur, Fauorinum quae antea scriptis singularibus exposuisset senescentem generatim comprehendisse in omnigena historia. Hanc post commentarios confectam esse ex eo colligi licet, quod Gellius, cum commentariis praeceptoris iam in prioribus libris usus sit [2]), de ea demum n. A. XIV, 6 tamquam de libro antea non cognito agit, idemque eam commemorat in praefatione, quam idcirco quod liberos suos ibi inducit ut discendi capaces ante annos 150—155 scribere non potuit [3]). Quo temporis spatio Fauorinus aetate confectus erat. Nam natus est minimum decem annis ante Herodem Atticum [4]), i. e. ante annum 101 [5]). Accedit quod compendia post libros peculiares a doctis componi solent. Ac ne illud quidem, quod dixi, commentationis *περὶ γήρως* inscriptae in omnigena historia quaedam frusta exstitisse, huc male quadrat.

Iam si uerum est a sene Fauorino farraginem illius lexici conflatam esse, fieri omnino non potuit, quin is, antequam alios fontes adiret, suas potius quas ipse passim disperserat doctrinae copias in eam inferret.

XVI. De omnigena historia Athenaei fonte.

A.

Atque ut qui post Chr. n. fuerunt lexicographi et scholiastae ad Didymum uel ad Pausaniam Aeliumque Dionysium aut ipsos aut aliis auctoribus interpositis recedere solent, ita

---

1) Vide p. 71. 2) Pag. 60 sqq. 3) Si quidem ipse circa annos 120—125 natus est. 4) Philostr. uit. soph. I, 8 de Fauorino: *ἐπιτηδειότατος μὲν οὖν Ἡρώδῃ τῷ σοφιστῇ ἐγένετο διδάσκαλόν τε ἡγουμένῳ καὶ πατέρα καὶ πρὸς αὐτὸν γράφοντι ʻπότε σε ἴδω καὶ πότε σου περιλείξω τὸ στόμα'.* 5) Pauly's Realenc. I, 2² p. 2096.

ex omnigena historia Fauorini haud pauca florilegia quasi ex uno nodo ac coitu litterarum profecta sunt.

Etenim, ut ab Athenaeo initium capiam, tandem uerus eius et genuinus fons detectus est: sunt *δειπνοσοφισταί*, si summam spectas, excerpta lexici Fauoriniani in formam sermonum conuiualium redacta.

Nonne enim eadem aequalitas argumenti utrique operi propria est? Nonne illi indices piscium, poculorum, ciborum, nonne cumulata illa praestigiatorum, ganeonum, potatorum, hominum gracilium, artificum exempla, in quibus Athenaeus sibi placuit, rationem qua illum in omnigena historia scribenda grassatum esse uidimus quasi acu tangunt? Et quod Aelianus, qui Athenaeum non modo exhausisse, sed etiam fontium quadam communitate cum eo coniunctus esse [1]) repertus est, ex Fauorino pendet, nonne id ipsum in Athenaeum cadere uidetur?

B. Verum adsunt certiora indicia.

1.

De Fauorini studiis grammaticis [2]) satis constat per Gellium, qui eum disputantem facit de Iapyge aliisque uentis (n. A. II, 22), de significatione peni uocabuli (IV, 1), de discrimine manubiarum et praedae (XIII, 25), de uoce *δημηγορίαι* in Latinum sermonem uertenda (XVIII, 7), de inopia uocum colores exprimentium linguae Latinae propria (II, 26), de notione uerborum ab etymis repetenda (I, 18), de elegantia, qua Q. Quadrigarius pugnam Manlii Torquati cum homine Gallo descripsit (IX, 13), quibus proprietatibus oratio Lysiae a Platonica abhorruerit (II, 5), de differentia Pindari et Vergilii in describenda flagrantia montis Aetnae (XVII, 10), de locis quibusdam interpretandis Euripidis (I, 15, 17) et Sallustii (III, 1), de lectione quadam Vergilii confirmanda (I, 21, cf. IV, 1, 15), de uersu quodam Plautino (III, 3, 6). Idem Fauorinus apud Gellium IV, 1, 4 sqq. hominem nugis grammaticis iactatum perstringens ʻAmaboʼ, inquit, ʻmagister, quidquid est nomen tibi,

1) Vide p. 18. 2) Marres p. 24—41.

abunde multa docuisti, quae quidem ignorabamus et scire haud sane postulabamus. Quid enim refert mea eiusque, quicum loquor, quo genere 'penum' dicam, aut in quas extremas litteras declinem, si nemo id non nimis barbare fecerit? Sed hoc plane indigeo addiscere, quid sit 'penus' et quo sensu id uocabulum dicatur, ne rem cotidiani usus, tamquam qui in uenalibus Latine loqui coeptant, alia, quam oportet, uoce appellem'. Patet igitur eum non ex iis grammaticis fuisse, qui, ut cum Herodico Babylonio loquar, *τὸ σφὶν καὶ τὸ σφῷν καὶ τὸ μὶν ἠδὲ τὸ νὶν* anxie et scrupulose agitabant, sed in sententiis potius uersatum esse difficilioribus illis intellectu.

Nec non in quaestiones Homericas incubuit. Nam apud Gellium (III, 16) disserens de Odyss. XI, 248 sqq., ubi Neptunus ad uirginem nuper a se compressam haec dicit: *χαῖρε, γύναι, φιλότητι· περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ τέξεαι ἀγλαὰ τέκνα, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ ἀθανάτων*, in eo elaborat, ut expromat, quo iure uerba *περιπλομένου ἐνιαυτοῦ* de decem mensibus quos feminae grauidae esse solent a poeta dicta sint [1]), idemque (n. A. II, 26, 20) Frontonem adulans uersu Iliadis l. XXIII 382 compellat. Quin immo librum *περὶ τῆς Ὁμήρου φιλοσοφίας* auctore Suida confecit. Et sciscitantibus nobis, ad quod genus argumenti is spectauerit, hoc fragmento ansa idonea praebetur: Di. La. II, 11: *δοκεῖ πρῶτος (Ἀναξαγόρας), καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀποφήνασθαι εἶναι περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης· ἐπὶ πλέον δὲ προστῆναι τοῦ λόγου Μητρόδωρον τὸν Λαμψακηνόν, γνώριμον ὄντα αὐτοῦ, ὃν καὶ πρῶτον σπουδάσαι τοῦ ποιητοῦ περὶ τὴν φυσικὴν πραγματείαν.* Iam Fauorinus id quod in Anaxagorae et Metrodori studiis Homericis laudauit ipse in suo scripto de Homeri philosophia omisisse putari nequit; id est, semina et quasi igniculos uirtutum rationesque quasdam physicas a poeta inibi repetiit. Si autem ualet id quod proxime exsecutus esse mihi uideor, libros Fauorini ipsius ad omnigenam historiam

1) Cf. de hoc putido genere disserendi Lehrs., de Arist. stud. Hom.[2] p. 213 sq.

construendam adhibitos esse, exspectandum est, ut eadem, quae in illis commentationibus Homericis, in hac quoque infuerint. At quid multa? Abundabat omnigena historia eiusmodi quaestionibus adeo, ut ob has potissimum Gellius XIV, 6 eam insulsitatis argueret.

Iam uero ad hanc lexici Fauoriniani imaginem et Gellii testimonio et cogitatione mea effictam proxime accedunt Athenaei l. I capita 15—23, ubi multa exempla frugalitatis Homericae habentur. Neque temporis ratio obstat, si quidem Apio et Iuba, Tiberii Caesaris aequales, in l. I cc. 26 et 29 laudantur. Quid quod frustula omnigenae historiae in hac parte *δειπνοσοφιστῶν* reperiuntur. Quod enim Fauorinus in ea narrauit (Di. La. V, 9), Aristotelem Athenis fugientem de delatoribus dixisse '*ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ*', idem uersus ex Odyss. VII, 120 et 121 contaminatus affertur partim in Ath. I p. 9 e et totus p. 24 f. — Porro in p. 10 a, Nestore ad Machaonis uulnera sananda uinum adhibuisse tradito, explicandi gratia haec subsecuntur: *καὶ τοῦτον Πράμνειον ὃν ἴδμεν παχὺν καὶ πολύτροφον*. Iam exstant in Fauor. omn. hist. s. u. *τρυφὴ* apud Ael. u. h. XII, 31 uerba: *Πράμνειόν τινα ἐκάλουν, ἱερὸς δὲ ἦν ἄρα οὗτος τῆς Δήμητρος.*

2.

Steph. Byz.	De leporibus cum agatur apud Athenaeum inde a l. IX capite 61, in c. 63 p. 401 a haec exstant:
s. u.: *Χελιδόνιοι ἔθνος Ἰλλυρικόν — εἰσὶ καὶ Χελιδονίαι πέτραι, ὧν πολλάκις ἐμνήσθημεν. δύο δέ εἰσι κεκλημέναι ἡ μὲν Κορύδελα ἡ δὲ Μελανίππεια, ὡς Φαβωρῖνος ἐν τοῖς παντοδαποῖς.*	*Καλοῦνται δέ τινες καὶ Χελιδονίαι λαγωοί. μνημονεύει δὲ αὐτῶν Δίφιλος ἢ Καλλιάδης ἐν Ἀγνοίᾳ οὕτως·* *τί τοῦτο; ποδαπὸς οὗτος;* B. *Χελιδόνειος ὁ δασύπους, γλυκεῖα δ' ἡ μίμαρκυς.* (Fici Chelidoniae memorantur in III p. 75 c et XIV p. 652 d e.)

S. u.: *Βισαλτία πόλις καὶ χώρα Μακεδόνων, ἀπὸ Βισάλτου τοῦ Ἡλίου καὶ Γῆς. περὶ ταύτην οἱ λαγοὶ σχεδὸν πάντες ἁλίσκονται δύο ἥπατα ἔχοντες, ὡς Θεόπομπος ἱστορεῖ καὶ Φαβωρῖνος.*	*Θεόπομπος δ' ἐν τῇ εἰκοστῇ τῶν ἱστοριῶν περὶ τὴν Βισαλτίαν φησὶ λαγωοὺς γίνεσθαι δύο ἥπατα ἔχοντας.*

Suis Calydonii mentionem faciunt Athenaeus IX p. 401b et Stephanus s. u. *Κρεμμυών*, hic Fauorinum antestans. Accedit quod Athenaei libros VII, VIII, IX ex lexico quodam fluxisse uel per se apparet; habent enim etiamnunc uoces primarias, in quibus explicandis sequentia uersantur, a fronte capitum seorsus appositas, uelut liber nonus has: *ΟΡΝΕΙΣ, ΔΕΛΦΑΞ, ΧΗΝ, ΑΤΤΑΓΑΣ, ΠΟΡΦΥΡΙΩΝ, ΠΟΡΦΥΡΙΣ, ΠΕΡΔΙΞ, ΟΡΤΥΓΕΣ, ΦΑΣΣΑΙ, ΝΗΤΤΑΙ, ΓΑΛΑΘΗΝΩΝ, ΤΑΩΣ, ΣΥΣ, ΨΥΑΙ.*

Iam ut ex ungue leo cognosci potest, ita Athenaeus, si hanc unam de leporibus Bisalticis fabellam ex omnigena historia Fauorini mutuatus est, ubicumque animalia per genera tractat, ex ea pendet, id est non modo in libri noni cc. 61—63, sed etiam in libris VII, VIII, IX, utpote qui communis originis sint. Si igitur haec omnis pars *δειπνοσοφιστῶν* deprompta est ex lemmate illius lexici *ζῷα* inscripti, in eo lemmate ipso etiam de singulis bestiis secundum ordinem litterarum disputatum fuisse ex Athenaeo licet concludi.

3.

Athenaeus postquam inde ab initio libri undecimi usque ad caput 110 dissertationem de poculorum generibus non magis doctam quam ieiunam praebuit, extremis capitibus 112—120 Platonis discipulorumque eius inuidiam multis exemplis prosequitur, his uerbis exorsus: *εἰς ταῦτά τις ἀποβλέπων τὰ τοῦ καλοῦ Ξενοφῶντος ἐπιγινώσκειν δυνήσεται ἣν εἶχε πρὸς αὐτὸν ὁ λαμπρότατος Πλάτων ζηλοτυπίαν. ἢ τάχα φιλονείκως εἶχον ἀρχῆθεν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ ἄνδρες οὗτοι, αἰσθόμενοι τῆς ἰδίας ἑκάτερος ἀρετῆς, καὶ ἴσως καὶ περὶ πρωτείων διεφέροντο.* Utrumque enim dicit symposia

diuersum in modum composuisse, Platonem autem in libro de anima confecto de Xenophonte consulto reticere; eundem in legum tertio dicere Cyrum, quamquam bonus dux esset, bonae institutionis expertem fuisse; quo iudicio Xenophontis *Κύρου παιδείαν* perstringi. Tum fusius exponitur, quam odiosa obtrectatione Plato fuerit in Homerum aliosque poetas, in Thrasymachum Chalcedonium, Hippiam, Gorgiam, Parmenidem, in Phanosthenem Andrium, Apollodorum Cyzicenum, Heraclidem Clazomenium, in Themistoclem, Periclem, Cimonem, alios. Interiectoque iniquo de republica et de legibus Platonicis iudicio (c. 117) transit ad inuidiam et superbiam Euphraei, Callippi, Euagonis, Timolai, Chaeronis, discipulorum Platonis. Denique sub finem (p. 509a) haec leguntur: *τοιοῦτοι δ' εἰσὶ καὶ νῦν τῶν Ἀκαδημιακῶν τινες, ἀνοσίως καὶ ἀδόξως βιοῦντες. χρημάτων γὰρ ἐξ ἀσεβείας καὶ παρὰ φύσιν κυριεύσαντες διὰ γοητείαν νῦν εἰσι περίβλεπτοι.* Qui haec omnia composuit — neque de Athenaeo ipso ullo modo cogitandum est —, uir fuit in dialogis eius philosophi summopere uersatus, si quidem l. l. Athenaei prouocatur ad leges, rempublicam, Ionem, Menonem, Euthydemum, conuiuium, Cimonem, Gorgiam, Timaeum, Menexenum; idem uidetur Academiae rediuiuae addictus fuisse; idem eo consilio scripta Platonis peruestigauit, ut exempla *ζηλοτυπίας* inde petita in unum locum congereret.

Iam uero ad uocem omnigenae historiae *ζηλοτυπίαν* memineris, quaeso, nobis supra reuocandum fuisse Ael. u. h. XII caput 16, quod sic incipit: *λέγεται Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου ζηλοτυπώτατα πρὸς τοὺς ἑταίρους διατεθῆναι,* et ubi rex ob inuidiam in Perdiccam, Lysimachum, Seleucum, Antigonum, Antipatrum, Ptolemaeum, Tarrhium, Pithonem carpitur. Videmus igitur utrobique eiusdem rei exempla uia et ratione excerpta ex diuersis fontibus, altera ex Platone, altera ex libro quodam de rebus Alexandri composito. En, denuo ex uerbis Athenaei prospicit facies Fauorini, Academici illius et lexicographi. Hauserunt sua et Aelianus et Athenaeus ex lemmate omnigenae historiae uoce *ζηλοτυπία* notato.

Quod iudicium ferenti mihi haec conspicua utriusque scriptoris conuenientia praesidio est:

Di. La. III, 48: *Διαλόγους τοίνυν φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην· Ἀριστοτέλης δ' ἐν πρώτῳ περὶ ποιητῶν Ἀλεξαμενὸν Στυρέα ἢ Τήιον, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονεύμασι* (uerba commentationis de Platone a Diogene scriptae). Ad argumentum autem omnigenae historiae enucleandum commentariorum fragmentis uis probandi inest[1]).

Ath. XI c. 112 p. 505 bc: *Πρὸ γὰρ αὐτοῦ (Πλάτωνος) τοῦθ' εὗρε τὸ εἶδος τῶν λόγων ὁ Τήιος Ἀλεξαμενός, ὡς Νικίας ὁ Νικαεὺς ἱστορεῖ καὶ Σωτίων. Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ περὶ ποιητῶν οὕτως γράφει 'οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους τοὺς καλουμένους Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἶναι λόγους καὶ μιμήσεις, ἢ τοὺς Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τηίου τοὺς προτέρους γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων'. ἄντικρυς φάσκων ὁ πολυμαθέστατος Ἀριστοτέλης πρὸ Πλάτωνος διαλόγους γεγραφέναι τὸν Ἀλεξαμενόν.*

Sed audiamus praeterea Gellium XIV, 3: 'Qui de Xenophontis Platonisque uita et moribus pleraque omnia exquisitissime[2]) scripsere, non afuisse ab eis motus quosdam tacitos et occultos simultatis aemulationisque mutuae putauerunt et eius rei argumenta quaedam coniectaria ex eorum scriptis protulerunt. Quod neque a Platone in tot numero libris mentio umquam facta sit Xenophontis neque item contra ab eo in suis libris Platonis, quamquam uterque ac maxime Plato complurium Socratis sectatorum in sermonibus quos scripsit commeminerit. Id etiam non sincerae neque amicae uoluntatis indicium crediderunt, quod Xenophon inclito illi operi Platonis, quod 'de optimo statu reipublicae administrandae' scriptum est, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in uolgus exierunt, opposuit contra conscripsitque diuersum regiae administrationis genus quod *παιδείας Κύρου* inscriptum est. Eo facto scriptoque eius usque permotum esse Platonem ferunt, ut quodam

1) Vide p. 105 sqq. 2) Cf. Gell. X, 12, 9.

in libro mentione Cyri regis habita retractandi leuandique eius operis gratia uirum quidem Cyrum nauum et strenuum fuisse dixerit, *παιδείας δὲ οὐκ ὀρθῶς ἧφθαι τὸ παράπαν* (uid. legum III p. 694 C) etc. Extremo capite, ut Plato et Xenophon maleuolentiae crimine purgentur, haec subiuncta sunt: 'aequiparatio ipsa plerumque et parilitas uirtutum inter se consimilium, etiamsi contentionis studium et uoluntas abest, speciem tamen aemulationis creat' etc.

Optime haec uerba Gellii a Maassio [1]) ad Fauorinum referuntur uirum 'memoriarum ueterum exsequentissimum'. Quae quantopere conueniant ad initium loci quem ex Athenaeo supra attuli in aperto est. Neque uero ex omnigena historia hausta sunt, sed ex alio quodam uolumine Fauorini, ut uidetur e commentariis. Iam fides adiuncta est illis quae dixi eum certa ratione fontibus suis esse usum et in lexico suo repetiisse quae antea per alia scripta disperserat. Scilicet ex hoc fluxerunt quae Athenaeus de illa contentione philosophorum affert.

Atqui philosophum, inquies, Platonicum quo tandem iure putas in principem et ducem suae sectae conuiciis saeuiisse? Sed non est, quod in ea re haereamus. Nam Fauorinus quamquam uel potius propterea quod quartam, quam dicunt, Academiam professus est, uir erat sui iudicii [2]), ac si eum, ut ad rationem Peripateticorum uergebat [3]) et iucundissimam quamque doctrinam arbitrio suo uidetur amplexus esse [4]), ita uituperasse credimus quae in Platone ipsi displicuissent, num rem animo fingimus ab eius ingenio alienam? Ceterum Athenaei capita, quae in medio sunt, non tam ad odium Platonis uidentur reuocanda esse quam ad studium quoddam uitia generis humani praeclaris exemplis confirmandi.

Verum quod fabulosam Alexandri historiam per species discerptam in lexicum Fauorini intextam fuisse nobis erat statuendum [5]), si legimus Ath. l. XII caput 55, ubi de luxuria singulorum deinceps Alexandri legatorum agitur, nonne hac enumeratione rursus de indole omnigenae historiae commonemur?

1) L. l. p. 77 sqq. 2) Gell. XX, 1, 9. 3) Plut. quaestt. conu. VIII, 10, 2. 4) Marres p. 55 sqq. 5) Pagg. 54 sqq. et 75 sq.

Philosophum Fauorinum in octauo libro Athenaei haec quoque historiola comprobat: p. 354 e: *οὐκ ἀχαρίτως δὲ καὶ Σφαῖρον, τὸν συσχολάσαντα μὲν Χρυσίππῳ παρὰ Κλεάνθει, μετάπεμπτον δὲ γενόμενον εἰς Ἀλεξάνδρειαν ὑπὸ τοῦ βασιλέως Πτολεμαίου, κηρίνων ποτὲ ἐν τῷ δείπνῳ παρατεθεισῶν ὀρνίθων, ἐκτείναντα τὰς χεῖρας ἐπισχεθῆναι ὑπὸ τοῦ βασιλέως, ὡς ψεύδει συγκατατιθέμενον. τὸν δ' εὐστόχως ἀποφήνασθαι εἰπόντα οὐ τούτῳ συγκατατίθεσθαι, ὅτι εἰσὶν ὄρνεις, ἀλλ' ὅτι εὔλογόν ἐστι ταύτας ὄρνεις εἶναι. διαφέρειν δὲ τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν τοῦ εὐλόγου· τὴν μὲν γὰρ ἀδιάψευστον εἶναι, τὸ δ' εὔλογον ἄλλως ἀποβαίνειν.* Versatur in discrimine sententiarum de facultate comprehendendi. Pyrrhonei enim et de iis qui a parte quartae, quam dicunt, Academiae stabant longe plurimi menti, quippe quae neque per se quidquam praestare posset et omnia externis atque aduenticiis uisionibus deberet, facultatem ueri indagandi omnino abiudicabant. Contra Stoici commune iudicium hominum secuti ea quae sensibus percepta erant pro ueritatis habebant criterio. Fauorinus uero in hac prouincia philosophiae fere sola et tamquam sua elaborauit. Nam libri eius philosophici, qui quidem noti sunt, ad unum omnes, et *Πυρρωνείων τρόπων λόγοι ι'* [1]) et *Πλούταρχος ἢ περὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς διαθέσεως*, et *πρὸς Ἐπίκτητον*, et *Ἀλκιβιάδης*, et *πρὸς Ἀδριανόν*, et *πρὸς Δρύσωνα*, et *πρὸς Ἀρίσταρχον* ad *κατάληψιν* pertinebant [2]). Atque ad eam contemptionem iudicii sensuum processit, ut ne solem quidem comprehensibilem esse contenderet [3]). Quamquam idem non ubique sibi constitit; in Plutarcho saltem esse aliquid quod liquido cognosci posset uidetur concessisse [4]). Quid uero? Nonne illud Athenaei ad hanc Fauorini dubitationem iocose illustrandam mirum quantum conuenit? Accedit quod ipsam illam *καταληπτικὴν φαντασίαν* in scriptis Fauorini usitatissimam iisque paene propriam fuisse Galenus testis est, in libri cui nomen est *περὶ ἀρίστης διδασκαλίας*

1) Gell. XI, 5, 5. Philostr. uit. soph. I, 8 (p. 208). Di. La. IX, 87.
2) Gal. *περὶ ἀριστ. διδασκ.* p. 131. 3) Ibid. p. 131 init. et 138, 17.
4) Ibid. p. 131, 18.

p. 131, 26 his usus uerbis: *καὶ ἔγωγε ἐθαύμαζον, νὴ τοὺς θεούς, ὅπως ὁ Φαβωρῖνος εἰς τὴν τῶν Ἀττικῶν φωνὴν εἰωθὼς μεταλαμβάνειν ἕκαστα τῶν ὀνομάτων οὐ παύεται λέγων οὔτε τὸ καταληπτόν, οὔτε τὴν κατάληψιν, οὔτε τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, οὔτε τὰ τούτοις ἀντικείμενα, οἷον στερητικῶς λεγόμενα ἀκατάληπτον φαντασίαν, ἢ τὴν ἀκαταληψίαν αὐτήν.*

Neque ego, cum Plutarchus huc non faciat, inter Academicos recentiores noui ullum auctorem cuius scriptis illae facetiae Sphaeri philosophi et Ptolemaei regis uindicari possint praeter Fauorinum.

Denique Diogenes, Fauorini excerptor, VII, 177 eandem prorsus narratiunculam exhibet.

4.

Di. La. VIII, 53:	Athen. I p. 3c: *Καὶ ἐπὶ τὰς ἑστιάσεις δὲ παρακαλῶν* (sc. Larensius), *πατρίδα, φησί* (sc. Athenaeus), *τὴν Ῥώμην πᾶσιν ἀποφαίνει. τίς γὰρ τὰ οἴκοι ποθεῖ τούτῳ ξυνὼν ἀναπεπταμένην ἔχοντι τοῖς φίλοις τὴν οἰκίαν; κατὰ γὰρ τὸν κωμικὸν Ἀπολλόδωρον,* *εἰς οἰκίαν ὅταν τις εἰσίῃ φίλου,* *ἔστιν θεωρεῖν, Νικοφῶν, τὴν τοῦ φίλου* *εὔνοιαν εὐθὺς εἰσιόντα τὰς θύρας.* *ὁ θυρωρὸς ἱλαρὸς πρῶτόν ἐστιν, ἡ κύων* *ἔσηνε καὶ προσῆλθ', ὑπαντήσας δέ τις* *δίφρον εὐθέως ἔθηκε, κἂν μηδεὶς λέγῃ* *μηδέν.* *τοιούτους ἔδει καὶ τοὺς λοιποὺς εἶναι πλείους· ὡς τοῖς γε μὴ τοῦτο ποιοῦσιν ἐρεῖ τις 'τί μικρολογεῖς; πλεῖαί τοι οἴνου κλισίαι. δαίνυ δαῖτα γέρουσι θάλειαν· ἔοικέ τοι'.* *τοιοῦτος ἦν τῇ μεγαλοψυχίᾳ ὁ μέγας Ἀλέξανδρος. Κόνων δὲ τῇ περὶ Κνίδον ναυμαχίᾳ νικήσας Λακεδαιμονίους καὶ τειχίσας τὸν Πειραιᾶ, ἑκατόμβην τῷ ὄντι θύσας καὶ οὐ ψευδωνύμως, πάντας Ἀθηναίους εἱστια-*

Di. La.	Ath.
	σεν. Ἀλκιβιάδης δὲ Ὀλύμπια νικήσας ἅρματι πρῶτος καὶ δεύτερος καὶ τέταρτος, εἰς ἃς νίκας καὶ Εὐριπίδης ἔγραψεν ἐπινίκιον, θύσας Ὀλυμπίῳ Διὶ τὴν πανήγυρον πᾶσαν εἱστίασε. τὸ αὐτὸ ἐποίησε καὶ Λεώφρων Ὀλυμπίασιν, ἐπινίκιον γράψαντος τοῦ Κείου Σιμωνίδου.
Σάτυρος δ' ἐν τοῖς βίοις φησὶν ὅτι Ἐμπεδοκλῆς υἱὸς μὲν ἦν Ἐξαινέτου, κατέλιπε δὲ καὶ αὐτὸς υἱὸν Ἐξαίνετον· ἐπί τε τῆς αὐτῆς Ὀλυμπιάδος τὸν μὲν ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι, τὸν δ' υἱὸν αὐτοῦ πάλῃ, ἤ, ὡς Ἡρακλείδης ἐν τῇ ἐπιτομῇ, δρόμῳ. ἐγὼ δ' εὗρον ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Φαβωρίνου, ὅτι καὶ βοῦν ἔθυσε τοῖς θεωροῖς ὁ Ἐμπεδοκλῆς ἐκ μέλιτος καὶ ἀλφίτων.	Ἐμπεδοκλῆς δ' ὁ Ἀκραγαντῖνος ἵπποις Ὀλύμπια νικήσας, Πυθαγορικὸς ὢν καὶ ἐμψύχων ἀπεχόμενος, ἐκ σμύρνης καὶ λιβανωτοῦ καὶ τῶν πολυτελεστάτων ἀρωμάτων βοῦν ἀναπλάσας διένειμε τοῖς εἰς τὴν πανήγυριν ἀπαντήσασιν. ὁ δὲ Χῖος Ἴων τραγῳδίαν νικήσας Ἀθήνησιν ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων ἔδωκε Χῖον κεράμιον.

Haec uerba ex Athenaeo adscripta, remotis iis quae ab eo ipso praefationis loco adiecta sunt — neque difficile est ea internoscere —, ad uocem omnigenae historiae *ἑστίασις* uidentur reuocanda esse.

5.

Di. La. VIII, 63:	Ath. XIV c. 12 p. 620 a: *Οὐκ ἀπελίποντο δὲ ἡμῶν τῶν συμποσίων οὐδὲ ῥαψῳδοί. ἔχαιρε γὰρ τοῖς Ὁμήρου ὁ Λαρήνσιος . . . ὅτι δ' ἐκαλοῦντο οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ ὁμηρισταὶ Ἀριστοκλῆς εἴρηκεν ἐν τῷ περὶ χορῶν. τοὺς δὲ νῦν ὁμηριστὰς ὀνομαζομένους πρῶτος εἰς τὰ θέατρα παρήγαγε Δημήτριος ὁ Φαληρεύς. Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ περὶ Στησιχόρου καὶ μελῳδηθῆναί φησιν οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου*

De Empedocle: *Αὐτοὺς δὲ τούτους τοὺς καθαρμοὺς ἐν Ὀλυμπίᾳ διαρραψῳδῆσαι λέγεται Κλεομένην τὸν ῥαψῳδόν, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονεύμασι.*

ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου. Κλέαρχος δ' ἐν τῷ προτέρῳ περὶ γρίφων 'τὰ Ἀρχιλόχου (φησὶν) ὁ Σιμωνίδης ὁ Ζακύνθιος ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ δίφρου καθήμενος ἐρραψῴδει'. Λαννσίας δ' ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἰαμβοποιῶν Μνασίωνα τὸν ῥαψῳδὸν λέγει ἐν ταῖς δείξεσι τῶν Σιμωνίδου τινὰς ἰάμβων ὑποκρίνεσθαι. τοὺς δ' Ἐμπεδοκλέους καθαρμοὺς ἐρραψῴδησεν Ὀλυμπίασι Κλεομένης ὁ ῥαψῳδός, ὥς φησι Δικαίαρχος ἐν τῷ Ὀλυμπικῷ. Ἰάσων δ' ἐν τρίτῳ περὶ τῶν Ἀλεξάνδρου ἱερῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ φησὶν ἐν τῷ μεγάλῳ θεάτρῳ ὑποκρίνασθαι Ἡγησίαν τὸν κωμῳδὸν τὰ Ἡσιόδου, Ἑρμόφαντον δὲ τὰ Ὁμήρου.

Habemus apud Athenaeum eum omnigenae historiae indicem ut uidetur fere integrum, qui sub uoce *ῥαψῳδοὶ* exstitit.

6.

Di. La. V, 5: *Ὁ δ' οὖν Ἀριστοτέλης ἐλθὼν εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ τρία πρὸς τοῖς δέκα τῆς σχολῆς ἀφηγησάμενος ἔτη ὑπεξῆλθεν εἰς Χαλκίδα, Εὐρυμέδοντος αὐτὸν τοῦ ἱεροφάντου δίκην ἀσεβείας γραψαμένου, ἢ Δημοφίλου, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, ἐπειδήπερ τὸν ὕμνον εἰς τὸν προει-*

Athen. XV c. 51 p. 696a: *Τούτων λεχθέντων ὁ Δημόκριτος ἔφη, ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ὑπὸ τοῦ πολυμαθεστάτου γραφὲν Ἀριστοτέλους εἰς Ἑρμείαν τὸν Ἀταρνέα οὐ παιάν ἐστιν, ὡς ὁ τὴν τῆς ἀσεβείας κατὰ τοῦ φιλοσόφου γραφὴν ἀπενεγκάμενος Δημόφιλος, εἰς αἰδῶ τε παρασκευασθεὶς ὑπ' Εὐρυμέδοντος* (i. e. interprete Schweighaeusero: 'qui honoris causa ab Eurymedonte accusator subornatus est'), *ὡς ἀσεβοῦντος καὶ ᾄδοντος ἐν τοῖς συσσιτίοις ὁσημέραι εἰς τὸν*

ρημένον Ἑρμείαν ἐποίησεν.

§ 6: ὁ δὲ ὕμνος ἔχει τοῦτον τὸν τρόπον·

§ 7: Sequitur carmen ab Aristotele in honorem Hermeae compositum.

Tum (§ 8) Diogenes ipsius epigrammate de Aristotele interiecto sic pergit (§ 9): τοῦτον πρῶτον Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ λόγον δικανικὸν ὑπὲρ ἑαυτοῦ συγγράψαι φησὶν ἐπ' αὐτῇ ταύτῃ τῇ δίκῃ καὶ λέγειν ὡς Ἀθήνησιν ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Ἑρμείαν παιᾶνα. ὅτι δὲ παιανος οὐδεμίαν ἔμφασιν παρέχει τὸ ᾆσμα, ἀλλὰ τῶν σκολίων ἕν τι καὶ αὐτὸ εἶδός ἐστιν ἐξ αὐτῆς τῆς λέξεως φανερὸν ὑμῖν ποιήσω· subsequitur Aristotelis paean siue carmen in Hermeam.

c. 52: ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα εἴ τίς τι κατιδεῖν ἐν τούτοις δύναται παιανικὸν ἰδίωμα ... παιὰν δ' ἐστὶ καὶ ὁ εἰς Κρατερὸν τὸν Μακεδόνα γραφείς, ὃν ἐτεκτήνατο Ἀλεξῖνος ὁ διαλεκτικός, ὥς φησιν Ἕρμιππος ὁ Καλλιμάχειος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ἀριστοτέλους. ᾄδεται δὲ καὶ οὗτος ἐν Δελφοῖς, λυρίζοντός γέ τινος παιδός. καὶ ὁ εἰς Ἀγήμονα δὲ τὸν Κορίνθιον, Ἀλκυόνης πατέρα, ὃν ᾄδουσι Κορίνθιοι, ἔχει τὸ παιανικὸν ἐπίφθεγμα. παρέθετο δὲ αὐτὸν Πολέμων ὁ περιηγητὴς ἐν τῇ πρὸς Ἀράνθιον ἐπιστολῇ. καὶ ὁ εἰς Πτολεμαῖον δὲ τὸν πρῶτον Αἰγύπτου βασιλεύσαντα παιάν ἐστιν, ὃν ᾄδουσι Ῥόδιοι ...; idem argumentum usque ad finem capitis producitur.

Ex inciso παιὰν inscripto uidemus habere Athenaeum libri XV capita 51 et 52, Aristotelis hymnum Laertium; hic autem dictum eius philosophi, quod subiunxit, ex alio quodam lemmate fortasse uoce πρῶτος aut δικανικὸς aut λόγος insignito uidetur deprompsisse. Hoc igitur discrimen inter Athenaeum et Diogenem compilatores omnigenae historiae intercedere puto, ut ille partes fere integras in quaestiones suas conuiuales transtulerit, hic modo hac modo illa littera στοιχείᾳ euoluta multas undique particulas excerpserit.

7.

Memorantur Parmeniscus Pythagoreus et in Fauor. comment. apud Di. La. IX, 20 et in Ath. XIV p. 614ab, Lanice,

nutrix Alexandri eademque mater Proteae, hominis ebriosi, et in Fauor. omn. hist. apud Ael. u. h. XII, 26 et in Athen. IV p. 129 a.

8.

Fauor. omn. hist. apud Ael. u. h. XII, 15:	Athen. XII p. 518 f — 519 b:
Τὸν Ἡρακλῆ λέγουσι τὰς ἐν τοῖς ἄθλοις σπουδὰς διαναπαύειν ταῖς παιδιαῖς. ἔπαιζε δὲ ἄρα ὁ Διὸς καὶ Ἀλκμήνης μετὰ παιδίων πάνυ σφόδρα. τοῦτό τοι καὶ ὁ Εὐριπίδης ἡμῖν ὑπαινίττεται, ποιήσας τὸν αὐτὸν τοῦτον θεὸν λέγοντα παίζω· μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ. λέγει δὲ τοῦτο παιδίον κατέχων. καὶ Σωκράτης δὲ κατελήφθη ποτὲ ὑπὸ Ἀλκιβιάδου παίζων μετὰ Λαμπροκλέους ἔτι νηπίου. Ἀγησίλαος δὲ κάλαμον περιβὰς ἵππευε μετὰ τοῦ υἱοῦ παιδὸς ὄντος, καὶ πρὸς τὸν γελάσαντα εἶπε ʻνῦν μὲν σιώπα, ὅταν δὲ γένῃ πατὴρ αὐτός, τότε ἐξαγορεύσεισ'. ἀλλὰ καὶ Ἀρχύτας ὁ Ταραντῖνος, πολιτικός τε καὶ φιλόσοφος ἀνὴρ γενόμενος, πολλοὺς ἔχων οἰκέτας, τοῖς αὐτῶν παιδίοις πάνυ σφόδρα ἐτέρπετο μετὰ τῶν οἰκοτρίβων παίζων· μάλιστα δὲ ἐφίλει τέρπεσθαι αὐτοῖς ἐν τοῖς συμποσίοις.	Παιδίοις γὰρ ἔχαιρεν ὁ Μασσανάσσης καὶ εἶχε παρ' αὐτῷ τρεφόμενα τῶν υἱῶν (πολλοὶ δ' ἦσαν) τὰ τέκνα καὶ τῶν θυγατέρων ὁμοίως. καὶ πάντα ταῦτα αὐτὸς ἔτρεφε μέχρι τριῶν ἐτῶν, μεθ' ἃ ἀπέπεμπε πρὸς τοὺς γεγεννηκότας, παραγινομένων ἄλλων. τὰ δὲ αὐτὰ ἔφη καὶ Εὔβουλος ὁ κωμικὸς ἐν Χάρισιν οὕτως καὶ γὰρ πόσῳ κάλλιον, ἱκετεύω, τρέφειν ἄνθρωπον ἔστ' ἄνθρωπον, ἂν ἔχῃ βίον, ἢ χῆνα πλατυγίζοντα καὶ κεχηνότα, ἢ στρουθὸν ἢ πίθηκον, ἐπίβουλον κακόν. καὶ Ἀθηνόδωρος δὲ ἐν τῷ περὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς Ἀχρύταν φησὶ τὸν Ταραντῖνον, πολιτικὸν ἅμα καὶ φιλόσοφον γενόμενον, πλείστους οἰκέτας ἔχοντα ἀεὶ τούτων τοῖς παιδίοις παρὰ τὴν δίαιταν ἀφιεμένοις εἰς τὸ συμπόσιον ἥδεσθαι.

Excerpsit uterque lemma nocabulo *παιδιὰ* inscriptum, alter alia praetermittens.

9.

Fauorin. omnig. hist. apud Ael. u. h. XII, 31 (ex lemmate *τρυφὴ* inscripto): *Φέρε οἴνων Ἑλληνικῶν διὰ σπουδῆς ἰόντων ἐν τοῖς πάλαι ὀνόματα καταλέξω ὑμῖν.*	Athen. I p. 10a:
Πράμνειόν τινα ἐκάλουν, ἱερὸς δὲ ἦν ἄρα οὗτος τῆς Δήμητρος.	*Καὶ τοῦτον Πράμνειον, ὃν ἴδμεν παχὺν καὶ πολύτροφον.*
καὶ Χῖος οἶνος ἐκ τῆς νήσου, καὶ Θάσιος ἄλλος, καὶ Λέσβιος.	I p. 28e: *Χίου δὲ οἴνου καὶ Θασίου μέμνηται Ἐπίλυκος 'Χῖος καὶ Θάσιος ἠθημένος'. καὶ Ἀντίδοτος δὲ 'Θάσιον ἔγχει'* *ὃ γὰρ ἂν λαβόν μου καταφάγῃ τὴν καρδίαν,* *ὅταν πίω τοῦτ', εὐθὺς ὑγιὴς γίγνεται·* *Ἀσκληπιὸς κατέβρεξε . . .* *'Λεσβίου δὲ πώματος* *οὐκ ἔστιν ἄλλος οἶνος ἡδίων πιεῖν'* *φησὶν Ἄλεξις.*
καὶ ἐπὶ τούτοις Γλυκύς τις ἐκαλεῖτο, πρέπων τῷ ὀνόματι τὴν γεῦσιν, *καὶ Κρὴς ἄλλος* (cf. Ath. X p. 440f.). *καὶ ἐν Συρακούσαις Πόλλιος· ἐκλήθη δὲ ἀπό τινος ἐγχωρίου βασιλέως.*	I p. 31b: *Ἵππυς δὲ ὁ Ῥηγῖνος τὴν Εἱλεὸν καλουμένην ἄμπελον Βιβλίαν φησὶ καλεῖσθαι· ἣν Πόλλιν τὸν Ἀργεῖον, ὃς ἐβασίλευσε Συρακοσίων, πρῶτον εἰς Συρακούσας κομίσαι ἐξ Ἰταλίας. εἴη ἂν οὖν ὁ παρὰ Σικελιώταις Γλυκὺς καλούμενος Πόλλιος ὁ Βίβλινος οἶνος.*
ἔπινον δὲ καὶ Κῷον οἶνον, καὶ οὕτως αὐτὸν ἐκάλουν·	I p. 32e: *Ἱκανῶς δὲ καὶ ὁ Κῷος τεθαλάττωται. καὶ ὁ Ῥόδιος δὲ*

καὶ Ῥόδιον, κατὰ τὰ αὐτὰ ὀνομάζοντες. τί δέ; οὐκ ἐκεῖνο τοῖς Ἕλλησι τρυφῆς ἀπόδειξις; μύρῳ γὰρ οἶνον μιγνύντες οὕτως ἔπινον, καὶ ὑπερησπάζοντο τὴν τοιαύτην κρᾶσιν· καὶ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος Μυρίνης. μέμνηται δὲ αὐτοῦ Φιλιππίδης ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητής.	ἐλάττονος μὲν κεκοινώνηκε θαλάσσης, ὁ δὲ πολὺς αὐτοῦ ἀχρεῖός ἐστιν. I p. 32b: Καὶ ἑξῆς δέ φησιν 'ἐάν τις κεράσῃ σκληρὸν καὶ εὔοσμον μαλακῷ καὶ ἀόσμῳ, καθάπερ τὸν Ἡρακλεώτην καὶ τὸν Ἐρυθραῖον, τοῦ μὲν τὴν μαλακότητα, τοῦ δὲ τὴν εὐοσμίαν παρεχομένου. Μυρίνης δὲ οἶνος κεῖται παρὰ Ποσειδίππῳ 'διψηρὸς ἄτοπος ὁ Μυρίνης ὁ τίμιος.'

Sequi uidetur Athenaeum ex omnigena historia commentationem quandam de uinis exscripsisse, neque uero eandem, quam Aelianum in u. h. XII, 31. Nam hoc caput aeque ac uicina ex uoce *τρυφή* sumptum esse puto, id quod etiam uerbis *τί δέ; οὐκ ἐκεῖνο τοῖς Ἕλλησι τρυφῆς ἀπόδειξις* arguitur. Athenaeus igitur in libro primo lemmate *οἶνος* eiusdem lexici uidetur usus esse. Quod si uere suspicor, Fauorinus bis de uinis, fusius s. u. *οἶνος*, minus cumulate s. u. *τρυφή* exposuit. Ceterum si quaestiones Homericae, quibus liber primus *δειπνοσοφιστῶν* scatet, Fauorino debentur[1]), uinorum quae ibidem exstat commentationis rationem diuersam esse probabile non est.

Efficacissimum uero argumentum in his positum est:

Steph. Byz. s. u.: *Ἀλεξάνδρειαι, πόλεις ὀκτωκαίδεκα — τὸ ἐθνικὸν Ἀλεξανδρεύς — Δίδυμος δὲ παρατίθεται χρῆσιν ἐξ Ἐρατοσθένους τοῦ Κυρηναίου τὸ Ἀλεξανδρίτης. Φαβωρῖνος δὲ ἐν τῷ περὶ παντοδαπῆς ὕλης Ἀλεξανδρειώτης φησί* (uerba a Marresio restituta; codices enim haec exhibent: *Δίδυμος δὲ παρατ. χρ. ἐξ Ἐρατοσθένους τοῦ* (Mein., *τὸ* West.) *Ἀλεξανδρίτης. Φαβωρῖνος δὲ ἐν τῷ περὶ Κυρηναϊκῆς πόλεως Ἀλεξανδρειώτην φησί*).	Ath. I pag. 33d: *Ὅτι ὁ Μαρεώτης οἶνος ὁ Ἀλεξανδρεωτικὸς τὴν μὲν προσηγορίαν ἔχει ἀπὸ τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κρήνης Μαρείας.*

1) Vide p. 110 sqq.

10.

Cognouimus igitur pro exilitate fragmentorum [1]) Fauorini amplissime patere huius cum Athenaeo congruentiam.

Quod uero eadem aequalitas argumenti omnibus libris *δειπνοσοφιστῶν* propria est, eo rapit nos concludendi necessitas, ut omnes, quatenus quidem similium rerum indicibus contineantur, ad *παντοδαπὴν ἱστορίαν* reuocandos esse censeamus. Quod indicium credo fore ut confirmetur, si quis diligentiore quam ego institui comparatione in rationem quae Athenaeo cum Diogene intercedit inquisiuerit.

De uariae autem historiae fontibus hoc epimetro id lucrati sumus, ut Aelianum lexico Fauoriniano bis usum esse appareat, et ipso, et per Athenaeum; scilicet lexici uestigia per uaria eius dispersa ad omnigenam historiam tamquam ad fontem primarium, illa XXVIII capita ex Athenaeo sumpta ad eandem quasi ad secundarium recedunt.

C.

Atqui dogmatis loco habent uiri litterati Athenaeum inhaesisse uestigiis Pamphili Alexandrini [2]), qui fere inter annos p. C. n. 50—100, utique post [3]) Apionem floruit, et cum alia scripta grammatica tum *λειμῶνα* confecit [4]), compendium uariorum copiosissimum. Laudatur autem ab illo tricies quinquies. Age uero, ut ante oculos uersetur, quomodo mentio eius auctoris fiat, exempli gratia hos locos Athenaei accuratius consideremus:

XI c. 50 p. 475 c: *ΚΕΛΕΒΗ. τούτου τοῦ ἐκπώματος Ἀνακρέων μνημονεύει*

> *ἄγε δὴ φέρ' ἡμὶν ὦ παῖ*
> *κελέβην, ὅκως ἄμυστιν*
> *προπίω, τὰ μὲν δέκ' ἐγχέας*
> *ὕδατος τὰ πέντε δ' οἴνου*
> *κυάθους.*

1) Marres omnino CXIV collegit; plura colligere potuit; in inscriptionibus librorum constituendis etiam minus profecit. Quamquam materiam utilem suppeditat. 2) Vide Urlichs. in mus. Rhen. n. XVI p. 247.
3) Ath. XIV p. 642 e. 4) Suid. s. u.

ἄδηλον δὲ ποῖον εἶδός ἐστι ποτηρίου· ἢ πᾶν ποτήριον κελέβη καλεῖται ἀπὸ τοῦ χέειν εἰς αὐτὸ τὴν λοιβὴν ἢ τὸ λείβειν· τοῦτο δ' ἐπὶ τοῦ ὑγροῦ συνήθως ἔταττον, ἀφ' οὗ λέγεται καὶ ὁ λέβης. Σειληνὸς δὲ καὶ Κλείταρχος τοὺς Αἰολεῖς φασιν οὕτω καλεῖν τὸ ποτήριον. Πάμφιλος δὲ τὸ ποτήριον θερμοποτίδα καλουμένην τὴν κελέβην εἶναι. Νίκανδρος δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν ταῖς γλώσσαις ποιμενικὸν ἀγγεῖον μελιτηρὸν τὴν κελέβην εἶναι. καὶ γὰρ Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος ἐν πέμπτῳ Θηβαΐδος φησί κτλ.

XI c. 56 p. 478b: ΚΟΤΥΛΟΣ. τὰ μόνωτα ποτήρια κότυλοι, ὧν καὶ Ἀλκαῖος μνημονεύει. Διόδωρος δ' ἐν τῷ πρὸς Λυκόφρονα παρὰ Σικυωνίοις καὶ Ταραντίνοις ἐπιπολάζειν φησὶ τὸ ἔκπωμα, εἶναι δὲ αὐτὸ λουτηρίῳ ἐοικὸς βαθεῖ. ἔχει δὲ καὶ οὖς ἐνιαχῇ. μνημονεύει δὲ αὐτοῦ καὶ Ἴων ὁ Χῖος κότυλον οἴνου πλέων λέγων. Ἕρμιππος δ' ἐν Θεοῖς

τόν τε κότυλον πρῶτον ἤνεγκ' ἐνέχυρον τῶν γειτόνων.

καὶ Πλάτων ἐν Διὶ κακουμένῳ 'τὸν κότυλον φέρει' φησὶ καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις. Εὔβουλος δὲ ἐν Ὀδυσσεῖ ἢ Πανόπταις

ὁ δ' ἱερεὺς εὐηγορῶν
ἐν μέσοις αὐτοῖσιν ἑστὼς τὴν καλὴν σκευὴν ἔχων
οἶνον ἐξέσπενδε κοτύλῳ.

Πάμφιλος δὲ ποτηρίου φησὶν εἶναι γένος, ἴδιον δ' εἶναι Διονύσου. Πολέμων δ' ἐν τῷ περὶ τοῦ Δίου κῳδίου φησί κτλ. Ceterorum locorum in quibus ad Pamphilum prouocatur condicio non diuersa est. Iam ad indagandum uerum auctorem talium commentationum non singula quibus quaeque continetur scriptorum testimonia anxie rimanda sunt, sed hoc opus est quaerere, quis primus totas consarcinauerit. Neutiquam is erat Athenaeus ipse. Ergo cogitant de Pamphilo, quippe qui et λειμῶνα scripserit, librum sermonum conuiualium simillimum, et saepe in his commemoretur, et ceteris qui ibi nominantur auctoribus ad tempora Athenaei propius accesserit. Et quo minus opus quod is περὶ γλωσσῶν καὶ ὀνομάτων composuit ad deriuandas istas similium rerum enumerationes Athenaeo proprias applicari debet, eo confidentius ipse ille λειμὼν praecipuus

fons putatur. Enimuero, ut res ita se habuerit, qui potuit fieri — id quod uel ex locis appositis elucet —, ut Pamphilus non initio uniuscuiusque commentationis solidae atque continuae, sed in mediis indicibus tamquam singularum rerum auctor et perinde ac ceteri scriptores memoretur? Quocirca ex eo quod is identidem apud Athenaeum affertur nihil aliud efficitur, nisi ut hic ducem quendam primarium Pamphili aetate posteriorem secutus sit. En Fauorinus, ut scriptor interpositus inter tempora Pamphili et Athenaei.

'At ne uerbo quidem', forsan inquies, 'nomen eius in libris δειπνοσοφιστῶν significatur'. Immo uide ne id ipsum a me stet. Nam Athenaeus si consilium habuisset bona fide fontes suos aperire, Fauorini thesauros non laudare non potuit. Nunc uero de iis omnino reticens indicauit sibi esse, cur taceret.

Atque si conceduntur quae de Athenaeo adhuc disputata sunt, ualet illud, quod antea [1]) conieci, Fauorinum in omnigena historia per Pamphilum cum doctis studiis Alexandrinorum cohaesisse.

XVII. De Fauorino Diogenis Laertii auctore.

Ubicumque cursus orationis Diogenis insertis aequalibus quibusdam indicibus consistit, de omnigena historia fonte cogitandum est.

Ac primum quidem inuenta philosophorum ei debentur. Nam quia in singulis uitis, cum compluria memorantur, intima uicinitate coniuncta exstare solent et permulta hic illic conglutinata sunt et omnia uno eodemque uinculo, scilicet uoce *πρῶτος*, continentur, omnia ex articulo *πρῶτος* fluxerunt lexici Fauorini, ad cuius studium primas origines indagandi mirabiliter conueniunt. Quid quod ipsa passim ad omnigenam historiam diserte reuocantur, et Diogenem tum cum inuenta litteris consignabat illam ante oculos habuisse saepius apparet, uelut libri IX paragraphos 51—54 scribentem, si quidem in § 50 haec dicit: *ἐκαλεῖτό τε Σοφία, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν π. ἱ.*

1) Pag. 105.

καὶ πρῶτος ἔφη κτλ. Secuntur inuenta Protagorae. Frustulum igitur se Fauorino debere apertis uerbis confitetur; locum qui sequitur luculentissimum eidem tribuere noluit.

Dein confirmatur id quod Maass demonstrasse sibi uidetur, cognominum indices Diogenianos Fauorini esse. De quibus in o. h. scriptum fuisse etiam ex u. h. XII, 35 didicimus (cf. p. 77). Vox autem πρῶτος, qua quidem Fauorinum auctorem argui modo diximus, nonnusquam etiam in homonymis occurrit, uelut in IV, 58, V, 85, VIII, 47 (II, 112). Denique quoniam constat lexicon Diogeni praesto fuisse, nonne illi catalogi proxime ad indolem talis libri accedunt? Hos autem communem locum, fortasse s. u. ὁμώνυμοι, illic occupasse nescio an inde colligendum sit, quod de definiendo Periandrorum, Miltiadarum, Sibyllarum, Bacidum, liberorum Niobae numero Aelianus ex o. h. pendens libri XII capitibus 35 et 36 continuis exponit.

Libri III paragraphi 26—35 ita cohaerent, ut sint de inuidia qua comici et philosophi Platonem carpserint. Sumptae sunt ex quadam omnigenae historiae parte, quam uocabulo χλεύη siue ἔχθρα inscribere mihi liceat. Quam originem clamant cum aequalitas loci tum quae § 34 tractatur Xenophontis in Platonem maleuolentia, de qua uide p. 114 sq., Fauorinique nomen et ante (§§ 24 et 25) et post eum (§ 37) appositum. Gemella lemmata exscripserunt Diogenes l. l. et Athenaeus XI cc. 112—120; hic quae sub uoce ζηλοτυπία de Platonis in alios inuidia exstabant, quae sub uoce χλεύη siue ἔχθρα de aliorum in Platonem inuidia ille.

Raro autem continentes partes Diogenes ex Fauorini miscellaneis deprompsit. Immo in multa frustula ea discerpsit et inuicem inspexit magnamque operam in euoluendis iis atque perscrutandis posuit. Nam inuenta philosophorum ex uoce πρῶτος sumpta admodum uarie per omnes libros digessit et ex copiosissimo lemmate uoce παιὰν notato (cf. Ath. XV c. 51) solum Aristotelis hymnum transcribere satis habuit (V, 7); easdemque nonnumquam res uel ad diuersos locos singulorum Fauorini compendiorum (V, 76) uel ad coniunctam omnigenae

historiae commentariorumque memoriam rettulit (II, 38 et 39 de Polycrate, III, 19 et 20, VIII, 12), aut de diuersis rebus utrumque opus iisdem locis laudauit (IX, 23).

Quae cum ita sint, Diogenes in compilando tantum abest ut fontes suos perinde atque Athenaeus continuo exhauserit, ut multis undique fragmentis conexis fallacem speciem doctrinae sedulitatisque praebeat. Unde efficiuntur maximae illae difficultates quibus unusquisque in auctores eius inquirens detinetur. Ne Maassio quidem contigit ut de Fauorino suo praecipuo Diogenis fonte omnibus persuaderet. Verum tamen summa eorum quae comprobare studet confirmatur; reicienda sunt quae a Willamowitzio ei opponuntur:

Proficiscendum est a conspicua illa testimoniorum copia, qua apud Diogenem etiam leuissimae quaeque historiolae fulciuntur. Ac non tantum accumulantur fontium indicia, sed diuersis passim scriptoribus laudatis auctoritas uniuscuiusque testimonii definitur, quaestionumque de quibus inter doctos non constabat soluuntur difficultates. Quae scribendi uel potius disserendi ratio adeo singularis est, ut unum eundemque auctorem clamet. Is erat Fauorinus.

Primum enim scimus hunc et ipsum in coaceruandis scriptorum indiciis sibi placuisse: Di. La. V, 41 de Theophrasto: *Φαβωρῖνος δέ φησι γηράσαντα αὐτὸν ἐν φορείῳ περιφέρεσθαι· καὶ τοῦτο λέγειν Ἕρμιππον παρατιθέμενον ἱστορεῖν Ἀρκεσίλαον τὸν Πιταναῖον ἐν οἷς ἔφασκε πρὸς Λακύδην τὸν Κυρηναῖον.* Apud Aelianum XII, 36 de numero liberorum Niobae nominantur Homerus, Lasus, Hesiodus, Alcman, Mimnermus, Pindarus; in Protagorae inuentis, quae modo lexico Fauoriniano addiximus, Platonis *Θεαίτητος* et *Εὐθύδημος*, Timon, Artemidorus dialecticus *ἐν τῷ πρὸς Χρύσιππον*, Aristoteles *ἐν τῷ περὶ παιδείας*, Epicurus, Alcidamas; apud Diogenem III §§ 26—35 (o. h. s. u. *χλεύη* siue *ἔχθρα*) Theopompus *ἐν Ἡδυχάρει*, Anaxandrides *ἐν Θησεῖ*, Timon, Alexis *ἐν Μεροπίδι* et *Ἀγκυλίωνι*, Amphis *ἐν Ἀμφικράτει* et *Δεξιδημίδῃ*, Cratinus *ἐν Ψευδυποβολιμαίῳ*, Alexis *ἐν Ὀλυμπιοδώρῳ* et *Παρασίτῳ*, Anaxilas *ἐν Βοτρυλίωνι καὶ Κίρκῃ καὶ*

Πλουσίαις, Aristippus *ἐν τῷ τετάρτῳ περὶ παλαιᾶς τρυφῆς*, Xenophontis *συμπόσιον*, *Σωκράτους ἀπολογία*, *Κύρου παιδεία*, Platonis *πολιτεία* et *νόμοι*, dialogus quem Antisthenes *Σάθων* inscripsit. Eadem testimoniorum multitudo propria est Athenaei sermonibus conuiualibus, quos ad omnigenam historiam recedere supra statuendum erat, ex aliis praeterea ueterum libris nulli. Aelianus autem congesta illa scriptorum nomina in uariam historiam recipere omnino aspernatus est. — Nunc iam intellegimus, quid sibi uelit Gellius, cum ex multis et remotis lectionibus omnigenam historiam conflatam fuisse dicit.

Dein Fauorinus parata illa testimoniorum quasi congerie suum iudicium saepius adiciebat, atque eo quidem consilio, ut Homericorum instar qui *λυτικοὶ* uocabantur aporias enodaret. Veluti Xenophontis Platonisque mutuam simultatem postquam exemplis ex ipsorum uoluminibus petitis probauit, ut erat utriusque philosophi admirator, ita explicare conatus est, ut 'parilitatem uirtutum inter se consimilium, etiamsi contentionis studium et uoluntas absit, speciem tamen aemulationis creare' (Gell. XIV, 3), illosque *αἰσθομένους τῆς ἰδίας ἑκάτερον ἀρετῆς περὶ πρωτείων διαφέρεσθαι* (Ath. XI c. 112) sumendum esse diceret.

Etiam Diogenes tales aporias a Fauorino solutas exhibet: V, 1, 5: *Ὁ δ' οὖν Ἀριστοτέλης ἐλθὼν εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ τρία πρὸς τοῖς δέκα τῆς σχολῆς ἀφηγησάμενος ἔτη ὑπεξῆλθεν εἰς Χαλκίδα, Εὐρυμέδοντος αὐτὸν τοῦ ἱεροφάντου δίκην ἀσεβείας γραψαμένου, ἢ Δημοφίλου, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν π. ἱ., ἐπειδήπερ τὸν ὕμνον ἐποίησε εἰς τὸν προειρημένον Ἑρμείαν.*

VIII, 1, 47 de Pythagora: *Ἐρατοσθένης δέ φησι, καθὸ καὶ Φαβωρῖνος ἐν τῇ ὀγδόῃ π. ἱ. παρατίθεται* (i. e. Fauorinus auctore Eratosthene), *τοῦτον εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα ἐπὶ τῆς μη' Ὀλυμπιάδος κτλ. . . . τοῦτον ὁ Φαβωρῖνός φησι ὅροις χρήσασθαι διὰ τῆς μαθηματικῆς ὕλης, ἐπὶ πλέον δὲ Σωκράτην καὶ τοὺς ἐκείνῳ πλησιάσαντας, καὶ μετὰ ταῦτ' Ἀριστοτέλην καὶ τοὺς Στωικούς. ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν οὐρανὸν πρῶτον ὀνομάσαι κόσμον καὶ τὴν γῆν*

στρογγύλην· ὡς δὲ Θεόφραστος, Παρμενίδην· ὡς δὲ Ζήνων, Ἡσίοδον.

II, 5, 38 de Socratis accusatoribus: *ἀπηνέγκατο μὲν οὖν τὴν γραφὴν ὁ Μέλητος, εἶπε δὲ τὴν δίκην Πολύευκτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν π. ἱ., συνέγραψε δὲ τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστής, ὥς φησι Ἕρμιππος, ἢ Ἄνυτος ὥς τινες. προητοίμασε δὲ πάντα Λύκων ὁ δημαγωγός.* (39) *Ἀντισθένης δ' ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διαδοχαῖς καὶ Πλάτων ἐν ἀπολογίᾳ τρεῖς αὐτοῦ κατηγορῆσαί φασιν, Ἄνυτον καὶ Λύκωνα καὶ Μέλητον· τὸν μὲν Ἄνυτον ὡς ὑπὲρ τῶν δημιουργῶν καὶ τῶν πολιτικῶν ὀργιζόμενον· τὸν δὲ Λύκωνα ὑπὲρ τῶν ῥητόρων· καὶ τὸν Μέλητον ὑπὲρ τῶν ποιητῶν, οὓς ἅπαντας ὁ Σωκράτης διέσυρε. — Φαβωρῖνος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων μὴ εἶναι ἀληθῆ τὸν λόγον τὸν Πολυκράτους κατὰ Σωκράτους.*

I, 4, 79: *γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Πιττακὸς νομοθέτης, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ καὶ Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις, ὃς καὶ μικρὸς προσηγορεύθη.*

IX, 3, 23 de Parmenide: *καὶ δοκεῖ πρῶτος πεφωρακέναι τὸν αὐτὸν εἶναι Ἕσπερον καὶ Φωσφόρον, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν πέμπτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων· οἱ δὲ Πυθαγόραν. Καλλίμαχος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ ποίημα.* Vide et I, 7, 98 sq. cum paginis meis 89 sq. et 77.

Locos appositos non a Diogene esse compositos sed solidas unius auctoris, Fauorini, commentatiunculas in promptu est. Diogenes igitur nonnumquam descripsit non tantum auctorum quae Fauorinus congesserat testimonia, sed etiam iudicia quae idem congestis testimoniis de aporiis illis tulerat. In quo cardo quaestionum Diogenianarum uersatur. Nunc uero facillime expeditur quod eaedem nonnumquam res modo ad Fauorinum modo ad antiquiores quosdam scriptores reuocantur: III, 37: *Εὐφορίων δὲ καὶ Παναίτιος εἰρήκασι πολλάκις ἐστραμμένην τὴν ἀρχὴν τῆς πολιτείας, ἣν πολιτείαν Ἀριστόξενός φησι πᾶσαν σχεδὸν ἐν τοῖς Πρωταγόρου γεγράφθαι ἀντιλογικοῖς.* III, 57: *ἣν καὶ εὑρίσκεσθαι σχεδὸν ὅλην παρὰ Πρωταγόρᾳ ἐν τοῖς*

ἀντιλογικοῖς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῆς ἱστορίας δευτέρῳ. 'Sufficeret' Wilamowitzio 'hic unus locus ut Fauorinum a perpetuo Diogenis fonte secerneret'. Atqui res nihil habet offensionis, dummodo Diogenem statuamus modo Fauorinum ipsum modo auctores ab eo laudatos antestatum esse. Dein quod utraque historia miscella Fauorini in eodem saepe argumento uersabatur, nonne gemelli eiusmodi loci ad communem lexici et commentariorum memoriam referri possunt?

Saepius ea quae disertis uerbis Fauorino uindicantur eam speciem prae se ferunt, ut breuia additamenta esse uideantur parentheseon instar uitis Diogenis carptim inserta. Qua re Wilamowitz ad refutandam Maassii sententiam utitur, fraude compilatoris deceptus. Nam multo amplius patent talibus locis Fauoriniana. Diogenem compilatorem ad singula quae profert e 'grandibus' uoluminibus Fauorini conquisiuisse quae eis Fauorino laudato opponeret aut adiungeret parum est credibile. Immo uero non tantum ea quae speciem additamentorum habent ipsa, sed etiam ea in quae addita sunt Fauorino debentur.

Veluti quod in VI, 25 est Diogenis Cynici in Platonem acerbe dictum his uerbis excipitur: *Φαβωρῖνος δέ φησι ἐν π. ἱ. Ἀρίστιππον εἰπεῖν τοῦτο.* Quae sic uidentur interpretanda esse: transcripsit Diogenes ex o. h. alicuius auctoris de Diogenis dicterio testimonium; simul quod Fauorinus ibidem de genuina origine eius iudicauerat.

IV, 7, 54 de Bione: *ἀπορίᾳ δὲ καὶ τῶν νοσοκομούντων δεινῶς διετίθετο, ἕως Ἀντίγονος αὐτῷ δύο θεράποντας ἀπέστειλε. καὶ ἠκολούθει γε αὐτῷ ἐν φορείῳ, καθά φησι Φαβ. ἐν π. ἱ.* Iam qua tandem causa Diogenem ut hoc leuissimum de lectica indicium ex omnigena historia adiceret commotum esse putabimus, nisi totum locum quem adscripsi ibi inuenit?

IX, 29 de Zenone Eleata: *οὗτος καὶ τὸν Ἀχιλλέα πρῶτος λόγον ἠρώτησεν. Φαβωρῖνος δέ φησι Παρμενίδην καὶ ἄλλους συχνούς,* i. e. inuentores *τοῦ Ἀχιλλέως λόγου* in o. h. cum alios tum Zenonem haberi exposuit; ipse uero ibidem controuersias doctorum ita disceptauit, ut Parmenidi illud inuentum addiceret.

Narrat Diogenes III, 19 Platonem a Pollide Lacedaemonio ueniisse Aeginae, quam insulam Platonis patriam fuisse Fauorinus in o. h. docuit (III, 3); in media autem paragrapho 19 de Platone haec interposita sunt: *ἦν δ' αὐτὸς ὁ θεὶς τὸν νόμον, καθά φησι Φαβ. ἐν π. ἱ.* Iam uero recordemur uariae historiae l. XIII capita 23—25, ubi enumerantur qui ex rebus secundis fructum utilitatis non perceperint, ad omnigenae historiae partem uoce *παλίγκοτος* notatam supra nobis reuocanda fuisse. Indidem uidetur deriuata esse illa narratio Diogenis, qui uerbis *ἦν δ' αὐτὸς ὁ θεὶς τὸν νόμον* argumentum in quo lemma *παλίγκοτος* uersabatur significare satis habuit, reliqua quae indidem mutuatus est Fauorino noluit tribuere.

Agitur libri III paragraphis 48—62 perpetuis de dialogo, atque ita quidem, ut initio in uniuersum de ui ac notione et de generibus eius, dein de dialogorum Platonis partitionibus et numero quaeratur. Qui hanc commentationem composuit post Thrasylum uixit, qui in § 56 nominatur; dein erat philosophus in scriptis Platonicis summopere uersatus; porro gaudebat quadam aequalitate argumenti diiudicandisque aporiis (§ 61 sq.) et dialogos genuinos a spuriis secreuit (62). Haec omnia conueniunt ad Fauorini omnigenam historiam, quae in media dissertatione (§ 57) laudatur: *εἰσὶ τοίνυν, φησὶν* (sc. *Θρασύλος*), *οἱ πάντες αὐτῷ γνήσιοι διάλογοι ἓξ καὶ πεντήκοντα, τῆς μὲν πολιτείας εἰς δέκα διαιρουμένης — ἣν καὶ εὑρίσκεσθαι σχεδὸν ὅλην παρὰ Πρωταγόρᾳ ἐν τοῖς ἀντιλογικοῖς φησι Φαβωρῖνος ἐν π. ἱ. δευτέρῳ — τῶν δὲ νόμων εἰς δυοκαίδεκα.* Paucula igitur Diogenes Fauorino adscripsit; largam de dialogis commentationem se *ἐκ τοῦ δ' στοιχείου* lexici illius furatum esse dissimulabat.

Quoniam apparuit in uitis eius permulta inesse Fauoriniana quae Fauorino apertis uerbis non uindicantur, quatenus ea pertineant quaerendum est. Cognoscuntur singulari illa ratione qua auctores nominantur. Ex Fauorino igitur Diogenes Laertius pendet ubicumque tale quid dicit quale in VI, 26 de Diogene Cynico: *πατῶν αὐτοῦ* (sc. *Πλάτωνος*) *ποτε τὰ στρώματα κεκληκότος φίλους παρὰ Διονυσίου, ἔφη 'πατῶ τὴν*

Πλάτωνος κενοσπουδίαν'. πρὸς ὃν ὁ Πλάτων 'ὅσον, ὦ Διόγενες, τοῦ τύφου διαφαίνεις, δοκῶν μὴ τετυφῶσθαι'. οἱ δέ φασι τὸν Διογένην εἰπεῖν 'πατῶ τὸν Πλάτωνος τῦφον'· τὸν δὲ φάναι 'ἑτέρῳ γε τύφῳ, Διόγενες'. Σωτίων δ' ἐν τῷ τετάρτῳ φησὶ τοῦτο πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν τὸν Πλάτωνα τὸν κύνα; uel quale in VIII, 51: *Ἐμπεδοκλῆς, ὥς φησιν Ἱππόβοτος, Μέτωνος ἦν υἱὸς τοῦ Ἐμπεδοκλέους, Ἀκραγαντῖνος. τὸ δ' αὐτὸ καὶ Τίμαιος ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ τῶν ἱστοριῶν, ἐπίσημον ἄνδρα γεγονέναι τὸν Ἐμπεδοκλέα τὸν πάππον τοῦ ποιητοῦ. ἀλλὰ καὶ Ἕρμιππος τὰ αὐτὰ τούτῳ φησίν. ὁμοίως καὶ Ἡρακλείδης ἐν τῷ περὶ νόσων, ὅτι λαμπρᾶς ἦν οἰκίας ἱπποτροφηκότος τοῦ πάππου. λέγει δὲ καὶ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς Ὀλυμπιονίκαις ....* 53: *Σάτυρος δ' ἐν τοῖς βίοις φησὶν ὅτι Ἐμπεδοκλῆς υἱὸς μὲν ἦν Ἐξαινέτου, κατέλιπε δὲ καὶ αὐτὸς υἱὸν Ἐξαίνετον· ἐπί τε τῆς αὐτῆς Ὀλυμπιάδος τὸν μὲν ἵππῳ κέλητι νενικέναι, τὸν δ' υἱὸν αὐτοῦ πάλῃ, ἤ, ὡς Ἡρακλείδης ἐν τῇ ἐπιδρομῇ, δρόμῳ .... Τηλαύγης δ' ὁ Πυθαγόρου παῖς ἐν τῇ πρὸς Φιλόλαον ἐπιστολῇ φησι τὸν Ἐμπεδοκλέα Ἀρχινόμου εἶναι υἱόν.* 54: *ὅτι δ' ἦν Ἀκραγαντῖνος ἐκ Σικελίας, αὐτὸς ἐναρχόμενος τῶν καθαρμῶν φησιν.*

Neque uero Diogenes, quamquam Fauorinum ex memoria hominum exstinguere studebat, facere potuit, quin suam eius notitiam iactaret; in § 53 enim gloriabundus haec addit: *ἐγὼ δ' εὗρον ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Φαβωρίνου ὅτι καὶ βοῦν ἔθυσε τοῖς θεωροῖς ὁ Ἐμπεδοκλῆς ἐκ μέλιτος καὶ ἀλφίτων καὶ ἀδελφὸν ἔσχε Καλλικρατίδην.* Quae igitur proxime adscripta est de patre Empedoclis aporia e commentariis sumpta est Fauorini, qui adhibita historiola de boue Olympiae dispertito Satyri quidem de Exaeneto patre indicium probauit. Iam uero si excipimus pauca illa quae Diocli debentur [1]) philosophorumque placita, testamenta, epistulas et Diogenis ipsius *πάμμετρα*, quod eaedem testimoniorum quasi strues per omnes libros deprehenduntur, omnes ad Fauorinum reuocandi sunt.

1) Vide Maass. p. 8 sqq.

Accedunt alia. Fauorinum apophthegmatum uenatorem fuisse constat; ad apophthegmata magna pars operis Laertii pertinet. Et quod singulae uitae, si summam spectas, non tam perpetuis factorum fatorumque continuationibus quam breuioribus adnotamentis uaga quadam libidine constructis uidentur contineri, nonne firmatur illud quod diximus, exhaustis multis inuicem florilegiorum Fauorini lemmatis hanc illam inconstantiam argumenti ortam esse? Pluribus uerbis hanc sententiam defendendi spatium non datur; uiam tamen praemonstrasse mihi uideor. Nunc autem elucet Aeliani cum Diogene consensum, quem cunctans antea [1]) ad Fauorini memoriam reuocaui, ad probandum hunc auctorem uariae historiae omni dubitatione remota ualere.

XVIII. De Aeliani historiae animalium fontibus.

A.

De historiae animalium fontibus quidquid docti inde a Gesnero usque ad nostram aetatem protulerunt falsum est. Neque enim Aelianus eum librum conscribens usus est Athenaeo neque Oppiano neque uero Nicandro. Sane si quis horum cum illo affinitates saepe manifestissimas obiter intuetur, ualde procliue est periculum ne in errores incidat. Sed in ista libidine impudentissima, qua alius compilator alium cum ad uerbum describeret ex memoria hominum remouere studebat, uerae librorum necessitudines perspici nequeunt, nisi uia et ratione disquiratur, utrum alteri alteris prorsus conueniant an hic illic uberiores sint. Etiam dispositionis utrorumque ratio habenda est.

B.

1. Quod si in comparando tenemus, primum quidem ex Athenaeo historiam animalium non pendere cognoscimus, quamquam ei his locis respondet:

hist. anim. XV, 23	Athen. VII c. 18 p. 282e — 283f.
h. a. XV, 27	Athen. IX c. 39 p. 387f — 388b.
h. a. III, 16	Athen. IX cc. 41 et 42 p. 389bc.

1) Pag. 57 sq.

h. a. III, 42	Athen. IX c. 40 p. 388 b—d.
h. a. III. 35	Athen. IX c. 43 p. 390 a.
h. a. X, 35	Athen. IX p. 390 c.
h. a. XV, 28	Athen. IX c. 45 p. 391 a—d.
h. a. XV, 29	Athen. IX p. 393 e.
h. a. XVII, 24 (cf. et u. h. I, 14)	Athen. IX c. 49 p. 393 c—f.
h. a. IV, 2 (cf. et u. h. I, 15)	Athen. IX c. 50 p. 394 e — 395 a.
h. a. XVI, 23	Athen. XII c. 19 p. 520 c d.

Iam si apparuit historiam animalium fontium quadam communitate non modo cum uaria historia[1]), sed etiam cum Athenaeo coniunctam esse, quoniam et Athenaeum et Aelianum uaria scribentem lexico Fauorini, atque id etiam in lemmatis de bestiis componendis usos esse scimus; librum de natura animalium et ipsum ad omnigenam historiam partim referendum esse sequitur. Accedit, quod Helices oppidi demersio, quam Fauorinus apud Stobaeum flor. CV, 62 deplorat et quam simul cum morte Pollidis Lacedaemonii in commentariis enarrauit (cf. Di. La. III, 20), memoratur etiam in hist. an. XI, 19, ubi et Lacedaemonii cum Helice urbe occidisse dicuntur.

Philosophi Platonici uestigium reperitur in h. a. XV c. 29, ubi locutio *οὐδὲ ἴκταρ βάλλειν* ita usurpata est, ut significet 'ad similitudinem alicuius rei prope non accedere'. Quae praeterea apud solum Platonem in republ. IX p. 575 C occurrit.

2.

Audio ex libello quem C. G. Kuehn 'de uia et ratione qua Claudius Aelianus in historia animalium conscribenda usus est' Lipsiae 1777 emisit I. G. Schneiderum in periculi critici p. 128 Perizonio et Valesio ceterisque qui de uita Aeliani exposuissent crimini dedisse, quod non uidissent 'certam aetatis Aelianeae notam inde peti posse, immo debere, quod sophista ille multa ex Oppiani poetae libris in suam de animalibus historiam transtulerit'. Doleo quod periculi critici aditus mihi non est. Verum tamen noui hanc sententiam, quam primus tulit Gesner, propagauit Iacobs, ex Aeliani hist. an. Lips. 1784

1) Cf. p. 28 sq.

et halieuticis Oppiani Lips. 1813 a Schneidero editis. Consentiunt autem inter se

Aeliani	Oppiani	Aeliani	Oppiani
h. a. II, 17	hal. I, 212—243.	h. a. II, 41	hal. III, 432—442.
h. a. IX, 52	hal. I, 427—437.	h. a. I, 3	hal. III, 520—525.
h. a. IX, 53	hal. I, 438—445.	h. a. I, 46	hal. III, 610—619;
h. a. I, 13	hal. I, 512.		cf. IV, 242—263.
h. a. XV, 19	hal. I, 522—532.	h. a. I, 2	hal. IV, 40—110.
h. a. I, 16	hal. I, 747—755.	h. a. I, 12.	hal. IV, 127—146.
h. a. II, 22	hal. I, 777—799.	h. a. I, 14	hal. IV, 172—210.
h. a. I, 30	hal. II, 128—140.	h. a. I, 15	hal. IV, 216—241.
h. a. I, 19	hal. II, 141—166.	h. a. I, 23	hal. IV, 308—373 }
h. a. I, 32	hal. II, 253—418.	h. a. I, 23	hal. IV, 610 sq. }
h. a. I, 33	hal. III, 117—120.	h. a. XV, 1	hal. IV, 419—436.
h. a. I, 40	hal. III, 132—137.	h. a. XIV, 8	hal. IV, 450—467.
h. a. I, 5	hal. III, 144 sqq.	h. a. VIII, 18	hal. IV, 468—503.
h. a. I, 4	hal. III, 323—326 }	h. a. II, 13	hal. V, 62—108.
h. a. I, 4	hal. IV, 40—64 }	h. a. II, 8	hal. V, 425—447.
h. a. I, 26	hal. III, 340.	h. a. I, 18	hal. V, 519—588.

Mordet subinde oculos, ut ita dicam, ea conuenientia; quam diu cum animo luctatus sum utrum ad Aelianum Oppiani compilatorem an ad communem quendam fontem reuocarem. Tandem haec sententia in me uicit. Namque ego, cum omnino laborem poematum uerba in sermonem pedestrem transferendi Aeliano, ut exscriptori inerti, tribuere dubitarem, uidi eum etiam in historiolis Oppiano cetera plane consentaneis plura quam hunc poetam et identidem de iisdem piscibus diuersa exhibere. Continuatio quoque utrorumque quos contuli locorum licet saepius eadem sit, tamen in uniuersum discrepat. Quas ob causas, cum Schneider ambigue fluctuans alias congruentias ad Oppianum, alias ad parem originem referat, nos ad tertium quendam auctorem, quem uterque secutus sit, deducimur. Uterque igitur euadit compilator, nisi quod eundem librum de piscatu compositum [1]) Aelianus uertit in orationem sophisticam, in poeticam Oppianus.

3.

Nicandrum Colophonium cur ab Aeliano consultatum esse negem, operae non pretium est causis ex theriacis uel ex alexipharmacis allatis disserere. Nam quid cogitari potest

1) De scriptoribus rei piscariae cf. Athen. I p. 13 b. Ael. h. a. epilog. et XIII, 21, XV, 4, 9, 19.

ineptius, quam ut Aelianus poetam tantum non quattuor saeculis ab ipsius aetate remotum adierit? Etiam ratio qua ille in historia animalium laudatur ei commento obstat; de qua satis habeo te ad hos locos remisisse: h. a. V, 42, IX, 20, X, 9, 49, XVI, 28.


Ceteroqui radices historiae animalium in tenebris relincuntur. Meam autem de iis opinionem supra in p. 86 indicaui.

XIX.

Pseudoplutarchi apophthegmata regum et ducum nescio an ad Fauorinum, fortasse ad eius *γνωμολογικά*, quae apud Suidam commemorantur, reuocanda esse statuendum sit. Cf. p. 27 sq.

XX.

Restat ut librorum affinitates quae proxima dissertatione tractatae sunt sub uno adspectu ponam:



INDEX.

DE POLYPHEMO ET GALATEA

COMMENTATIONEM PHILOLOGICAM

SCRIPSIT

GEORGIUS RICARDUS HOLLAND.

PRAEMONENDA.

Philologicam inscripsimus hanc commentationem, quia lepidae fabellae de Polyphemo et Galatea in poesi ueterum reliquiis, quas nondum subtili diligentia criticoque iudicio explicatas, emendatas, comparatas, suppletas uidemus, hanc curam quantulamcumque admouere conabimur. Atque illo titulo paulum seiungere noluimus archaeologicam quae dicitur fabulae tractationem non prorsus secludentes quidem hanc ueterum ingenii partem artisque poeticae recuperandae fontem inexhaustum, tamen uiribus nos inferiores esse intellegentes, quam qui post Ottonis Iahn in symbol. archaeol. p. 411 sqq. et Wolfgangi Helbig in symbol. philolog. Bonn. p. 359 sqq. incohatam et multis locis libri 'quaestiones de pictur. par. Camp.' inscripti repetitam inuestigationem quaestioni promouendae prodessemus. Qui uiri quamquam non modo artificum, sed etiam poetarum monumenta plena fere congessere (cf. Iahnium l. l. p. 411 sqq. c. adnott.; Helb. symb. p. 361 sq.), quibus pauca tantum addemus, tamen praecipuam litterarum interpretationi potissimum nauare operam non eorum erat consilium, ita ut singulari commentatione hanc partem tractare non superuacaneum uideretur[1]). Persuasimus autem nobis non posse uerum fructum percipi, nisi singulas huius argumenti personas

1) Parum enim diligenter notissima recoxit Glaeserus progr. Siegburg. a. 1879 'de Polyphemi mytho' inscripto nimis properanti pede progrediens, et qui nuperrime innotuit Bohemus Fr. Krsek sua lingua de Polyphemo et Galatea commentatus in annal. philol. et paedag. qui inscribuntur 'Listy filologické a paedagogické' X p. 170—183 Iahnii et Helbigii uestigia uidetur pressisse, quantum intelleximus e narratione argumenti Hirschfelderi script. hebdomad. phil. 1883 nr. 36 p. 1133—1134 inserta.

inde ab initiis, ubi primum earum iniecta sit mentio, usque ad ultima tempora ueterum poesis persequamur, ut conexu illustrato plus luminis ad singula poemata redundet, quam separata unius generis tractatio argumento adhibere solet. Scimus uero haud pauca ad comparationem singulorum poetarum spectantia in uirorum doctorum commentariis ad illorum poemata compositis latere, quibus multa nos debere libere profitemur.

Priusquam autem ad nostram rem adgrediamur, pauca in uniuersum de Cyclopibus uidentur disputanda. De Cyclopum natura atque origine apertum intercedit discrimen inter antiquissimos mythologiae Graecae auctores Hesiodum et Homerum. Ille enim theog. uu. 139 sqq. refert Gaeam ex Urano peperisse Cyclopes tres Bronten, Steropen, Argen, qui Ioui tonitru et fulmina fabricati sint, hic longe diuersos inducit imprimis Odyss. IX, 106 sqq. feros pastores numero non definito neque origine communi indicata. Tertium genus Cyclopum comparet apud Ps.-Aristotelem [1]) mir. aud. 121, ubi miri aliquid narrat de Thracum natione hoc nomine significata, de qua accuratius edocemur a posterioris aetatis scriptoribus, imprimis a Strab. VIII p. 372 fin.; Paus. II, 16, 5. VII, 25, 5; Apoll. biblioth. II, 2, 1, 3; schol. Eur. Or. 965; Eustath. p. 1622, 54 sqq., qui omnes fere consentiunt eo quod narrant Cyclopes ingentibus muris circumdedisse urbes, praecipue Tiryntha et Mycenas, dissentiunt eo quod alii aliunde oriundos dicunt fabulosos artifices. Vario modo has diuersitates inter se conciliare studuerunt uiri docti. Atque Klausenius quidem (Ulixis fata ex Hesiodo explicata, Bonnae 1834 p. 2 sqq.) Homeri Cyclopes quasi deductos esse ex daemonibus Hesiodeis statuit, alii, ut Prellerus mythol. Gr. I³, 511 sqq., tria haec genera nihil aliud esse arbitrantur quam Neptuniarum uirium diuersas significationes, rursus alii Homericos et Hesiodeos Cyclopes 'ex tertio illo genere diuersa ratione originem traxisse' iudicant, cuius sententiae princeps est Schoemannus, qui hanc quaestionem

1) Vide etiam Pherecydem ap. schol. Apoll. Rhod. IV, 1091 (Muell. frgm. hist. Gr. I fr. 26) cf. Schoemann. p. 327 adn. 7, quem plerumque sequimur.

diligentissime tractauit in 'schediasmate de Cyclopibus' ind. lect. Gryphiswald. aestiu. 1859 (= op. acad. IV p. 325 sqq.). Utut hoc est certo iam pridem poetae in depingendis his monstris non eam differentiam obseruauerunt, quam historica ratio postulasset, sed utriusque imaginis lineamenta et colores quasi in una tabula commiscuerunt, cuius rei luculentissimum exemplum uidetur esse unus ille oculus in fronte collocatus, quem Cyclopibus innatum fuisse testatur Hesiodus his (theog. 143)

μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ.

Quem cum mythologi fulminis ignem significare probabiliter statuant, ab Hesiodea descriptione translatus uidetur ad Homericam, ubi Polyphemum uno tantum lumine praeditum esse multis ex locis elucet (Od. IX, 382 sq. 390. 394 etc.) [1]. Multum autem ut uidetur ad confundendas utriusque poetae hac in re proprietates ualuit communis sedes duorum generum, quae postea fabulosae huic nationi adsignata est. Nam ab Homero ad terram incognitam relegantur, Hyperiam uel prope Hyperiam sitam, ut longinquitate itineris denotetur morum feritas cf. Od. VI, 4 sqq. de Phaeacibus

οἳ πρὶν μέν ποτ' ἔναιον ἐν εὐρυχόρῳ Ὑπερείῃ,
ἀγχοῦ Κυκλώπων ἀνδρῶν ὑπερηνορεόντων,
οἵ σφεας σινέσκοντο, βίηφι δὲ φέρτεροι ἦσαν,

recentiores omnes fere incolas eos fuisse Siciliae tradunt, Aetnaearum regionum cf. schol. Od. IX, 106. Aetnae autem in igniuomo camino cum ueteres posuerint Vulcani ministrorumque officinam, conciliatas esse inter se diuersas cogitationes facile intellectu (cf. Schoemann. l. l. p. 332). Nulli autem ex miraculosis priscarum fabularum heroibus magis in litterarum materiam abiere, nulli poetarum studio sic sunt arrepti, nulli tam communi omnium poesis aetatum certamine exculti quam Cyclopes, cuius rei causa inde repetenda, quod hi potissimum largissimam iocandi copiam offerebant, atque descriptio Homerica posterioribus poesis generibus, maxime comoediae, plurimas ansas dabat, quae eorum indoli plane responderent. Ne-

1) Ut res plane nota diserte non significatur; quare de ceteris Cyclopibus idem colligere licebit cum interpretibus cf. schol. u. 106.

que praetermittendum, quod solent Cyclopes cum Ulixis fabulis coniungi, quem non minus poesis Graecae quam Troiani belli heroem tuo iure dixeris. Unum uero potissimum poetae sibi e Cyclopum numero elegerunt, in quo totius gentis mores ac naturam quasi uno conspectu repraesentarent, quem non solum in antiquarum fabularum orbe retractarent atque recolerent, sed quem nouis fabulis implicare atque in uariarum personarum consuetudinem inferre perquam adamarent, quo crebrius tritam imaginem nouis coloribus interpolare liceret. Cyclops enim *κατ' ἐξοχήν* per totam Graecarum et Romanarum litterarum memoriam est Polyphemus ipso nomine [1]) ad peruulgatam famam spectante, filius Neptuni et Thoosae nymphae [2]), id quod testimoniorum multitudine illustrare non difficile est (Benselero s. u. *Κύκλωψ* auctore) cf. Od. XXIII, 312; inscriptiones fabularum Epicharmi et Euripidis, carminum Philoxeni, Timothei, Theocriti; Eur. Troad. 437; Demad. in Demetr. eloc. 284; Plut. quaest. symp. I, 5. Cat. 9. Galb. 1; Lucian. dial. mar. I c. 5, II. catapl. 14; Paus. X, 22, 7; Polyaen. I, 10; Athen. I p. 19 f.; Quint. Smyrn. VIII, 126; schol. Theocr. XI, 1; Nic. Eug. VI, 503. 517. 527. 545; Horat. sat. I, 5, 63. ep. II, 2, 125; Val. Fl. I, 136 al. Primus autem induxit Polyphemum Homerus, cuius uestigia secuti huic potissimum Cyclopum generi excolendo posteri operam nauarunt, dum nomina Hesiodea recedunt, quae confusa sunt recentioris aeui socordia, uelut Nonnus confudit Dionys. XIV, 52 sqq., qui Polyphemum inter Bronten, Steropen, Argen, alios enumerat. Nos Polyphemi personam iam accuratius persequemur inde ab Homeri aetate historico ordine usi usque ad id tempus, quo libere tractare argumenta desinebant uersificatores [3]).

1) De etymologia assentimur Lehrsio (Aristarch.[2] p. 460 not.), qui in altera nominis parte uocem *φήμη* inesse recte cognouit.

2) Cf. Hom. Od. I, 70 sqq.; schol. Od. IX, 106. 311.

3) Similes fabulas in aliarum gentium mythologiis obuias collegit et illustrauit Guil. Grimm comm. acad. Berol. 1857, cui nuper accessit Kr. Nyrop: Sagnet om Odysseus og Polyphem, København 1881.

Caput I.

Polyphemus apud Homerum.

Od. IX, 105—555.

Narrationis filum deducere ut in fabula notissima neque opus est et officio fungitur Hyginus fab. CXXV. Polyphemus est ingenti magnitudine et robore, id quod a poeta et disertis uerbis significatur et rerum et instrumentorum pari immensitate illustratur [1]) cf. uu. 187. 257. 428. 190 sqq.:

καὶ γὰρ θαῦμα τέτυκτο πελώριον, οὐδὲ ἐῴκει
ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
ὑψηλῶν ὀρέων, ὅ τε φαίνεται οἶον ἀπ᾽ ἄλλων.

214. 269. 296. 372. 407. 446; u. etiam Od. I, 70. X, 200. XII, 210. Lapidis immensi mole portam obstruit 240—243. 304 sq. 313 sq. 340. 416; saxa molitur 481 sqq. 495 sqq. 537 sqq.; lignorum fert ingens onus 233 sq.; clauam permagnam gerit 319 sqq.:

Κύκλωπος γὰρ ἔκειτο μέγα ῥόπαλον παρὰ σηκῷ
χλωρὸν ἐλαΐνεον· τὸ μὲν ἔκταμεν, ὄφρα φοροίη
αὐανθέν· τὸ μὲν ἄμμες ἐΐσκομεν εἰσορόωντες
ὅσσον θ᾽ ἱστὸν νηὸς ἐεικοσόροιο μελαίνης,
φορτίδος εὐρείης, ἥ τ᾽ ἐκπεράᾳ μέγα λαῖτμα.
τόσσον ἔην μῆκος, τόσσον πάχος εἰσοράασθαι

(cf. Lucil. satur. XV fr. I Muell.). Voce utitur late sonanti 167. 257. 395. 399. 401. 403. Vesci et bibere solet supra humanum modum 248 sqq. 292 sq. 353 sq. 360 sq. 371 sqq. Ferae mentis est neque humana aut diuina iura agnoscit, id quod et ex communi omnium Cyclopum descriptione apparet et saepenumero de Neptuni filio repetitur cf. 106 sq.:

Κυκλώπων δ᾽ ἐς γαῖαν ὑπερφιάλων ἀθεμίστων
ἱκόμεθ᾽ etc. cf. VI, 5 sq.

112 sqq: *τοῖσιν δ᾽ οὔτ᾽ ἀγοραὶ βουληφόροι οὔτε θέμιστες,*
ἀλλ᾽ — *θεμιστεύει δὲ ἕκαστος*
παίδων ἠδ᾽ ἀλόχων οὐδ᾽ ἀλλήλων ἀλέγουσιν.

---

1) Cf. schol. Od. IX, 187; Eustath. p. 1621, 50 sqq.; Quintil. inst. or. VIII, 4, 24.

cf. 215. 287. 350 sqq. 368 sqq. 428: *ἀθεμίστια εἰδώς*. 477 sqq. 494. u. etiam Od. II, 19. XX, 19. Ipse uero Polyphemus praecellit ceteris impietate ac scelere; nam recte interpretes — primus Aristarchus cf. Apoll. Soph. lex. Hom. s. u. *ἀθεμίστων*; Lehrs. Arist.[2] p. 182 — concludunt ceteros non omni caruisse deorum religione[1]) ex uersibus 107 sqq.:

Κυκλώπων — οἵ ῥα θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισιν
οὔτε φυτεύουσιν etc.

u. 111: *καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει.*
cf. 410 sqq. 509 sqq. Contra Polyphemus ab omnium consuetudine recedit cf. 188 sqq.:

οἶος ποιμαίνεσκεν ἀπόπροθεν· οὐδὲ μετ' ἄλλους
πωλεῖτ', ἀλλ' ἀπάνευθεν ἐὼν ἀθεμίστια ᾔδη

neque Iouem ueretur cf. 273 sqq.:

νήπιός εἰς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,
ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν ἢ ἀλέασθαι·
οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν
οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτεροί εἰμεν.
οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην
οὔτε σεῦ οὔθ' ἑτάρων, εἰ μὴ θυμός με κελεύοι.

cf. 520 sqq. Neque uidetur coniugem liberosue habere ut ceteri cf. 115. Cyclopes neque serunt neque fabrorum artes nouerunt 108. 125 sqq., cum sua sponte omnia proueniant[2]) 109 sqq.:

ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται,
πυροὶ καὶ κριθαὶ ἠδ' ἄμπελοι, αἵ τε φέρουσιν
οἶνον ἐριστάφυλον, καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει.

Habent igitur triticum, hordeum, uites, quas ipse Polyphemus agnoscit 357 sqq. Diuitiae autem eorum constant in gregibus ouium et caprarum, quorum cultura operati uitam degunt pastoralem; Polyphemus possidet *μῆλα* h. e. oues et capras (Lehrs. Arist.[2] p. 100) 183 sq. 187. 217. 220. 226. 237 sqq. 244 sq. 308 sq. 312. 315. 336 sqq. 341 sq. 405. 418. 425 sqq. 438 sqq.

---

1) Cf. schol. uu. 106. 107. 275. 508 et Eustath.

2) In prouerbium abiit *Κυκλώπιος βίος* cf. Macar. V, 44 et Leutschii adnot.

447 sqq. 461 sqq. 469. 548 sqq., quas omni cura fouet, quas ipse mulget, e quarum lacte ipse sibi caseum parat uu. 246 sqq. coll. cum u. 219. In antro casei furnos premunt; discretae sunt diuersae aetates agnorum et haedorum; uasa ad lac recipiendum necessaria (cf. schol. u. 223) referta 219 sqq.; mares et feminae in stabulis separantur uu. 237 sqq. coll. c. uu. 338 sq. schol. u. 218. Habitant Cyclopes in magnis montibus antra (cf. 113 sq. 400). Polyphemi antrum spatiosum (237. 337), prope mare situm (182), altum, lauris imminentibus (183), cinctum aula alto saxorum muro saepta pinibusque et quercubus ornata (184 sqq.). Solet dominus obstruere antrum ingenti saxo (u. p. 145); interior pars speluncae stercore abundat (329 sq.). Polyphemus lignis aridis in ipso antro ignem incendit cf. 233 sq. (231). 308; nocte per pecudes stratus in uirgulis (427 sq.) dormit (298). Mane pastor immensus greges agit acri sibilo [1] (315 sq.) in pascua (217. 437 sq.) et ad flumina (450), uespere reducit (336. 451 sq. 233).

Iam si totam Polyphemi personam quae quidem ab Homero depingatur respicimus, sic sententiam definimus: Cyclops est brutum monstrum corporis tantum ingenti robore fretum neque in adhibendis uiribus agile, subtiliore sensu atque misericordia uacuum, moderationis in edendo ac bibendo expers. Qua uero astutia Ulixem in antrum reducere cupit, ut xenium accipiat (517 sqq.), ea stolidae mentis edit luculentissimum documentum. Neque tamen plane abest subdola quaedam cauillatio, qua Polyphemus uexat Ithacum quamuis ferocitate parum celata 355 sq.:

δός μοι ἔτι πρόφρων καί μοι τεὸν οὔνομα εἰπὲ
αὐτίκα νῦν, ἵνα τοι δῶ ξείνιον, ᾧ κε σὺ χαίροις,

---

1) Sciendum in explicatione Eustathii p. 1631, 2 sqq.: *ἐνταῦθα δὲ ὥσπερ τὸν φθόγγον, οὕτω καὶ τὸν συριγμὸν ἀγριαίνων τοῦ Κύκλωπος ῥοῖζον αὐτόν φησιν — Ἰστέον δὲ ὅτι κατὰ τὸν ποιητὴν ῥοιζεῖν λέγεται ποιμὴν τουτέστι συρίττειν ἐν τῷ ἐξάγειν ποίμνιον ἢ ὅλως νέμειν 'συριγμόν'* non cantum fistulae, cuius usus a Polyphemo Homerico abhorret ipso Eustathio teste p. 1622, 12, sed stridorem labris dentibusue excitatum (cf. Etym. M. 705, 15 sq. 21 sq.) significare.

neque plane insulsus iocus quamuis sanguinolentus, quo xenium hospiti promittit 369 sq.:

Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισιν,
τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν· τὸ δέ τοι ξεινήιον ἔσται,

unde prouerbium illud *Κύκλωπος δωρεά* (Apost. X, 20a; Luc. catapl. 14) uel *Κυκλώπειον γέρας* (Plut. quaest. symp. VIII, 8, 3) repetendum esse constat: de dono aliquo, quod ei qui accepturus est ne tantillo quidem plus utilitatis affert quam eis qui expertes sunt, nonnumquam maius damnum (cf. Plut. l. l.). Nam, ut Lucianus explicat, *ἄν τε πρῶτον ἄν τε πύματον* (sc. *Οὖτιν κατέδεται ὁ Κύκλωψ*) *οἱ αὐτοὶ ὀδόντες περιμένουσιν.* Quod tamen fit in rudibus hominibus, quos robore nemo aequiperat, ut fauore aliquem prosequantur paterno, ea uirtute ne Cyclopem quidem uidemus carere, quippe qui intentissimam tenerrimamque gregum suorum curam habeat. Consueuit ut uidetur colloqui cum pecudibus suis, ueluti flebili modo misericordiam nisi Cyclops esset moturo arieti quae passus sit exponit 447 sqq. eumque domini iacturam sentire et deflere opinatur 452 sqq. (uide etiam pretiosum scholium u. 456). Per totam autem narrationem ut par est epica dominatur grauitas ac ne mica quidem admixta leuioris uel comicae artis [1]: pallidum pauorem importat bestiae impetus, neque is, qui Troiam ceperat, semper retinet animum cf. 236. 396, quem socios defecisse his ex uersibus apparet: 331 sqq. 376 sq. 381. 492 sqq.

Haec Polyphemi persona per totam sequentem aetatem quasi adumbratio suberat cuiuis picturae, qua eadem figura repraesentaretur. Singula uero lineamenta licet interdum delituerint plane euanuerunt numquam aliis alius aeui poetis alio magis inclinantibus hic detrahentibus illic adicientibus amplificando hic illic minuendo (cf. etiam Glaeser. l. l. p. 4 sq.). Quas quidem singulorum et poetarum et poesis generum proprias rationes ab Homero proficiscentes quantum poterimus illustrare suscipiemus.

---

1) Welckerus de Epicharmo op. I p. 321 iam in Odyssea hilaritatem non ita multum a comoedia distantem agnoscit.

Atque in epico genere Cyclops non tantopere uidetur studia poetarum excitasse quam ceteri, quorum fata a Smyrnaeo uate ex parte tantum celebrata et consummationem quandam et prooemium uidebantur postulare. Certe nullum quod scimus exstat testimonium aut indicium, ex quo colligi liceat etiam post Homerum epica arte hanc fabulam esse tractatam, quae res praeter causam supra commemoratam inde uidetur repetenda esse, quod parum prope accedebat haec narratio ad mythorum Troicorum contextum et quod Cyclops ferocissimus per se ab heroibus seiunctus in carmine grauioris argumenti primas partes agere uix poterat. Nec magis antiquior lyrica ars ad humile argumentum uidetur descendere potuisse [1]. Eo autem uberius haec fabula in poesi dramatica imprimis comica exculta est, in cuius paene consuetudinem abiit. Etenim non solum per omnium aetatum comoedias hoc argumentum in usitatissimis et celeberrimis uersatur, sed etiam dithyrambis et mimis acceptissimam suppeditauit materiam. Quis primus hoc argumentum ad hilarem rationem deflexerit Cyclopisque personam comico habitu induerit, nescimus; neque tamen a uero multum aberrabimus, si Epicharmum Coum hoc fecisse suspicabimur.

Caput II.

De Cyclope Epicharmeo.

Ut hoc statim praemoneamus, si quidem quaerendo inuestigare uolumus consilium et mentem poetae, in nuda quamuis acri interpretatione fragmentorum subsistere uix poterimus, sed aliorum poetarum poemata ad idem argumentum spectantia in comparationem uocare et licebit et necesse erit; maxime

1) Tactam esse saepius cladem Cyclopeam in Ulixis fabulis praecipue erroribus enarrandis facile suspicamur, ueluti fortasse ab Alcmane cf. fr. 28 sqq. 148 Bergk.[4]; v. Sophocl. fr. 419 N. Welcker. de trag. Gr. p. 247; Ribbeck. de trag. Rom. p. 275.

in dramaticis operibus quamuis modeste redintegrandis confugiendum erit ad unicum tractationis dramaticae exemplum, cui hoc in naufragio pepercit saeculorum iniquitas, ad Euripidis fabulam satyricam Cyclopem, si quid luminis e superstitis operis condicione perditis adhibeatur. Ne uero quis grauetur quod cum fabula satyrica uariae aetatis comoedias comparamus, discrepantia, de qua quid sentiamus postea accuratius indicabimus, magis spectabat ad singularum personarum mores describendos quam ad actionis progressum sermonisque in certis rebus paene sollemnem contextum. Quare et cum Homero, in qua re nonnulli praeiere, et cum Euripide, id quod plerumque omissum est, Epicharmi et aliorum frusta conferemus.

Scripsisse autem Epicharmum Cyclopem testantur Herodianus et Athenaeus frustula nonnulla seruantes, quorum rectum qui quidem ex fabulae cursu probabile fiat ordinem constituisse uidentur editores. Atque Athenaeus IX p. 366 b hunc laudat uersum trimetrum e Cyclope fabula haustum (fr. 60 A.)

χορδαί τε ἁδὺ ναὶ μὰ Δία χὦ κωλεός

cf. Eustath. p. 1183, 5; h. e. 'et uiscera dulce quid per Iouem et perna'. Apertum est hoc aliquem dicere, qui praedicet horum ciborum iucunditatem ipse expertus, id quod ex obtestatione concluditur. Iam quid magis consentaneum quam Cyclopem ipsum (cf. Bodium hist. art. poet. Graec. III, 2 p. 73) haec uerba dicere, cuius est quam maxime edere et bibere? Quam ob causam *χορδαί* per 'uiscera' reddere maluimus quam per 'farcimina', ut fecit Grysarius de Dor. com. p. 286, quamquam hanc uocem de cibo aliquo ex intestinis animalium imprimis pecudum apparato usurpari non ignoramus cf. Cratin. fr. 192 K.; Aristoph. Ach. 1119. fr. 687 K.; Pherecrat. fr. 130, 9 K.; Eubul. Lacon. fr. 1, 3 M.; Axion. Chalcid. fr. 2, 4 M. Sed uix cogitandum erit de uictu animalium, quoniam hunc praedicare opus non erat; significantius haec intellegere licebit de Cyclope hominum cenam laudibus tollente; neque uocabuli *χορδή* usus repugnat, si quidem Aristophani (Euripidi?) dicere licuit fr. 461, 1 K.: *ἐγευσάμην χορδῆς ὁ δύστηνος τέκνων.* Similiter apud Homerum uiscera comedit Polyphemus Od. IX, 292 sq. Sed ne quis

inde contra nos repetat argumentum quod Iouem obtestatur qui Iouem nihil curet, opponimus Euripidis uersum 586 coll. c. uu. 320 sqq. et Theocr. id. XI, 29. Ulixis igitur sociorum cruenta dape peracta fingimus nobis Cyclopem haec uerba effundentem; nam uix Epicharmus spectatoribus ipsam uescendi scaenam proposuerat, si quid colligere licet ex Euripidis analogia, apud quem Ulixes uu. 382 sqq. de cena funesta narrat, ipse Polyphemus postea demum ex antro exit uersibus Anacreonteis uoluptatem et satietatem suam prodens his 503 sqq.:

παπαπαῖ, πλέως μὲν οἴνου,
γάνυμαι δὲ δαιτὸς ἥβῃ,
σκάφος ὁλκὰς ὣς γεμισθεὶς
ποτὶ σέλμα γαστρὸς ἄκρας.

Laudat Cyclops cibum etiam apud Euripidem, cum Ulixes ei poculum uini offert uu. 418 sq.:

φίλτατε ξένων,
καλὸν τὸ πῶμα δαιτὶ πρὸς καλῇ δίδως.

Ad hanc ipsam scaenam pertinere alterum fragmentum, quod seruauit Athenaeus XI p. 498 e (Eustath. p. 1775, 20), olim a uiris doctis intellectum est:

φέρ' ἐγχέας εἰς τὸ σκύφος (fr. 61 A.)

h. e. 'age postquam in poculum infudisti', quod Grysar. l. l. p. 287 componit cum uersu Homerico Od. IX, 355:

δός μοι ἔτι πρόφρων καί μοι τεὸν οὔνομα εἰπὲ,

et possunt nonnulli loci Euripideae fabulae paulo maiore iure adhiberi, imprimis, ut omittamus uu. 416 sqq., 510: φέρε μοι, ξεῖνε, φέρ' ἀσκὸν ἔνδος μοι. 556: ἔγχει, πλέων δὲ τὸν σκύφον. 568: φέρ' ἔγχεόν νυν. Videntur Epicharmea rudera esse trimetri iambici, neque inepte quis coniecerit uerbo finito, quod ad participium ἐγχέας requiritur, eandem indicatam fuisse sententiam, quae additur uersu Odysseae, sic fere

φέρ' ἐγχέας εἰς τὸ σκύφος ⟨τοὔνυμα [1]) λέγε⟩.

Nam et apud Homerum l. l. et apud Euripidem u. 548 tum demum, cum uinum praebuit, ab Ulixe nomen quaeritur. Maio-

1) Τοὔνυμα Dorica forma apud Epicharmum fr. 27, 2 A., correcta fr. 100, 3 A.; cf. Ahrentem de dial. Dor. § 17, 5.

rem autem dubitationem mouet tertium fragmentum Herodiano uindice superstes *περ. μον. λεξ.* p. 10, 31 Lehrs. (fr. 62 A.)

ναὶ τὸν Ποτιδᾶν, κοιλότερος ὅλμου πολύ

(cod. *αἰνετόν* corr. Meinek. comic. Gr. II p. 482 cod. *ὀλμοῦ* corr. Blochius) h. e. 'per Neptunum, multo magis cauus mortario'. Recepimus emendationes Meinekii et Blochii cum omnibus fere editoribus ut nobis uidetur certissimas; neque Bodius l. l. p. 74 de precatione ad Neptunum patrem a filio caecato missa illa uerba intellexisset, si emendationem eius uerbi ne cum metro quidem congruentis, quo ad illam suspicionem inductus uidetur, *αἰνετόν*, nouisset. Dubitanter proponemus nostram de horum uerborum sensu coniecturam. Ac dixisse ea Polyphemum ex Neptuni[1]) patris inuocatione probabile; referimus autem ad Euripidis u. 577, ubi Cyclops, postquam ultimum poculum exhausit, dicit *ὡς ἐξένευσα μόγις* significans contentionem, qua ad calicis solum penetrauerit. Quidni fingamus apud Epicharmum eum intermisisse ductum de potione perpetranda propter poculi altitudinem desperantem his uerbis

ναὶ τὸν Ποτιδᾶν, κοιλότερος ὅλμου πολύ

sc. *ὁ κύλιξ ἐστίν*. Ac uidetur ad hanc explicationem quadrare, quod calix comparatur cum mortario, quoniam uocem *ὅλμος* et ipsam significare poculum altum cornus specie scimus ex Athen. XI p. 494 b, qui notionem illustrat Menesthene auctore: *ποτήριον κερατίον τρόπον εἰργασμένον ὕψος ὡς πυγονιαῖον.* Sumpsimus adhuc argumentum fabulae Epicharmeae fuisse Homericum, quamquam testimoniis non probauimus. Neque potest probari; sed cum duo certe fragmenta magna cum probabilitate ad illud argumentum relata sint, inde aliquid fidei uidetur effici. Procul autem habenda quoniam plane in cassum abit cogitatio de Polyphemi amore in Galateam, quae multis ariolationum ambagibus, certo indicio nullo fulciri potest, id quod recte intellexere Grysar. l. l. et post eum Lorenzius 'de Epicharmi Coi uita et script.' p. 135.

1) Talibus potissimum ex obtestationibus uidetur repetendus esse is usus, quem nuperrime explanauit Otto Ribbeck Alazon. p. 87 not. 28.

Iam ut paulo politiorem imaginem si poterimus elaboremus, circumspiciamus, num quid ex tota Epicharmi arte ceterarumque eius comoediarum ratione ad hanc illuminandam possit redundare. Neque uero totam quaestionem a Grysario l. l., a Welckero in censura huius libri = op. I p. 271 sqq., a Lorenzio l. l. tractatam recoquere nobis proposuimus, sed quae quisque horum probabiliter enucleauit ad hanc fabulam, imprimis ad Cyclopis personam delineandam reuocare. Incipiendum uidetur ab Arist. poet. 5 p. 1449 b, 5 sqq. Va., qui dicit: *τὸ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις* (sc. *ὑπέδειξαν* sec. Vahlen.)· *τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκ Σικελίας ἦλθε* —. Argumenta igitur mythologica in comoedia tractare coepit Epicharmus; quales inter fabulas si erat *Κύκλωψ*, testimonium habemus ab Epicharmo primo in scaenam inductam esse hanc personam. Amasse autem hunc poetam praeter ceteras huiusmodi personas proponere aliquo modo probat Herculis exemplum [1]), quem identidem ridendum spectatoribus propinauit cum in aliis tum in his fabulis *Ἥβας γάμος*, *Ἡρακλῆς παρὰ Φόλῳ*, *Βούσιρις*. Etiam huius personae indolem comicam, quae per totam posterorum poesin hilarem dominatur (cf. Athen. X p. 411 a), Siculus poeta uidetur quodammodo constituisse. Ante omnia uero castigauit ingentis hominis uoracitatem et ebriositatem, quae sine dubio crebras dabant ridendi ansas, quo spectant omnia fere Hebes nuptiarum fragmenta et unum quod superest Busiridis, quod cum optime ad illustrandum inseruiat mandentem Cyclopem (cf. Eust. p. 1629, 50 sqq.), adscribamus fr. 9 A.:

Πρᾶτον μὲν αἴ κ' ἔσθοντ' ἴδοις νιν, ἀποθάνοις,
βρέμει μὲν ὁ φάρυγξ ἔνδοθ', ἀραβεῖ δ' ἁ γνάθος,
ψοφεῖ δ' ὁ γόμφιος, τέτριγε δ' ὁ κυνόδων,
σίζει δὲ ταῖς ῥίνεσσι, κινεῖ δ' οὔατα.

Cognoscimus autem in his fabulis eiusmodi personas, quae immenso corporis robore instructae supra humanum modulum

---

1) Vide quae de huius persona breuiter disputauit Welckerus de fab. satyr. p. 318 sqq.

rebus ad uitam necessariis indigeant, quae propter membrorum molem rusticitatem quandam prae se ferant. Qui quidem mores agrestes cum maxime appareant in uilibus cotidianisque uitae negotiis administrandis, haec potissimum a poeta eliguntur, in quibus et spurcum aspectum inurbanosque mores et stomachi inexpletam auiditatem uentrisque libidinem eorum, quorum immanibus operibus et facinoribus plerumque stupefieri solent mortales, cotidianorum homunculorum naturae appropinquando uellicet. Talis est Hercules, talis Pholus Centaurus, talis Busiris, talis Polyphemus. Neque igitur dubitamus, quin Epicharmus in Cyclope delineando maxime respexerit eius *ἀδηφαγίαν* et *φιλοποτίαν*; discrimen autem ab aliis eiusdem argumenti comoediis in eo positum fuisse opinamur, ut fortasse Cyclops iucunditatem humanae carnis contra aliarum lautitiarum laudes defenderet. Adprime autem Polyphemi uinulentia faciebat ad Siculi poetae consilium, quippe quem Athen. X, 429 a primum ebrium hominem in scaenam comicam produxisse testetur. Non refragabimur, si quis putauerit in hoc dramate solum hoc studuisse Epicharmum, ut profusa hilaritate ac petulantia spectatores oblectaret. Sed cum sciamus non sine causa eum *ὀψοφαγίαν* denotasse, ut ciues castigaret luxuriae nimium deditos (cf. Lorenz. l. l. p. 92 sqq.), haud inficete existimamus conici posse Epicharmum eo consilio monstrum humanae carnis uictu exsultans induxisse, ut exaggerando lautitiarum studio in ea re, quam uniuscuiusque sapor reformidare debebat, mores aequalium irrideret. Neque tamen abhorruit Epicharmus a dulciore quadam et molliore uitae rusticae consuetudine fabulis suis intexenda, si quid probat Athenaei testimonium XIV p. 619 a—b: *ἦν δὲ καὶ τοῖς ἡγουμένοις τῶν βοσκημάτων ὁ βουκολιασμὸς καλούμενος. Διόμος δὲ ἦν ὁ βουκόλος Σικελιώτης ὁ πρῶτος εὑρὼν τὸ εἶδος. μνημονεύει δ' αὐτοῦ Ἐπίχαρμος ἐν Ἄλκυόνι καὶ ἐν Ὀδυσσεῖ ναυαγῷ.* Nescimus, quod argumentum tractauerit poeta in fabula, quam inscripsit *Ὀδυσσεὺς ναυαγός*; quamquam coniectura est proposita a Grysario l. l. p. 290 sqq., qui nisus aliquo fragmento a Diog. Laert. III, 12, 16 seruato (fr. 96 A.), quo quis

Eumaeum alloquitur, et praeeunte Odofredo Mueller Dor. II[2] p. 351 ad Ulixem fabulam relato putat ita argumentum concinnatum fuisse, ut Ulixes naufragio facto ad insulam patriam appelleretur et ad propinquam Eumaei subulci aulam profectus cum eo de multis rebus imprimis philosophicis sermonem institueret, cuius disputationis specimen a Diogene seruatum sit, spectans ad omnium animalium *τὴν τῆς ὁμοιότητος θεωρίαν*. Haec coniectura ita placuit Welckero l. l. p. 297, ut facetissime opponi iudicaret naufragum et philosophum (u. etiam Bergk. comment. de reliqu. com. Att. ant. p. 150; L. Schmidt. quaest. Epicharm. Bonn. 1846 p. 52; Mullach. frgm. phil. Gr. I, 132). Neque tamen nos ad horum uirorum partes adducimur neque adductus est Lorenzius l. l. p. 186 not. 4, qui neque de naufragio cogitari, cum certe naufragus non uenerit Ulixes ad Eumaeum subulcum, neque philosophiam Pythagoricam ferri posse recte cognouit, licet debili argumentatione Grysarii partes tueatur Holmius hist. Sic. ant. I p. 424. Propter solum autem Eumaei nomen in hanc comoediam relatum est fragmentum philosophicum, quod absque hoc nomine nemo umquam huic fabulae uindicasset. Contra si ab ipsis fragmentis Ulixis naufragi proficiscimur, ab illo Athenaei loco et Pollucis X, 134: *ὀρθίαξ τὸ κάτω τοῦ ἱστοῦ καλεῖται, ὡς τὸ ἄνω καρχήσιον· καὶ ἔστι τοὔνομα τὸ ὀρθίαξ ἐν Ἐπιχάρμου Ναυαγῷ*, posterius referimus probabiliter cum Grysario et Welckero ad ipsam cladem titulo significatam, ex priore discimus Diomum, bucoliasmi inuentorem, commemoratum fuisse. Si his ex fragmentis conclusio facienda est, putabimus Ulixem naufragum uenisse ad homines pastoralem uitam degentes. Prouocamus ad Hom. Od. IX, 283 sqq., quibus uersibus Ulixes interroganti Polyphemo ubi nauem reliquerit respondet:

νέα μέν μοι κατέαξε Ποσειδάων ἐνοσίχθων
πρὸς πέτρῃσι βαλὼν ὑμῆς ἐπὶ πείρασι γαίης,
ἄκρῃ προσπελάσας· ἄνεμος δ᾽ ἐκ πόντου ἔνεικεν·
αὐτὰρ ἐγὼ σὺν τοῖσδε ὑπέκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον

(cf. Eur. Cycl. 109. 299 sqq.). Simulat igitur Ulixes se naufragum aduenisse ad Cyclopum terram. Nonne ad haec uerba

respicere potest titulus Epicharmeus? Nonne cogitari potest *Κύκλωψ ἢ Ὀδυσσεὺς ναυαγός*? Non consuimus imparia: copulatos esse Cyclopem et naufragum Ulixem nostro iure concludimus ex insigni Athen. loco I p. 19 f sq.: *τὰς δὲ κιθαρῳδίας* (sc. *ἐθαυμάζοντο μιμούμενοι*) *οἱ περὶ τὸν ἐξ Ἰταλίας Οἰνωνᾶν, ὃς καὶ Κύκλωπα εἰσήγαγε τερετίζοντα καὶ ναυαγὸν Ὀδυσσέα σολοικίζοντα, ὅ αὐτός φησι* (sc. *Ἀριστόξενος*), quem locum postea in usum nostrum uertemus. Fragmenta autem Naufragi optime conueniunt. Potuisse enim mali partem inferiorem *ὀρθίαξ* in naufragio commemorari nemo negabit, sed unumquemque hoc admonebit periculi illius Ulixis, cum carina et malo coniunctis ad insulam Calypsus ferretur Od. XII, 420 sqq. Nanciscimur autem altero fragmento nouum quendam ad Cyclopem describendum colorem. Succedit enim oculis imago Polyphemi pecudes ducentis et *βουκολιασμόν* h. e. cantum pastoralem canentis, fortasse fistula cantantis, si huc referre licet quod editores inter incerta fragmenta enumerant Lorenz. fr. *B* 130: Polluc. IV, 56: *καὶ ἐρετικὰ δή τιν' αὐλήματα καὶ ποιμενικά· Ἐπίχαρμος δὲ καὶ ποιμενικόν τι μέλος αὐλεῖσθαί φησιν.* Quod si uerum est, iam paulo expolitiorem habemus pastoris imaginem quam quae apud Homerum conspiciatur, ubi ingens opilio *πολλῇ ῥοίζῳ* greges ad montem agitare dicitur u. 315. Defenditur, non fulcitur sententia nostra eo, quod alias quoque Epicharmi fabulas duplici titulo fuisse inscriptas qui comoediarum seriem percurrit facile animaduertit cf. *Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος* (Athen. VI p. 235 f.; Herod. *π. μον. λεξ.* p. 21, 13 sq. Lehrs.; Bekk. anecd. Gr. I, 105), *Κωμασταὶ ἢ Ἅφαιστος* (Apoll. Dysc. de pron. p. 75, 3 sq. Schn.)[1]). Porro non prorsus in cassum coniectare nobis uidemur, si philosophum Epicharmum non minus huic comoediae quam ceteris admiscuisse putamus aptas quasdam ratiocinationes philosophicas praesertim sententiis breuibus inclusas, quales eum adhibuisse testatur anonym. de com. III, 21 sq.: *τῇ δὲ ποιήσει γνωμικὸς καὶ εὑρετικὸς καὶ φιλότεχνος.* Concludimus autem hoc ex Euripidis

1) *Φιλοκτήτης ἢ Ὀδυσσεὺς αὐτόμολος?* cf. Welcker. Mus. Rh. I (1833) p. 588 adnot.

analogia, qui philosophantem inducit Polyphemum uu. 316 sqq. Atque quis magis uidebatur idoneus ad philosophiae placita repraesentanda quam qui deis se inferiorem esse non crederet? qui uel apud Homerum prae se ferret impietatem? (cf. Od. IX, 273 sqq.) Quamquam quae potissimum Cyclops Epicharmeus philosophatus sit uix coniectura assequemur, certe non ipse poeta suam sententiam Polyphemi uerbis subiecisse putandus est. Magis hoc credere licebit de Ulixis persona, cui Pythagoreorum disciplina [1]) magis conueniebat; poterat Ulixes Polyphemum deorum prouidentiae admonere eiusmodi uerbis, qualia seruauit ex Epicharmo Clemens Alexandrinus Strom. V, 14, 100 (III p. 80 Dind.) fr. 147 A.:

οὐδὲν ἐκφεύγει τὸ θεῖον· τοῦτο γινώσκειν τυ δεῖ·
αὐτός ἐσθ᾽ ἁμῶν ἐπόπτας, ἀδυνατεῖ δ᾽ οὐδὲν θεός,

eodem modo, quo adhortatur Ulixes Homericus uu. 269 sqq.:

ἀλλ᾽ αἰδεῖο, φέριστε, θεούς· ἱκέται δέ τοί εἰμεν.
Ζεὺς δ᾽ ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ᾽ αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ,

Euripideus Cycl. uu. 310 sq.: *τὸ δ᾽ εὐσεβὲς*
τῆς δυσσεβείας ἀνθελοῦ et imprimis uu. 353 sqq.:
σύ τ᾽ ὦ φαεννῶν ἀστέρων οἰκῶν ἕδρας
Ζεῦ ξένι᾽, ὅρα τάδ᾽· εἰ γὰρ αὐτὰ μὴ βλέπεις,
ἄλλως νομίζει Ζεύς, τὸ μηδὲν ὤν, θεός.

Fortasse Polyphemus uini utre delectatus de natura hominum festiuum protulit iudicium Clem. Al. Strom. IV, 7, 45 (II p. 342 D.):

Ἀσκοὶ φύσις ἀνθρώπων πεφυσιαμένοι,

si quidem iambus cum Ahrente fr. 145 restituendus [2]), quod Lorenzius (fr. *B* 5) ne ipse quidem metrum indicans negat. Cf. quae apud Euripidem disputantur uu. 525—529. Atque talia cogitanda erunt apophthegmata illa philosophica, quae

1) Cui potissimum se addixisse Epicharmum ex testimoniis colligi poterit (Diog. Laert. VIII, 78; Plut. Num. 8; Clem. Al. Strom. V, 14, 100), quamquam non certae scholae uidetur assecla fuisse cf. Zeller. hist. phil. Gr. I⁴ p. 460 sqq.

2) Animaduertendum tamen anapaestum in altero pede trimetri apud Epicharmum non inueniri cf. Lor. p. 160.

Epicharmus comoediis inseruit; sic enim optime explicatur facilitas et pernicitas dialogi, ad qualem spectat uersus Horatianus (ep. II, 1, 58), quam probabilem reddunt frustula singulis saepe uersibus inclusa. Neque dubitamus, quin poeta alacritatem sermonis auxerit aenigmate illo per Ulixis fictum nomen *Οὖτις* formato, quod Homerus induxit uu. 366 sq., Euripides non spreuit u. 549 cf. u. 535 [1]), qualia aenigmata ab ipso *λόγος ἐν λόγῳ* appellata in deliciis habuisse Epicharmum testatur Eustathius p. 1634, 15 sqq. (Lor. p. 120). De loco autem, ubi fabulam agi uoluerit poeta, haud improbabilis coniectura uidetur inde fieri posse, quod ipse maximam uitae partem inter Siculos degit, quorum ad terram posteriores Cyclopes relegant. Illud certe effici poterit ex Thuc. VI, 2 uerbis *παλαιότατοι μὲν λέγονται ἐν μέρει τινὶ τῆς χώρας Κύκλωπες καὶ Λαιστρυγόνες οἰκῆσαι, ὧν ἐγὼ οὔτε γένος ἔχω εἰπεῖν οὔτε ὁπόθεν ἐσῆλθον ἢ ὅποι ἀπεχώρησαν. ἀρκείτω δὲ ὡς ποιηταῖς τε εἴρηται καὶ ὡς ἕκαστός πῃ γιγνώσκει περὶ αὐτῶν* dixisse ante historicum poetas, in quorum numero Homerum non esse uidimus, partem Siciliae incoluisse Cyclopes.

Hoc certe hac nostra disputatione, quae si paulo accuratiora exploranda erant non potuit non uacillanti pede progredi, effectum opinamur comicam indolem Cyclopis ex Homerica descriptione elegisse Epicharmum, quam ad ridendum proponeret spectatoribus, ipsam autem personam non solum exaggerando auxisse praesertim in edendi et bibendi immodestia, sed etiam nouis coloribus appictis expoliuisse.

Caput III.

Polyphemus apud Cratinum.

Cratinus in scaenam produxit Polyphemum notissima fabula *Ὀδυσσῆς* inscripta, quam quasi mediae comoediae indolem praeiisse antiqui testes affirmant. Platonius enim *περὶ δια-*

1) Posteros delectatos esse hoc lusu testis Theophylact. ep. 40; cf. etiam Ps.-Theocr. Syring. u. 1.

φορᾶς κωμῳδιῶν p. XIII, 35 sqq. Duebn. dicit, cum prisca comoedia pertinuerit ad irridendos iudices et praetores et plebem: παρεὶς ὁ Ἀριστοφάνης τοῦ συνήθως ἀποσκῶψαι διὰ τὸν πολὺν φόβον, Αἴολον τὸ δρᾶμα, τὸ γραφὲν τοῖς τραγῳδοῖς, ὡς κακῶς ἔχον διασύρει. τοιοῦτος οὖν ἐστιν ὁ τῆς μέσης κωμῳδίας τύπος, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ οὔτε παραβάσεις ἔχοντα. p. XIV, 67 sqq.: ἀνεύθυνον γὰρ τὸ τοιοῦτον, οἷον διασύρει Ὅμηρον εἰπόντα τι ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγῳδίας ποιητήν. τοιαῦτα δὲ δράματα καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ τραγῳδίᾳ ἔστιν εὑρεῖν, ἅπερ τελευταῖον ἐδιδάχθη λοιπὸν τῆς ὀλιγαρχίας κρατυνθείσης. οἱ γὰρ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσι, διασυρμὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας καὶ Ὁμήρου. Colligere autem possumus ex hoc testimonio terminum, post quem hanc fabulam egit Cratinus, annum Ol. 85, 1 = 440, cum eo Morychide archonte illud ψήφισμα περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος latum esse ex schol. Arist. Ach. 1150 coll. 67 constet. Fuit igitur Cratini fabula διασυρμὸς Ὀδυσσείας, sed quantum fragmenta argumentum ostendunt uidetur fuisse tantum διασυρμὸς Κυκλωπείας. Neque tamen, id quod iam pridem perspectum est, Cratinus Homerum ut poetam oblique perstrinxit propter prauum studium et insulsam argumentorum tractationem, uti comici Euripidem castigauerunt, sed quae posteriori aetati in bono Homero ridicula uidebantur captauit, nonnumquam etiam εἰπόντα τι uellicauit ita tamen, ut dignitati uatis diuini nihil detraheret. Huius rei rectam intellegentiam aperuit Welckerus de Epich. p. 321 sq., deinde egit de hac comoedia felici acumine Bergkius in comment. de rell. com. Att. ant. p. 141 sqq., qui pauca reliquit addenda Meinekio et Kockio. Non in animo est singulorum fragmentorum sedem indagare, qua in re plurima recoqueremus: quae ad personam Cyclopis excolendam faciant inuestigabimus argumentum fabulae ubi opus uel fructuosum est tangentes.

Videtur fabula exorsa esse ab Ὀδυσσέων h. e. Ulixis et sociorum in Cyclopum insulam aduentu, quam num Siciliam

finxerit Cratinus ex frustulis seruatis non liquet. Nam aliter fragmenta 138—140 K. apte in fabulae continuum conexum inseri non possunt. Cogita igitur aduenisse Ulixem cum comitibus in antrum Polyphemi interdiu, dum ipse Cyclops in pecudum pascuis uersetur, eodem modo, quo singula facta se excipere uidemus apud Homerum, ubi Cyclops uespere demum domum redit hospitesque inuenit cf. Od. IX, 231 sqq. (*ποτιδόρπιον*), item ut apud Euripidem paucis quibusdam mutatis Cycl. 129 sq. 203 sqq. Colligimus autem uespere domum reuerti Cyclopem e uerbo *πανημέριοι* fr. 142:

ἦσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκόν
[πυὸν δαινύμενοι κἀμπιμπλάμενοι πυριάτῃ].

Stomachatur autem Polyphemus quod hospites delectati sunt diuersis lactis generibus eisque necem minitatur fr. 143:

ἀνθ' ὧν πάντας ἑλὼν ὑμᾶς ἐρίηρας ἑταίρους
φρύξας, ἑψήσας κἀπ' ἀνθρακιᾶς ὀπτήσας
εἰς ἅλμην τε καὶ ὀξάλμην κᾆτ' ἐς σκοροδάλμην
χλιαρὸν ἐμβάπτων, ὃς ἂν ὀπτότατός μοι ἁπάντων
ὑμῶν φαίνηται, κατατρώξομαι, ὦ στρατιῶται.

Componenda haec sunt cum scaena Euripidis uu. 233 sqq., ubi Silenus Cyclopi quantum saeuierint socii Ulixis in diuitias eius indicat, et ipse uu. 241 sqq. dulcedinem taetrae cenae mente sibi proponit. Quam quidem rei institutionem ab Homero non sumpsit Cratinus, cum ibi ne uerbo quidem increpet Polyphemus aduenas, quamuis et ipsi caseos ederint u. 232. Fragmento autem illo fundamento uti debemus, si qualem induxerit Cyclopem Cratinus cognoscere studemus. Memorabilis enim est singularum rerum in cena apparanda accurata dispositio et percipiendam uoluptatem praegustans luxuria, quae hic primum fit obuia, quamquam ab Epicharmeae fabulae indole non multum uidetur abesse. Apud Homerum enim ne uerbo quidem addito binis Ithacensibus apprensis, trucidatis, in frusta discissis crudam carnem *ὥστε λέων ὀρεσίτροφος* deuorat uu. 287 sqq. Apud Cratinum autem fusius exponit omnes se tosturum, cocturum, assaturum, deinde uariis iuribus mergentem electurum qui appetitui maxime arrideat; quod quam-

quam partim ex discrepantia epicae et dramaticae poesis explicatur, tamen apud comicum habes consummatum gulonem delicatum in fera dape aestimanda. Eandem elegantiam inuenimus apud Euripidem, ubi multis locis differentia inter coctam assamque carnem humanam indicatur, quamquam non tam subtilis palati describitur Cyclops, ueluti 243 sqq.:

ὡς σφαγέντες αὐτίκα
πλήσουσι νηδὺν τὴν ἐμὴν ἀπ' ἄνθρακος
θερμὴν ἔδοντος δαῖτ' ἄτερ κρεανόμων,
τὰ δ' ἐκ λέβητος ἑφθὰ καὶ τετηκότα.

cf. 358. 373. 403 sq.

Videtur autem nobis coniectura Porsoni ad Crat. fragm. u. 2 *κἀπ' ἀνθρακιᾶς* pro *κἀπανθρακίσας*, ut Athen. IX p. 385 c, *καὶ ἐπανθρακώσας*, ut Poll. VI, 69 habet, quam maxime commendari, quod tria genera apparandae carnis facile distinguimus, difficile quattuor, *φρύγειν* torrere sc. in craticula, *ἕψειν* coquere sc. in aqua, *ὀπτᾶν* assare in ueru carbonibus suppositis, quem assandi modum Euripidis loci supra allati ostendunt. Omnino subtiles distinctiones adamauit Cyclops Cratineus, id quod demonstrant et tria iura *ἅλμη, ὀξάλμη, σκοροδάλμη* et tria genera lactis fr. 142 *γάλα λευκόν, πυός, πυριάτης,* si quidem alterum uersum Cratineum esse uere suspicatus est Porsonus, atque hac quidem ex causa reicimus lectionem a nouissimo editore pro '*πυὸν δαινύμενοι*' propositam '*τυρῶν αἰνύμενοι*'. Induit igitur Polyphemus personam coqui, ueluti eum appellat Euripides *Ἅιδου μάγειρον* Cycl. 397, et congruit cum hac persona fr. 135 probabiliter huc a Bergkio relatum Poll. VI, 26:

οὔπω ᾿πιον τοιοῦτον οὐδὲ πίομαι
Μάρωνα,

quippe quo bene notetur elegantia in uinis aestimandis. Nam recte concluserunt his ex uerbis interpretes iam usu cognitum habuisse uinum Cyclopem ut apud Homerum Od. IX, 357 sq. sic apud Cratinum, nondum autem tam praestantis notae potum exhausisse. Laudat autem uinum Cyclops apud Homerum u. 359:

ἀλλὰ τόδ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρός ἐστιν ἀποῤῥώξ,

apud Euripidem uu. 418 sq.: *φίλτατε ξένων,*
καλὸν τὸ πῶμα δαιτὶ πρὸς καλῇ δίδως.
Diutius uersatum esse poetam in Polyphemi uinulentia exornanda facile credimus Bergkio l. l. p. 158, quamquam causa est, cur fr. 141:
τῆ νῦν τόδε πῖθι λαβὼν ἤδη καὶ τοὔνομά μ' εὐθὺς ἐρώτα
non intellegamus de Ulixe uini poculum Cyclopi praebente, ut acceperunt fragmentorum editores. Nam si fr. 135 recte illi scaenae attributum est, permirum, quod tam breui interuallo, quanto secreta fuisse debent haec frustula, metrum immutatur. Et quam frigidus iocus ipsum Ulixem incitare Polyphemum ad nomen sciscitandum, nimirum ut quam celerrime aenigma iam diu praeparatum promat? Quam urbani sales in Welckeri l. l. p. 324 explicatione [1]) magno comico unice digna, qui refert uersum ad ipsam caecationem, cum Ulixes candentem stipitem oculo impingit. Sic optime intelleguntur uerba *τοὔνομά μ' εὐθὺς ἐρώτα*, quoniam tunc uerum nomen professurus est saeua laetitia Laertiades, praesertim si statuimus praecessisse fr. 136, nec minus acerba ironia illa *λαβὼν ἤδη* sc. uinum et *τόδε* sc. hoc uinum: ignem proferuntur. Atque consentaneum est ea parte fabulae uiuis coloribus depictam fuisse Polyphemi luxuriam, qua Ulixes quas lautitias in uagis erroribus inuenisset ei fusius exponebat, si uera est Welckeri coniectura fuisse Cratini comoediam Odysseam quandam culinariam. Iam si externam spectamus Polyphemi speciem qualem exornauit Cratinus, unum oculum ei adsignatum secundum Homeri descriptionem apparet ex fr. 149: Phryn. ecl. p. 136 L. (p. 209 Rutherford.) *μονόφθαλμον οὐ ῥητέον, ἑτερόφθαλμον δέ. Κρατῖνος γὰρ μονόμματον εἶπε τὸν Κύκλωπα* [2]). Ac uidetur ex incerta-

1) Prae qua sordent Herwerdeni et Naberi (Mnemos. N. S. VIII p. 24 sq.) medelae non satis acriter refutatae a censore in Burs. annal. 1880 I p. 175 adnot. 1.

2) Nihil curanda testimonia Fauor. Moschopuli, gram. in Etym. Gud. p. 635, 9, qui dicunt Cratinum *μονόφθαλμον* dixisse; nam recte iam Pauwius (cf. Lob. s. u.) perspexit exquisitius uocabulum esse *μονόμματον*, ac uidetur *μονόφθαλμος* ut prosae orationi aptius in grammaticorum *λέξεις*

rum fabularum Cratini fragmentis unum et alterum in figuram Polyphemi praeter ceterorum animalium habitum quadrare, ueluti *μίξοφρυς* fr. 430, *φαγᾶς* fr. 451, *γαστροχάρυβδις* fr. 397 (praeter Homericam faciem hexametri optimam terminationem exhibens). In scaena repraesentatum erat antrum Cyclopis, quale ab Homero describitur; commemoratur enim fr. 137 haud dubie stratum eius, quod Homerus ex salicis uirgulis compositum fuisse dicit Od. IX, 427 sq. Leni autem ironia epicas formulas castigat hexametro usus Cratinus eadem qua epicus poeta constantia etiam tunc eas adhibens, cum prorsus uidentur a sana sententia abhorrere, quo imprimis pertinet *ἐρίηρας ἑταίρους* fr. 143, 1 atque, ut nos quidem arbitramur, fr. 136 *φίλον παῖδ'*, quae uerba nobis hac potissimum de causa Cyclopi uidentur tribuenda [1]). Homericum sermonem imitantur etiam haec *ἀλυσκάζειν* (cf. ex. gr. Od. XVII, 581), fr. 138—140, *πανημέριοι* fr. 142 (Il. XVIII, 29) al. Omnino autem Cratinum paulo liberius Homerica uocabula Homericumque sermonis colorem captasse ad ludificandum cum ex multis fragmentis eluceat, uelut ex his, quae forte ex incertis collecta habemus fr. 315. 314. 357. 340. 382. 332, non dubitandum, quin in hac potissimum fabula, quae tota in Homeri narratione niteretur, illius studii exercendi et largissimam materiam inuenerit et praeclara exempla ediderit. Praeterea Cyclopem plebeio sermone locutum esse accommodato rusticitati ac feritati unum certe documentum exstat fr. 142 uerbum *χορτάζεσθαι* (cf. Bergk. l. l. p. 157). Ex incertae autem sedis fragmentis Kockius non inepte huic fabulae uindicauit fr. 326 schol. Theocr. IX, 19 (Ahr. II p. 306, 19 sqq.): *χόρια — τὰ τῶν ἐμβρύων ἀγγεῖα. εἰώθασι*

---

sub Cratini nomine irrepsisse animo tantum ad *μόνος* oppositum illi *ἕτερος* intento; contra *μονόμματος* est poetarum sermonis cf. Aesch. Prom. sol. fr. 194 N.

1) Quod Kockius dicit Cyclopem neque nosse Laertem neque Ulixem carum Laertae filium appellare potuisse, quid magis uerisimile, quam in oraculi illius a Telemo accepti hexametris fuisse commemoratum *Λαερτιάδην*? In altero argumento mentem comici non uidetur satis assecutus esse uir doctissimus.

γὰρ ἔγκατα πλήσαντες (ex Reiskii coniect.) *καὶ ξηραίνοντες ὀπτᾶν, εἶτα ἐσθίουσι ταῦτα, ἃ καὶ χόρια προσαγορεύουσιν. Κρατὶ νεοτρόφοιο γέννας χόριά τ' ἐμβρύων τε πλήθη*, ubi iam Toupius recte restituit Cratini nomen cetera sic fingens

Ἀρνὸς εὐτρόφου κρέας
Χόριά τ' ἐμβρύων τε πλήθη, alii aliter. Nouissimus editor haec edolauit

εὐτρεφεῖς ἀγέλας
χόριά τ' ἐμβρύων τε πλήθη

nisus haud dubie aliqua discrepantia scripturae *νεοστέφει* Vatic. 3, *γένας* ed. Bas. II (cum scholiis Calliergi); neque tamen nobis persuasit. Videntur enim accuratius spectanda esse ipsa scholiastae uerba, qui dicit uelamina, quibus includantur fetus in aluo, solere a pastoribus ad edendum apparari, non ipsos fetus, non *ἐμβρύων πλήθη*; quare hic aliqua corruptela latet, quam remouisse nobis uidemur scribentes *ἐμβρύων πλήρη*; uersus sic instauramus transposito uocabulo *χόρια*, quod principale est,

χόρια νεοτρόφοιο γέννας
ἐμβρύων τε πλήρη,

ita ut nihil aliud dixisse poetam arbitremur quam 'membranae subolis recentis fetuumque plenae', praecessisse autem uel subsecutum accuratius praeceptum culinarium, quod sequitur etiam apud scholiastam Theocriti. Iam cum uideatur hic cibus plerumque in pastorum mensis appositus fuisse, non absonum est hic de Cyclope, homine subtilis palati, cogitare, qui *μόσχον ὀπτόν* laudat etiam apud Euripidem Cycl. u. 325, ad qualem scaenam illa uerba reuocanda erunt.

Vidimus igitur Cratinum in uniuersum fabulam Homericam secutum *γαστριμαργίαν* Cyclopis in maius auxisse fortasse hac in re Epicharmi exemplo adiutum, omnino autem magis id spectasse, ut Homericam huius rei tractationem carperet, quam de suo nouaret, id quod sequenti tempore factum uidebimus in fabula satyrica.

Propter tituli similitudinem paucis hic absoluere liceat de Theopompi — posterioris sane aetatis Aristophaneae comici

cf. Mein. hist. crit. p. 237 sq. — fabula Ὀδυσσεύς inscripta, quae Bergkio de rell. com. Att. ant. p. 413 audit Ὀδυσσεῖς secundum Pollucis VII, 74 testimonium uix contra Athenaei IV, 165 b et schol. Aristoph. uesp. 1346 consensum urgendum et ob id ipsum ut titulum ita argumentum comoediae Cratineae uidetur repetiisse. At enim desiderantur in fr. 34 K., quod sic legit Bergkius

Εὐριπίδου 'στ' ἄριστον οὐ κακῶς ἔχον
τἀλλότρια δειπνεῖν τὸν καλῶς εὐδαίμονα

et explicat: Euripideum est ientaculum non sane contemnendum etc. 'de Ulixe socios hortante, ut Cyclopis caseo et lacte prouti collibuerit fruantur', certa indicia huius fabulae; immo suadent non pauca, ut cogitetur de Ulixe in patriam redeunte, illud autem fragmentum intellegatur cum Ribbeckio Colac. p. 23 not. 4 de procis, quorum est quam maxime τἀλλότρια δειπνεῖν, id quod Kockius quoque sensisse uidetur conferri iubens titulum eiusdem poetae Πηνελόπη.

Caput IV.

Polyphemus in fabula satyrica.

§ 1.

De Aristiae Cyclope.

Adprime conueniebat Cyclopis figura satyricarum fabularum indoli, cum immania monstra priscae antiquitatis uel barbaros a uernaculis moribus abhorrentes captare soleret, quibus sceleris uindicta ab heroibus importaretur. Erat igitur inter personas Cercyonis, Scironis, Sylei, Busiridis, Amyci aliorum, quos primus congessit in secunda quam statuit argumentorum satyricorum classe Welckerus de fabula satyr. (in libro: addit. ad trilog. Aeschyl. Francof. ad Moen. 1826) p. 302 sqq. Primus autem in hoc genus dramatis Polyphemum induxisse uidetur Aristias, Pratinae, satyricae fabulae inuentoris, filius, quem inter celeberrimos huius generis auctores laudat Paus. II, 13, 5.

Nec dubium uidetur esse, quin iam ante Cratinum hoc argumentum in scaena egerit, etsi certa temporum indicia non habemus. Sed cum Cratini Ὀδυσσῆς actam esse non ante Ol. 85, 1 supra cognouerimus, Aristias autem sit filius Pratinae, quem Ol. 70 certasse cum Aeschylo et Choerilo Suidas s. u. Πρατίνας testatur, et ipse secundus fuisse perhibeatur in eo certamine, quo Aeschyli tetralogia Λάϊος, Οἰδίπους, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας: Σφίγξ uicit Ol. 78, 1 cf. hypoth. Sept. c. Theb. in cod. Med.[1]), certum est eum antecessisse Cratinum. Itaque chronologicus ordo postulabat, ut de illius fabula ante Cratineam diceremus, sed singula genera noluimus disiungere. Unus autem uersiculus, quem fata superstitem esse noluerunt ex dramate Aristiae, id certe demonstrat idem argumentum fuisse, quod Homerum secuti plurimi poetae tractauere: Ulixis dolum aduersus Cyclopem uino sopitum perpetratum. Laudat autem hunc uersum Suidas s. u. ἀπώλεσας:

ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ (Trag. fr. N. fr. 4 p. 563) addens ἐπὶ τῶν τὰ καλῶς πρότερον γενόμενα ὕστερον μικροῦ τινος ἕνεκεν κακοῦ ἀνατρεπόντων ἢ ἐπὶ τῶν ἃ χαρίζονται δολούντων καὶ μὴ ἀκέραια παρεχομένων. Noui aliquid affert Zenobius II, 16: ἐν Κύκλωπι δράματι Πολύφημος οὕτως πρὸς Ὀδυσσέα λέγει, ὅθεν εἰς παροιμίαν περιέστη (cf. Diogen. II, 32), cuius usus exemplum exstat apud Athen. VIII p. 362a. Dicit igitur haec uerba Polyphemus ad Ulixem; neque uero habemus Euripidea, quibus haec comparemus. Apud Euripidem enim nusquam Cyclops de uini mistione aut aqua infusa deprauatione loquitur, tangit tantummodo simile quid Silenus u. 557. Nec poterat hac de re stomachari, quoniam apud Euripidem uini plane inscius est, ut infra uidebimus; apud Aristiam autem cum tam subtilis palati fingatur, ut tenuitatem uini statim sentiat, concludere licebit iam pridem uini eum non expertem fuisse, qua in re Homerum secutus est cum Cratino Aristias. Quomodo in ceteris fabula comparata fuerit nescimus, quamquam cum aliqua probabilitate statuerunt uiri

1) De fide uerborum in uita Soph. n. 19 (p. 16 Iahn.) καὶ Χοιρίλῳ καὶ Ἀριστίᾳ dubitatur.

docti (cf. Welck. l. l. p. 286) Aristiae Cyclopem Euripidis fuisse exemplar, quorum poetarum cognationis allatum est a Meinekio documentum hoc Ἅιδου τραπεζεύς Arist. apud Athen. XV p. 686 a (Nauck. fr. 3): Ἅιδου μάγειρος Eur. Cycl. 397 [1]). Unum tamen fragmentum Aristiae Cyclopi non sine aliqua ueri specie uindicabimus incertae sedis quod laudat Athen. II p. 60 b (Nauck. fr. 6), ubi de fungis exponit ganeo

μύκαισι δ' ὠρέχθει τὸ λάϊνον πέδον,

paulo uerbosius idem Eustath. p. 1017, 13 sq. Sed quamuis hic diserte testetur de fungis sermonem esse, quod non multum ualet, quoniam Athenaeum exscripsit, quomodo in talem conexum fungi inculcentur? Et coguouere iam pridem uiri docti errasse Athenaeum; quare Schneidewinus scripsit μυκαῖσι a μυκή 'mugitus', quae uox legitur apud Apoll. Rhod. Argon. IV, 1285 a scholiasta explicata per ἦχοι, μυκήσεις. Quam accentus mutationem si accipimus, sententia euadit haec: 'mugitibus autem fremebat saxeum solum', quod si de Polyphemi antro dicatur, nemo offendat. Poterat autem hoc in narratione aliqua uel descriptione proferri, qualem ex. gr. incohat Ulixes Cycl. Eur. uu. 382 sqq. Hoc si uerum, poteritne coniectura fieri de gregibus Polyphemi? μυκᾶσθαι enim et μυκηθμός sunt uocabula boum mugitus apud Homerum (Od. X, 413. XII, 265) propria, etiamsi aliorum quoque animalium clamorem hac uoce significari non nescimus. Quid? Nonne iam Aristias potuit hac in re ab Homeri narratione deflectere, ut etiam boues adderet Polyphemi gregibus, id quod ab Euripide factum uidebimus? Sed cautius erit nihil nisi Euripidis uerba u. 426: ἐπήχει δ' ἄντρον in comparationem uocare (cf. Hom. Od. IX, 395).

§ 2.

De Euripidis Cyclope.

Iam licet tandem aliquando firmo pede insistere et fragmentis agglutinandis supersedere, quoniam uni certe fabulae

1) Quod Welckerus p. 302 addebat, nisus esse peruersa lectione Athen. VI p. 270 c uidetur.

satyricae pepercit fati iniquitas: Euripidis Cyclopi. Quae quidem fabula quo certamine, cum quibus coniuncta tragoediis acta sit nescimus, neque praesto sunt ea indicia chronologica, quae in ceteris fabulis se offerunt ex didascaliis aut temporis tectis significationibus petita, sed sola ex metrica ratione aliquid potest concludi, etsi fabulam satyricam liberiore usu exsultasse neque cum tragoediarum consuetudine comparari posse et per se consentaneum est et testimoniis ueterum firmatur cf. schol. ad Hephaest. p. 183 (Gaisf.). Attamen qui trimetri iambici rationem curatius examinauere, iure uidentur statuere extremae Euripidis aetati hanc fabulam adsignandam esse cf. Rumpel. Philol. XXIV p. 408; C. F. Mueller.: de pedib. solut. in dial. senar. Aesch. Soph. Eur. Berol. 1866 p. 143 not. 3; nam Zirndorferi (de chronol. fab. Eurip. Marb. 1839 p. 110 sq.) argumenta, qui propter Aristophanis Nubium quosdam locos, qui ad illam fabulam alludere ei uidentur, eam ante a. 423 actam censet, facili negotio redargui possunt. Videtur autem Euripides potissimum huius modi argumenta, quibus animalia propter uirium magnitudinem uel morum ferocitatem hominibus inimica et odiosa debitas dant poenas, prae ceteris adamasse, quoniam maior pars nouem qui traditi sunt titulorum ad tales res spectat, ueluti Syleus, Busiris, Sciro, Eurystheus, Autolycus. Cyclopis autem argumentum quomodo uariauerit, ut noui quid Atheniensium subtili iudicio propinaret, difficile est perspectu, eo difficilius, quod ne primus quidem satyrico charactere tractauit, quo haud dubie quasi nouo lumine aspersa est expressa imago. Nam cum Cyclops subito nouo comitatu cinctus sit, nouae se praebent ansae solita uariandi, figurae inueteratae aliorum consuetudine arcessita mutandae atque expingendae. In Cyclope autem Euripideo describendo id potissimum sequemur, ut quibus rebus ab Homerico distinguatur, accuratius quam adhuc factum est perscrutemur. Apertis uerbis Sicilia et Aetna mons domicilium Cyclopum dicitur cf. uu. 20. 95. 106. 114. 130. 298. 366. 395. 660. 703. Externam autem speciem ipsius Polyphemi in uniuersum eadem quam Homerus praeiit ratione, in singulis magis consumma-

tam et auctam atque adeo magis definitam exhibuit poeta satyricus. Est Polyphemus ut ceteri Cyclopes (u. 21) unoculus [1]) cf. uu. 79. 174. 475. 633. 636. 648. 657. 663. 673, filius Neptuni cf. uu. 21. 262. 290 sqq. 318. 413, sed confunditur iam Homeri genealogia cum Hesiodea, cum mater dicatur u. 648 Gaea, quam ingenti filii formae melius respondisse recte iudicauerunt Brodaeus et Hermannus ad h. l. Quam enormem formam ne scaenicus quidem poeta describere et ceterarum rerum inaudita ratione exprimere desinit, quamquam difficile erat in scaena figuram magnitudine ceteros homines tanto superantem proponere (cf. Wieseler. de fab. satyr. in stud. Gotting. 1847 II p. 639 sq.) [2]). Optime autem narrari poterant mirabilia ab Ulixe, cum ex antro reuersus choro quae uiderit refert uu. 382 sqq.:

ἐπεὶ πετραίαν τήνδ' ἐσήλθομεν χθόνα [3]) etc.,

ubi dicitur Polyphemus in foco locasse

ὑψηλῆς δρυὸς
κορμοὺς πλατείας ἐσχάρας βαλὼν ἔπι,
τρισσῶν ἁμαξῶν ὡς ἀγώγιμον βάρος,

(cf. Od. IX, 233 sqq.; imprimis 241 sq.), cratera autem implesse *ὡς δεκάμφορον* et poculum apposuisse

εἰς εὖρος τριῶν
πήχεων, βάθος δὲ τεσσάρων ἐφαίνετο.

Ac facile credimus ipsum palum praeustum fuisse iocosa magnitudine, ex qua conclusionem facerent spectatores de oculi circuitu u. 472. Nec mores ab Homericis multum diuersi: mansit impietas et ferocia cf. *ἀνόσιος* uu. 26. 31. 348. 378. 438. 693; *δυσσεβής* 30. 289. 311; *θὴρ* [4]) *πανοῦργός* 442; *ἀναιδής* 592; *νηλής* 369; *θεοστυγής* 396. 602; *κακός* 599. 627; *ἀποβώμιος*

1) Ubi propter uersum uel ad magnitudinem significandam legitur *ὄμματα*, ut uu. 459. 470. 511 uel *βλέφαρα* u. 485, unus oculus intellegendus item atque apud Homerum.

2) Vocis tonitru (cf. Philostr. uit. Apoll. VII, 28) actor uidetur naturam Cyclopis expressisse cf. Eustath. p. 1628, 24 sqq.

3) Pro *χθόνα* conicimus *πτύχα*; proposita *στέγην*, *λεπαίαν* — *πέτραν* non satisfaciunt. *πτύξ* uerbum Euripidi crebro in usu cf. Andr. 1277; Phoen. 84; Hel. 605; Suppl. 212. 979 saep.

4) Cf. Lycophr. 765 *τὸ τυφλωθὲν δάκος.*

365; ἄμικτος 429; ἀνήρ, ᾧ θεῶν οὐδὲν ἢ βροτῶν μέλει 605, quamquam ipse Polyphemus superbe iactat genus a deis deductum u. 231:

οὐκ ἦσαν ὄντα θεόν με καὶ θεῶν ἄπο;

Nec potuit poeta philosophus, qui etiam Ulixi de Iouis diuinitate ratiocinationem uu. 353 sqq. suppeditat, occasionem dimittere, quin Cyclopem suam de deorum fide atque auctoritate uitaeque pretio et usu sententiam promentem induceret uu. 316 sqq., de qua festiue disputauit Wilamowitzius Anal. Eurip. p. 226 sqq. In deliciis habet Polyphemus ut ceteri Cyclopes (cf. u. 22: ἀνδροκτόνοι) carnes humanas cf. uu. 92 sq. 126. 249. 356. 374; quare audit ξένων δαιτυμών 610, θὴρ ξενοδαίτης 658, et solet Silenus mensam ei apparare pretiosas offas ostendens cf. 313 sqq. Mentis non est ita sagacis, sed Sileni credit obtestationibus u. 262 et mendaciis et quasi consiliarium eum adsciscit 539, quamquam ipse Silenus ἀμαθίαν Cyclopis 173 cauillatur, qui choro quoque est ἀπαίδευτος 493. Differentia inter scaenicum et epicum poetam apparet eo, quod ille θεοστυγὴς Ἅιδου μάγειρος artis culinariae est eximie peritus neque caret necessariis instrumentis: cultris (uu. 241 sq.), securi (u. 395, quem transponimus cum Hermanno post u. 399), cortina (392), ueribus apte fabricatis (393 sq.), ipso foco (384), quorum apud Homerum nulla fit mentio. Nec dedignatur uariationem in cena adornanda, cum carnes partim coquere partim assare didicerit uu. 396 sqq. 244 sqq., cui quidem consuetudini saepius eum indulsisse ex satyrorum adhortatione mandendi dulcedinem anthropophago praemonstrante uu. 356 sqq. sequitur. Atque omnino Cyclops deditus est abdominis uoluptatibus, quarum proponit imaginem edacitate turgentem uu. 323 sqq.:

ὅταν ἄνωθεν ὄμβρον ἐκχέῃ,
ἐν τῇδε πέτρᾳ στέγν' ἔχω σκηνώματα
ἢ μόσχον ὀπτὸν ἤ τι θήρειον δάκος
δαινύμενος, εὖ τέγγων τε γαστέρ' ὑπτίαν,
ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα etc.,

nec sine subtili consilio Euripides induxit Cyclopem a uenatione reuersum num prandium sit paratum ex choro quaeren-

tem, ut nostri solent uenatores, uu. 214 sqq. Modum uero edendi et bibendi non magis quam apud Homerum scit tenere, ita ut quae deuorauit mox eructet cf. Od. IX, 373 sq.; Eur. 591 sq. (562. 523), ac uidetur consilium ‘nihil relinquendi’ praecipue Cyclopeum fuisse Od. IX, 292; Eur. uu. 314. 570. 575. Animaduertendum autem in Polyphemo, ubi primum uini notitiam nactus est, statim cupidinem comissationis excitari, eam igitur meri uim apparere, quae rusticitati et tumultui inclinet cf. 445 sq. 507 sqq. 537:

ἠλίθιος ὅστις μὴ πιὼν κῶμον φιλεῖ,

dum potator usibus edoctus Silenus solus frui uult Bacchi dono 540. Optime autem immoderata libido cernitur in toto illo epeisodio 519 sqq., ubi Silenus et Polyphemus quasi certamen ineunt potandi. Atque his in rebus enarrandis Euripidem habuisse quos sequeretur ex eis, quae disputauimus, elucere opinamur, in satyrorum uinulentia illudenda fortasse Aristiam. Cuius fragmentum si supra recte interpretati sumus, nouauit Euripides, quod Cyclopes uini ignaros induxit, id quod et disertis uerbis testatur Silenus Ulixe interrogante uu. 123 sq. et ipsius Polyphemi inscitia uu. 521 sqq. comprobatur. Cur uero mutauerit ab Homero traditam et a posterioribus ut uidetur retentam consuetudinem, in propatulo est: multo efficacius scaenico poetae is uino domatur, qui eius uim nondum perspectam habet, quam qui meliore tantum nota pellectus nimium exhausit. Videtur Euripides etiam in possessione Cyclopis describenda nonnulla nouasse. Cum Homero conueniunt pecudum diuitiae, quarum lactis et caseorum largas in antro asseruat copias, etsi paulum immutata est res pecuaria Cyclopis satyris inductis. Conspicitur enim Polyphemus potius locuples possessor quam ipse pastor, cum satyris eorumque ministris (u. 83) pascendi munus imposuerit cf. uu. 26. 41 sqq. 76 sqq. al. Sileno sene domestica negotia administrante cf. u. 29. Neque tamen propterea curam atque amorem pecudum deposuit, sed acerrimo studio cauet, ne quicquam neglegatur a leui pastorum caterua; quapropter rediens satyrorum turbis aspectis increpat Bacchi discipulos magna indignatione tri-

metri solutionum multitudine optime significata uu. 203 sqq. et num rei pecuariae bene consuluerint studiose sciscitatur. Possidet autem Cyclops μῆλα ut apud Homerum cf. uu. 28. 122. 162 al. 'oues et capras' et agnos a comitibus Ulixis ex antro actos uidet uu. 224 sqq. 189. Sed quattuor locis [1]) indicatur etiam boues in gregibus esse (cf. Borsdorf. commentar. in Theocr. id. XI, Iaurauiae 1874 p. 4) uu. 136. 218. 302. 389, quod, nisi arbitrari mauis non presse Homeri uestigia secutum esse hac in re Euripidem [2]), ideo eum instituisse existimauerimus, ut quam ditissimum dominum efficeret Polyphemum. Nutrimenta eadem fingit quae Homerus: lac et caseos uu. 122. 327; unum addit (nam μήλων βορᾷ etiam epicum Cyclopem uixisse consentaneum) carnem ferinam, quam iam pridem se abominari dicit Polyphemus uu. 247 sqq.:

ὡς ἔκπλεώς γε δαιτός εἰμ' ὀρεσκόου·
ἅλις λεόντων ἐστί μοι θοινωμένῳ
ἐλάφων τε, χρόνιος δ' εἴμ' ἀπ' ἀνθρώπων βορᾶς.

Nimirum non edit uir portentosus nisi θήρειόν τι δάκος, bestias feroces uel magnitudine praecellentes, leones uel ceruos, quorum pellibus uestitur cf. u. 330. Quam praedam captat per montes persequens uestigia cum canibus (130), quos praeter pecudes alit, qua de re infra accuratiora proferemus. Ad ferocitatem augendam pertinet etiam quod Euripides frumentorum expertes reddidit Cyclopes cf. uu. 121 sq. 133 sq., cum Homerus Od. IX, 107 sqq. frumenta eis terram ultro progignere narret, quae Euripideo Cyclopi necessitate coacta tantum gramina et pabulum praebet 332 sq. Neque tamen caret uita Polyphemi commoditate quadam et rusticana iucunditate, quamuis rudi-

---

1) Quamquam de integritate primi loci dubitamus; nam cur Silenus bouinum tantum lac adesse dicit (singulari numero βοός!), cum u. 218 caprinum inueniatur? Fortasse scribendum πυὸς γάλα, quod quidem lactis genus apud comicos crebro occurrit, quae coniectura quodammodo commendatur, quod Athen. XIV p. 658 c et ex eo Eustath. p. 1485, 32 legunt Διὸς γάλα.

2) In minutioribus rebus libere uersatum esse tragicum docet quod titionem oleaginum dicit Ulixes 455 (Od. IX, 319 sq.), quernum chorus 615.

bus moribus pastoris accommodata, quae maxime conspicua fit, ubi ipse Cyclops suae uitae consuetudinem exposite deformat 316 sqq. Et alias inueniuntur imagunculae bucolici coloris cf. 360:

δασυμάλλῳ ἐν αἰγίδι κλινομένῳ.

541:

καὶ μὴν λαχνῶδές γ' οὖδας ἀνθηρᾶς χλόης.

Vini autem uis procreat cantum Polyphemi, cuius apud epicum poetam nullum uestigium. Sed est mugitus potius quam carmen modulatum neque fauente Musa editur cf. 423. 425 sq., ut antrum late resonet. Titubat autem ex spelunca

ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος
σκαιὸς ἀπῳδός (489 sq.),

ut comissatum eat ad Cyclopes fratres (445 sq.), et carmen satietatem pransi potique illustrans effundit. Conuenit denique cum tota descriptione Euripidea quod dedignatur Cyclops muliebre genus et amorem muliebrem turpem iudicans exercitum, qui unius mulierculae causa Phrygum terram inuaserit (283 sq.) et quod fera libidine ebrietate inflammata secum trahit Silenum quasi Ganymedem suum puerili amore magis se delectari dicens quam muliebri his uerbis 581 sqq.:

οὐκ ἂν φιλήσαιμ'. αἱ Χάριτες πειρῶσί με.
ἅλις Γανυμήδην τόνδ' ἔχων ἀναπαύσομαι
κάλλιστα νὴ τὰς Χάριτας· ἥδομαι δέ πως
τοῖς παιδικοῖσι μᾶλλον ἢ τοῖς θήλεσιν.

Si totam imaginem Euripideam uno conspectu animo concipimus, in uniuersum secutus est poeta Homeri exemplum ferocitatem premens et barbaros mores, quos Ulixes ne eo quidem flectere potest, quod Graecae originis illum admonet uu. 297 sqq., quam quidem saeuitiam auxit singulis in rebus tragicus poeta de suo, omnino singula lineamenta magis exprimens et actionem eiusque condiciones astrictius ut dramaticus et distinctius elaborans. Neque magis quam Homerus ridiculum effinxit Polyphemum, sed una excepta scaena, ubi ebrium uacillantem induxit, ridiculas partes per totam fabulam adsignauit satyrorum choro. Illam autem ipsam scaenam non

dubitamus quin non primus proposuerit. Est enim ut uidimus tantum non manifesta in quibusdam rebus imitatio priorum, ueluti taetram gulam ad Epicharmum uel Cratinum reuocare poterimus, fortasse ad Aristiam uinulentiam. Neque nimis audacem esse putamus coniecturam, ex qua philosophandi studium, non ipsam philosophiam inde ab Epicharmo in Cyclopis sucum et sanguinem (si quidem habet poetica figura sucum et sanguinem) ita abiisse opinamur, ut ne Euripides quidem doctum ei sermonem subicere omitteret.

Tractatum esse argumentum de quo dicimus in aliis fabulis satyricis nulla iam exstant testimonia [1]). Quamquam lubenter unum uersum ad hoc potissimum genus relegemus trimetrum iambicum seruatum a Zenobio I, 92:

ἂν οἶνον αἰτῇ, κόνδυλον αὐτῷ δίδου, qui addit *ἐπὶ τῶν ἀγαθὰ μὲν αἰτούντων, δεινὰ δὲ λαμβανόντων. Ἡ δὲ ἱστορία ἀπὸ τοῦ Κύκλωπος, παρόσον αἰτήσας οἶνον τὸν Ὀδυσσέα τῶν ὀφθαλμῶν ἐστερήθη. Ὀδυσσέα γὰρ ἐν τῷ σπηλαίῳ κατασχὼν ὁ Κύκλωψ καὶ τοὺς ἑταίρους αὐτοῦ ἀρξάμενος κατεσθίειν, οἶνον παρ' αὐτοῦ λαβὼν ἔπιε καὶ ταύτην αὐτῷ τὴν χάριν δίδωσιν ὕστατον αὐτὸν καταφαγεῖν· μεθυσθεὶς δὲ μετὰ τὸ πιεῖν καὶ ὑπνώττων παρ' ἐκείνου ἐξετυφλώθη.* Integram huius uersiculi formam uidetur exhibere schol. Arist. pac. 123 Rau. et Ven. (D. p. 174 b, 53), ubi pro *κόνδυλον* legitur pluralis *κονδύλους* metricae legi respondens, quam hoc in prouerbio paulatim euanuisse ex altera forma licet colligi a Veneti solo scholiasta allata:

εἰ δὲ οἶνον αἰτεῖ, κόνδυλον αὐτῷ δός (D. p. 174 b, 48 sq.).

Aristophanis autem scholiastae cum adponant: *ὑπὲρ τοῦ ἐθίζειν τοὺς παῖδας μηδέν τι περιττὸν αἰτεῖν* (*ζητεῖν*) Bergkio poet. lyr. Gr. III⁴ p. 610 paroemiographi, 'qui haec ad Cyclopis fabulam rettulerunt, omnino doctrina uidentur intempestiue usi esse'. Sed miramur duas res inter se commutasse uirum

1) Lepidum fuit inuentum Timanthis pictoris satyricarum fabularum memoria fortasse excitatum, qui dormientem Cyclopem in tabella proponens magnitudinem ita expressit, ut 'satyros thyrso pollicem eius metientes iuxta pingeret' cf. Plin. n. h. XXXV, 74.

doctissimum: prouerbii usum et originem. Usurpatum esse hoc prouerbium de liberis nimia poscentibus facile largimur Aristophanis scholiastae et Bergkio, sed ut fit longe alia poterat esse origo, quam si testantur grammatici ab illa fabula esse repetendam, cur tergiuersemur? Iam cum trimetro inclusa sit sententia, ad quam alludere Aristophanem scholiastae adnotant, suspicamur ex dramate satyrico ante Aristophanis Pacem h. e. ante Ol. 89, 3 = 421 acto eam sumptam esse, cogita ex Aristiae Cyclope, ex quo prouerbialem uersum petitum esse supra uidimus. Imaginamur autem dixisse hoc satyrorum coryphaeum Ulixi et *κονδύλους* intellexisse titionem eodem modo, quo apud Euripidem uerbosus est in adhortatione magis quam in actione uu. 473 sqq. 483 sqq. 608 sqq. 630 sqq. 654 sqq. translato sensu palum funestum appellans *καρκίνον* u. 609.

Ex dramate satyrico fabula illa transiit ad id poesis genus, cui antiquitus erat cognatio cum satyrorum choris, in dithyrambum.

Caput V.

De Polyphemo et Galatea in dithyrambis.

§ 1.

De Timothei Cyclope.

Proficiscimur a loco Aristotelis multum uexato necdum prorsus ad liquidum perducto poet. II p. 1448 a, 10 sqq. Sermo est de imitatione (*μιμήσει*) agentium (*πραττόντων*) in quouis genere tractandi, quae quidem reddat aut meliores aut pares aut deteriores, et pergitur: *καὶ τὸ περὶ τοὺς λόγους τε καὶ τὴν ψιλομετρίαν, οἷον Ὅμηρος μὲν βελτίους, Κλεοφῶν δὲ ὁμοίους, Ἡγήμων δὲ ὁ Θάσιος ὁ τὰς παρῳδίας ποιήσας πρῶτος καὶ Νικοχάρης ὁ τὴν Δηλιάδα χείρους· ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς διθυράμβους καὶ περὶ τοὺς νόμους, ὥσπερ * * γᾶς, Κύκλωπας* [1])

1) Cod. Par. *ὥσπερ | γᾶσ κυκλωπᾶσ*

Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος, μιμήσαιτο ἄν τις· ἐν αὐτῇ δὲ τῇ διαφορᾷ καὶ ἡ τραγῳδία πρὸς τὴν κωμῳδίαν διέστηκεν, ἡ μὲν γὰρ χείρους, ἡ δὲ βελτίους μιμεῖσθαι βούλεται τῶν νῦν. Quaeritur, quid sit illud *γᾶς* in codicibus traditum. Propositurus est Aristoteles exempla, ut etiam in dithyrambis et nomis illam legem ualere demonstret: quapropter consentaneum esse duxerunt uiri docti et dithyrambi et nomi exemplum proponi. Ac iam pridem nomi exemplum e uerbis traditis elicuerunt sic legentes *ὥς Πέρσας* ⟨*καὶ*⟩ *Κύκλωπας Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος*, cum Pausaniae VIII, 50, 3 testimonio constet *Πέρσας* fuisse *νόμον* Timothei. Statuendum tunc erat et Timotheum et Philoxenum scripsisse et Persas et Cyclopem, quod reuera statuit quondam Bergkius poet. lyr. III[4] p. 616 sq. ipse tamen propter nimiam infirmitatem postea hanc opinionem reprobaturus. Et quid hoc loco *Πέρσαι*? Si Aristoteles duo tantum genera distinguere uolebat, ut duo tantum distinxit in dramatica poesi, non poterat discernere *ὁμοίους* et *χείρους*, quoniam prius nisi cum reliquis duobus generibus coniungitur plane otiosum est, sed debebat ut subinde *βελτίους* et *χείρους*. Cui autem generi tribuamus *Πέρσας*? Celebrabantur hoc nomo res a Graecis contra Persas praeclare gestae (Bippart. loco mox laud. p. 65), ac possit quispiam cogitare fuisse meliores descriptos illos *Μαραθωνομάχους*, sed cum *Κύκλωπας* in toto conexu nihil aliud significare possit quam ipsos Neptuni filios barbaros, non titulos tantum dithyramborum, etiam *Πέρσας* non solum titulum carminis alicuius, in quo meliores delineantur alii, accipere debemus, sed ipsos homines Persas, quos Timotheus neutiquam supra humanam uirtutem sustulisse putandus est. Porro nimis contorta et a simplici interpretatione abhorrens nobis uidetur quam posteriorem iniit rationem Bergkius l. l. p. 617, ut Timotheus in Persis meliores, idem in Cyclope mediocres, Philoxenus in Cyclope deteriores imitatus sit. Deinde illud *γᾶς* in nomen poetae auxerunt simul nomi exemplum recuperaturi, ueluti Vahlenus in altera ed. Aristot. poet. supplens *ὥσπερ θεοὺς Ἀργᾶς* ita quidem, ut *θεοί* Argae illius, quem *νόμους* composuisse scimus ex Athen. XIV p. 638 b,

melius genus, Cyclopes Timothei et Philoxeni deterius genus repraesentarent. Nuper tamen idem uir subtilissimus ut uidetur simplicissime mendum sustulit in Herm. uol. XII p. 192 scribens γάϱ, expositione tamen coniecturae supersedens, quam nos sic accipimus, ut talem ἀνομοιότητα inter Cyclopem Timothei et Philoxeni intercedere putemus, qualem aut inter pares et deteriores aut inter sublimiores et deteriores aut inter sublimiores et pares. An sic accipiendum, ut per se intellegatur nec per se commemorandum sit in dithyrambis et nomis sublime et par genus posse delineari, itaque uerbis ὥσπεϱ γὰϱ Κύκλωπας etc. humilis tantum classis inducatur exemplum, quo etiam hanc istis poesis generibus exprimi posse demonstretur? Utut hoc intellexit aenigmatista non persuasit γάϱ corruptum esse in γᾶς. Felicius nobis uidetur locum tractasse Susemihlius Mus. Rhen. XXXV p. 486 sqq., qui primus intellexit hoc exemplo non id agi, ut comprobetur diuersos poetas in diuersis poesis generibus diuersa argumenta diuerse tractare extollentem hunc, illum detrectantem, tertium fideliter delineantem, sed in eodem genere diuersos poetas idem argumentum diuerse tractare. Conclusit igitur et diuersos fuisse Cyclopes Timothei et Philoxeni atque huius quidem detractum, illum elatum, utriusque uero esse exemplum dithyrambi, id quod requireret simile exemplum nomi, quod nimis impedite sic suppleuit: ὥσπεϱ Πέϱσας Τιμόϑεος καὶ Ἀϱγᾶς, Κύκλωπας Τιμόϑεος καὶ Φιλόξενος. Hoc recte monuit uir doctissimus distinguendum esse etiam in Cyclopibus sublime, mediocre, humile genus tractandi, licet refragetur Eduardus Hiller in Burs. annal. 1881 I p. 134; nam posse in diuersis uel in eodem genere diuersos agentes diuerse fingi, ex. gr. in nomis et dithyrambis deos meliores, deteriores Cyclopes quid adnotaret Aristoteles, cum per se deorum maiestas, humilitas Cyclopum propria esset? Debent profecto in eodem genere et in diuersis tales diuersi exhiberi.

Sed nimium nobis uidetur Susemihlius orationis hiatum statuisse. Prudenti enim consilio Erwinus Rohde Mus. Rhen. XXXIV p. 572 adnot. 2 ex Stephani Byzantii et Suidae in enu-

merandis carminibus Timothei discrepantia effecit ambiguum fuisse nomen carminum quibus maxime floreret citharoedus Milesius, *νόμων* et *διθυράμβων*, quoniam uiderentur grammaticis propius accedere ad dithyrambum recentiorem Philoxeni quam ad priscum nomum Terpandri. Quid? Nonne statuere licet etiam Aristotelis loco dithyrambos et nomos pro uno genere copulatos esse ita quidem, ut exemplum ad utrumque genus quadrans electum sit: *Κύκλωπες* [1]). Hoc si uerum, textus ipse non modo indicat duorum ex tribus generibus poetas Timotheum et Philoxenum, sed suppeditat etiam corruptela tertium, cuius ex nomine remansit illud — *γᾶς*. Dubitari non potest, quin Timotheus repraesentauerit sublime genus, potest, utrum Philoxenus mediocre an infimum. Commendat tamen indoles Philoxenii poematis magis, ut prius statuatur, quoniam Cytherius ut postea uidebimus Cyclopeam naturam humanae circumdedit, optime igitur sic ut hominem exhibuisse Cyclopem dicitur. Ergo humillimi generis exemplum desideratur: nullum autem aptius quaerenti se offeret quam ab Athen. I p. 19 f sq. traditum: *Εὔδικος δὲ ὁ γελωτοποιὸς ηὐδοκίμει μιμούμενος παλαιστὰς καὶ πύκτας, ὥς φησιν Ἀριστόξενος· Στράτων δ᾽ ὁ Ταραντῖνος ἐθαυμάζετο τοὺς διθυράμβους μιμούμενος· τὰς δὲ κιθαρῳδίας οἱ περὶ τὸν ἐξ Ἰταλίας Οἰνωνᾶν, ὅς καὶ Κύκλωπα εἰσήγαγε τερετίζοντα καὶ ναυαγὸν Ὀδυσσέα σολοικίζοντα, ὁ αὐτός φησιν.* Haec memoria summa auctoritate fundata Aristoxeni Tarentini, Aristotelis discipuli, cuius in libellum *περὶ τραγικῆς ὀρχήσεως* fr. 48 relegat Muellerus fr. hist. Graec. II p. 284, non pauca praebet expeditu difficilia. Nihil enim scitur de Oenonae temporibus nisi quod ex ipso illo loco colligitur natu maiorem eum esse Aristoxeno nec multum confert ad accuratiorem scientiam quod eundem esse credunt uiri docti (primus O. Iahn. proll. Pers. p. LXXXVI adnot. 3) qui eodem Aristoxeno auctore (fr. 56 M.) ab Athenaeo XIV p. 638 b dicitur *τῆς κιθαρῳδίας πρῶτος ἐπὶ τὸ γελοῖον παρῳδὰς εὑρεῖν, Οἰνώπας*, cuius

1) Non est traditum dithyrambum fuisse Timothei Cyclopem cf. Rohdium l. l.

aemulatores perhibentur Polyeuctus Achaeus et Diocles Cynaetheus non magis noti quam is quem sibi ad imitandum proposuerunt. Aliquid tamen, si nobiscum putas citharoedorum illorum nomen esse unum, ex altero loco potest effici, ubi iunctura *ὥσπερ τῶν ἑξαμέτρων τινὲς ἐπὶ τὸ γελοῖον παρῳδὰς εὗρον, οὕτω καὶ τῆς κιθαρῳδίας πρῶτος Οἰνώπας* eo fert, ut quae secundum indolem hic componuntur epicae et citharoedicae poesis parodiae, eas ne temporis quidem magno interuallo existimemus disiunctas. Iam cum epicae parodiae inuentor omnium in ore sit Hegemo Thasius (cf. Aristot. poet. 2 p. 1448a u. Schraderum Mus. Rhen. XX p. 186 adnot. 1), Alcibiadis coaeuus, non multum aetate distare ueri simile est Oenopam illum uel Oenonan, citharoedicae parodiae inuentorem. Nonne adprime hic locus quadrat ad Aristoteleum illustrandum? Quemadmodum in epica poesi tertium genus imitationis efficit parodia Hegemonis Thasii, ita in dithyrambica uel nomica parodia Oenopae. Restituimus igitur apud Aristotelem huius mimi nomen, cuius ueram formam esse *Οἰνωνᾶς*, non *Οἰνώπας* arguit frustulum superstes perispomenon *γᾶς*. Neque uero sufficit substituisse nomen proprium *ὥσπερ Οἰνωνᾶς Κύκλωπας Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος*: altiore ulcere laborat uerborum collocatio. Falsus accentus uocis *Κυκλωπᾶς*, qualis legitur in codice Parisino, simplicissime sic explicatur, ut aberrasse putentur librarii oculi ad simile uerbum eiusdem notae, *Οἰνωνᾶς* nimirum[1]), quod aut praecessit uel secutum est aut, id quod hic probabilius uidetur, in proximi uersus capite fuit positum. Unde uidetur in superioris lineae initium elatum, ubi nunc remansit *γᾶς* ex *νᾶς* facile oriundum. Supplentes autem particulam *καί* sic arbitramur locum refingendum: *ὥσπερ Κύκλωπας Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος ⟨καὶ Οἰνω⟩νᾶς, μιμήσαιτο ἄν τις*· et agnoscimus testimonium de discrepantia carminum praecipue Timothei et Philoxeni. Videtur enim Timotheus Cyclopis naturam grandiorem quam taetriorem concepisse, magis

1) Nunc melius ad nostram rem faceret forma *Οἰνώπας*, quae scribenda esset *Οἰνωπᾶς*, sed nomina propria in *-ωπας* exeuntia uidentur paroxytona esse omnia cf. Fick. nom. pers. Gr. p. 141.

monstri immanitatem quam anthropophagi impudentiam denotasse, omnino magis Homerico charactere induxisse Cyclopem quam satyrico uel eo, qui postea demum in dithyrambo et comoedia obtinuit.

Ceterum de Timothei Cyclope pauca tantum ex fragmentis aliisque indiciis coniectare possumus congruentia tamen illa quidem cum ista Cyclopis indole. Ne de tempore quidem quo editi sint Cyclopes Timothei et Philoxeni neque uter prior, uter posterior, satis liquet. Philoxeni dithyrambum non potuisse ante Ol. 93, 4 agi postea uidebimus, solet autem a recentioribus ante Timothei carmen proferri. Sed omnino nescimus, quando Timotheus scripserit Cyclopem, nisi forte inde quid concludere licebit, quod priore loco laudatur ab optimae fidei auctore Aristoxeno in schol. Il. IX, 219; et ipsius aetas Timothei hoc uidetur comprobare. Etenim si marmori Pario ep. 76 fides est habenda, natus erat Ol. 83, 2 = 447, mortuus Ol. 105, 4 = 357, cum eodem auctore ep. 69 Philoxeniae uitae termini statuantur Ol. 86, 2 = 435 et Ol. 100, 1 = 380. Accipimus autem familiaritate quadam citharoedum coniunctum fuisse cum Euripide tragico, qui adulescentem explosum consolabatur (cf. Plut. an sen. s. ger. r. c. 23 p. 795 d), quocum Archelai hospitio fruebatur (cf. Plut. de Alex. fort. p. 334), in cuius cenotaphium epigramma composuisse perhibebatur (cf. Bippart. l. l. p. 58 sq.). Atque ante tragici fabulam satyricam scripsisse Timotheum carmen suum uix credibile[1]; potius adulescentem senioris poetae uestigia pressisse ueri simile, quamquam haec omnia specie magis quadam probabilitatis admissa quam demonstrata esse concedimus. Certe ante oculos habuisse Timotheum Euripidis drama uno fragmento comprobabimus. Neque magis certa scimus de carminis indole et argumento. Bene meruit de Timotheo Georgius Bippart: Philox. Timoth. Tel. dithyramb. rell. Lips. 1843, qui longe superat Mauricii Schmidt in diatrib. in dithyr. 1845 in coaceruandis

1) Mire errauit Hartungius in praef. edit. Eur. Cycl. p. 8 contendens auctores fuisse Euripidi praeter Choerilum (?) et Aristiam Timotheum et Philoxenum.

recentiorum commentis sedulitatem ad dispiciendam artem poetae parum fructuosam. Argumentum autem fabulam Homericam fuisse inter omnes constat. Spectant enim aperte ad uinum ab Ulixe Polyphemo praebitum uersus ab Athen. XI p. 465 c et Eustath. p. 1631, 61 sq. seruati (Bergk. l. l. fr. 5)

Ἔχευε [1]) *δ' ἓν μὲν δέπας κίσσινον μελαίνας*
σταγόνος ἀμβρότας ἀφρῷ βρυάζον·
εἴκοσιν δὲ μέτρ' ἀνέχευεν ἔμισγέ θ'
αἷμα Βακχίου νεοῤῥύτοις δακρύοισι Νυμφᾶν.

Notanda autem est imitatio Homeri, cum paene ad uerbum expressa dixeris haec de Od. IX, 208 sqq.:

τὸν δ' ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρόν,
ἓν δέπας ἐμπλήσας ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα
χεῦ'· ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει
θεσπεσίη· (cf. Bipp. p. 71).

Atque *δέπας κίσσινον* apud Homerum est *κισσύβιον* u. 346, quod *ποιμενικὸν ποτήριον* esse, *ὁποῖον καὶ τῷ συβώτῃ ἐν τοῖς ἑξῆς Εὐμαίῳ ἐστίν, ὡς δηλοῖ φασι καὶ Τιμόθεος ἐν τῷ κατ' αὐτὸν Κύκλωπι, παραφράσας οὕτως* adnotat Eustathius hausta ut uidetur doctrina ex schol. Od. IX, 346, et habet Euripidis Cyclops *σκύφος κισσοῦ* u. 390 [2]). Sed cauendum est, ne *δέπας κίσσινον* de Cyclopis uasculo intellegamus, quamquam hoc suadere uidetur Eustathii adnotatio. Nam uix credibile est miscuisse uinum quo Polyphemum sopiturus esset Ulixem, neque Homerus neque Euripides hoc dixerunt, sed potius quam fortissimum potum suggerere fortissimo uiro e re erat. Praue igitur Eustathius antiquiorem auctorem exscripsit Athenaei loco inductus, qui perperam Homeri illos uersus uerbis in-

1) Schneidewini coniectura Nunt. Gott. 1844 p. 1386 *ἔπλησε* reiectanea, quod de mistione sermo, ubi funditur et uinum et aqua; expletur non poculum, sed crater.

2) Ingentis magnitudinis sibi fingunt poculum Cyclopi oblatum Deipnosophistae Athen. XI p. 461 c d. 481 e, cum ter exhaustum Cyclopem prostrauerit, et reprehendunt Dionysium Samium, quod in compendio mythologico (cf. Welcker. cycl. ep.[2] p. 70 sqq.) illud *κυμβίον* appellauit; cf. et. Athen. XI p. 477 d e.

cohat *καὶ Ὀδυσσεὺς ὤπασεν*. Subiectum enim est Maro, a quo dono acceperat uinum illud Ulixes, neque de alio in Timothei uersibus cogitandum erit, quod Bippartus intellexit p. 71, etsi hic Ulixem illis uersibus apud Homerum egregium uinum Maronis Cyclopi commendare falso dicit. Apud Timotheum ad hunc finem Ulixem illos uersus elocutum esse libenter concedimus, nisi forte simplex narratio agnoscenda erit. Alterum fragmentum (fr. 4) Chrysipp. *περὶ ἀποφατικῶν* c. 10: *εἰ Κύκλωψ ὁ τοῦ Τιμοθέου πρός τινα οὕτως ἀπεφήνατο*

οὔτοι τόν γ' ὑπεραμπέχοντα
οὐρανὸν εἰσαναβήσει,

quod cur priore loco posuerit Bergkius nescimus, posteriori carminis parti adsignandum est probabiliter, non certo a Bipparto p. 72 sic explicatum, ut Cyclops occaecatus Ulixem per antrum quaerens minaretur utique se illum apprensurum, cum uix in caelum ascensurus esset. Ex incertae autem sedis fragmentis non sine specie ueri arcessitum est Etym. M. p. 630, 41 (fr. 7):

τεταμένον ὀρίγανα διὰ μυελοτρεφῆ,

qui uersus de Cyclope per speluncam strato intellegendus uidetur, nec tamen ut origano antrum ornatum sit, sed ut — Bipparti p. 73 opinionem sequimur — *ὀρίγανα μυελοτρεφῆ* dithyrambico tumore significent uinum organitum (cf. Caton. de agri cult. c. 127, 2), cuius ui prostratum *τανυσσάμενον διὰ μήλων* (Hom. Od. IX, 298) Ulixes uisu priuaturus erat.

Ac fortasse Bergkio ut umbram alicuius de hoc fragmento testimonii resuscitaret contigit. Apponitur enim peruerse in Etym. M. *Ὀδυσσείας δ'*, unde ille nonnullis codicibus fauentibus edolauit *Ὀδυσσεῖ*. Ac possumus ultra progredi. Etenim cum Suidas s. u. *Τιμόθεος* c titulum carminis singularis enumeret *Πέρσας ἢ Ναύπλιον* iunctura ut uidetur peruersa, contra Athenaeus VIII p. 338 a et ex eo Eustath. p. 1538, 5 exhibeant *ἐν τῷ Τιμοθέου Ναυτίλῳ*, primus Bippartus p. 63 duplicem aliquem titulum fuisse coniecit *Ναυτίλος ἢ Ναύπλιος* ut nobis quidem uidetur sine ullo sale. Nam cur *Ναυτίλος* addebatur, cum celeberrimum nautam esse Nauplium nemo nesciret

(Apollod. bibl. II, 1, 5, 13. II, 7, 4, 3. III, 2, 2, 1), ut de inepto syllabarum lusu taceamus, quem ab hac tituli duplicatione abhorrere putamus. Quid? nonne titulus esse poterat *Ὀδυσσεὺς ναυτίλος* item atque *Ὀδυσσεὺς ναυαγός*, totus autem *Κύκλωψ ἢ Ὀδυσσεὺς ναυτίλος*, ueluti apud Euripidem u. 98 Ulixes se comitesque suos appellat *ναυτίλους κεχρημένους*? Conueniat autem cum hoc argumento quod de *Ναυτίλῳ* Timothei refert Athenaeus l. l. Dorionem iocatum esse tempestate aliqua a Milesio in *Ναυτίλῳ* descripta [1]) in olla bulliente se maiorem uidisse, cum Cratinum quoque similia in scaena proposuisse uiderimus. Quamquam ad Nauplium quoque quadrat tempestatis descriptio. Porro ad Cyclopem uidetur pertinuisse error aliquis Timothei ab Aristonico (Aristarcho) ad Il. IX, 219 notatus (Bergk. fr. 19): *ἡ διπλῆ, ὅτι θῦσαι οὐ σφάξαι, ὡς ὁ Τιμόθεος ὑπέλαβεν καὶ Φιλόξενος, ὁμοίως τῇ ἡμετέρᾳ συνηθείᾳ, ἀλλὰ θυμιᾶσαι καὶ ὅτι θυηλὰς τὰς ἐπιθυομένας ἀπαρχάς.* Philoxeni autem praua interpretatio illius uerbi quo pertineat cum Suidas indicet s. u. *ἔθυσας, ἀντιθύσῃ*, etiam Timotheum eodem loco peccasse ueri simile Od. IX, 231:

ἔνθα δὲ πῦρ κήαντες ἐθύσαμεν et q. s.

Uterque enim uidetur de pecudibus Cyclopis mactatis cogitasse. Miramur autem, quod interpretes huic poemati nondum uindicarunt uersus ab Anaxandride apud Athen. X p. 455 f. (fr. 17) *ἐν Αἰσχρᾷ* prolatos, quos cum Meinekio sic scribimus

Ἀρτίως διηρτάμηκε καὶ τὰ μὲν διανεκῆ
σώματος μέρη δαμάζετ' ἐν πυρικτίτοισι γᾶς·
Τιμόθεος ἔφη ποτ', ἄνδρες, τὴν χύτραν οἶμαι λέγων.

Solent Timotheo tribuere ultima tantum uerba *ἐν πυρικτίτοισι γᾶς*, quod haec sola explicat Anaxandrides, sed nobis ultimi uersus ratio uno tenore praegressis subiuncti suadere uidetur, ut horum si non metrum et uerba ipsa omnia, at certe argumentum Timothei esse cum Bipparto p. 79 statuamus. Referimus autem hos uersus ad Cyclopem comites Ulixis mactantem

1) Quae Schmidtius l. l. p. 112 sq. Eustathii loco, qui nisi Athenaeum hic auctorem habet neminem, fretus de retractatione (*διασκευή*) dicit, non intellegimus.

et uario modo ad cenam apparantem. Primum enim corpora discindit in singula membra [1]), deinde partes porrectas in ollis coquit. Apparet autem illi *τὰ μέν* respondere debere *τὰ δέ*, quo eas partes addiderit poeta, quas ferus ille coquus igne assauerit; quapropter *τὰ διανεκῆ μέρη* sensum adipiscuntur porrectarum partium corporis i. e. bracchiorum crurumque [2]) praestantiorem haud dubie Bipparti insulsa explicatione, qui uocabulum *διανεκῆ* ad magnitudinem partium pertinere censet. Manifestus autem est cum Euripidis Cyclope conexus, qui similem in dape administranda distinctionem expressit uu. 402 sqq.:

καὶ καθαρπάσας
λάβρῳ μαχαίρᾳ σάρκας ἐξώπτα πυρί,
τὰ δ' εἰς λέβητ' ἐφῆκεν ἕψεσθαι μέλη.

Propter tenuitatem autem fragmentorum uix certo dici poterit, quomodo compositum fuerit poema Timothei. Probabiliter id tantum statuere poterimus luxuriatum esse poetam in uinulentia Polyphemi uinique et potentia et praestantia describenda secutum exemplaria Homeri et Euripidis, Aristotele autem teste nobiliore usum Cyclopis delineatione, quacum consentit sermo fragmentorum.

§ 2.

De Philoxeni dramate.

Bene accidit, quod de hoc opere paulo accuratiora sciri possunt testimoniis magis quam fragmentis, nec defuerunt qui redintegrando carmini operam nauarent. Videtur autem, ut uetustiora omittamus, intra annos 1843—1846 quasi certamen restaurandi ortum esse praeeunte Bergleinio: de Philoxeno Cytherio Gott. 1843 commentatione prudenti iudicio insignita. Secuti sunt eodem anno Bippartus l. l., a. 1845 Maur. Schmidt,

1) Cf. Etym. M. p. 270, 9 adnot. (cod. Voss.) *διαρταμήσαντες· διακόψαντες, διαμερίσαντες· οἷον μεληδὸν διαρταμήσαντες* ex Meinekii coniectura pro *μηληδόν*.

2) Sic intellexit Dalecampius; cf. Hesych. *διηνεκέσιν· ἐκτεταμένοις, μεγάλοις.* Meinekius *νῶτον διηνεκές* intellegit.

eodem anno Guilielmus Klingender: de Philoxeno Cytherio dissertatione inaug. Marburg. et tempore et pretio ultima, uerborum iactantia plerumque inuenta recoquente, prauo iudicio nonnumquam detorquente. Denique a. 1846 Hartungius Philol. I p. 415—417 hunc dithyrambum tetigit repetens magis quam ipse inuestigans. Igitur cum tantum curae in re nihilominus dubia positum pauca reliquerit frumento demesso spicas legenti, quae postulat commentatiunculae integritas breuius repetemus paulo plenius de Synesii epistula expositori.

Maxime memorabile et plane nouum in Philoxeni dithyrambo est, quod primum et commemoratur et intente tractatur amor Cyclopis in Galateam Nereidem. Nam quae ante Cytherium huius rei uestigia indagasse sibi uisi sunt uiri docti, ea nulla sunt, ueluti Welckeri commentum, quod in adnotationem 17 comment. de Epicharmo p. 322 relegauit, in Cratini fr. 143 fortasse inter delicta illa, ἀνϑ᾽ ὧν tosturus est Cyclops comites Ulixis, cogitandum esse de Galatea ab iis intemperanter lacessita, cuius rei infirmissimum testimonium ingenio nimis indulgens ex fr. 146 nondum expedito petere non debebat. Si iusta esset reprehensio illa Polyphemi, artam Galateae cum illo consuetudinem exspectaremus ab hoc tempore alienam. Nec cum toto consilio fabulae Cratineae in διασυρμῷ Ὀδυσσείας posito hoc concineret. Nec magis certum, quod Natalis Comes (Conti Natale) Mythol. IX, 8 p. 987 [1]) refert: 'dicitur Polyphemus non modo amasse Galateam, sed etiam Galatum ex illa suscepisse, ut testatus est Bacchylides', cui paulo cautius fidem habere debuerunt Bipp. p. 34 adnot. 16 et Schmidt. p. 56, cum nunc quidem antiqui scriptoris auctoritas deficiat [2]) (cf. infra cap. X). Ignoramus autem, num Galatea nympha ante Philoxenum carminibus sit celebrata, quam inter ceteras Nerei filias eminuisse epitheto Homeri (Il. XVIII, 45) ἀγακλειτή non satis comprobatur (cf. Hes. theog. 250). Cau-

1) Qua nos usi sumus editionis Geneu. a. 1651 est p. 975 (Bergk. Bacchyl. fr. fin. laudat p. 987).

2) Ceterum confudit etiam Natalis Comes Polyphemum Cyclopem cum Polyphemo Argonauta l. l. p. 973 sqq.

sam uero, cur Philoxenus amorem potissimum Polyphemi induxerit, non sine controuersia tradunt auctores. Legitur enim ap. schol. Theocr. VI, 7: *Δοῦρίς φησι διὰ τὴν εὐβοσίαν τῶν θρεμμάτων καὶ τοῦ γάλακτος πολυπλήθειαν τὸν Πολύφημον ἱδρύσασθαι ἱερὸν παρὰ τῇ Αἴτνῃ Γαλατείας. Φιλόξενον δὲ τὸν Κυθήριον ἐπιδημήσαντα καὶ μὴ δυνάμενον νοῆσαι τὴν αἰτίαν ἀναπλάσαι, ὅτι Πολύφημος ἤρα τῆς Γαλατείας.* Contra Athenaeus I p. 6 f — 7 a refert: *συνεμέθυε δὲ τῷ Φιλοξένῳ ἡδέως ὁ Διονύσιος. ἐπεὶ δὲ τὴν ἐρωμένην Γαλάτειαν ἐφωράθη διαφθείρων, εἰς τὰς λατομίας ἐνεβλήθη· ἐν αἷς ποιῶν τὸν Κύκλωπα συνέθηκε τὸν μῦθον εἰς τὸ περὶ αὐτὸν γενόμενον πάθος, τὸν μὲν Διονύσιον Κύκλωπα ὑποστησάμενος, τὴν δ' αὐλητρίδα Γαλάτειαν, ἑαυτὸν δ' Ὀδυσσέα.*

Apparet, qua in re discrimen positum sit. Duris Samius primum Cytherium poetam de suo finxisse amorem Polyphemi in Galateam dicit, Athenaeus mythum uulgatum ab illo ad propriam sortem aptatum esse. Per se Athenaei narratio speciem ueritatis prae se fert, cum talia deorum heroumque commercia non a poetis fingantur, sed ex mythologica uulgi memoria sumantur. Atque est Duris Samius dubiae fidei auctor[1]; quamquam quod priore loco exhibet condidisse Polyphemum propter pecudum pascuorumque praestantiam et lactis ubertatem ad Aetnam montem Galateae fanum reuera uidetur inter Siculos fama uulgatum fuisse, cum Lucianus quoque de uer. hist. 2, 3 templum Galateae Nereidis in fabulosa insula fuisse narret (cf. Iahn. l. l. p. 411; Helbig. l. l. p. 361). Errasse autem Duridem iam intellexit Bergleinius p. 44 sqq., qui recte sic rem sibi constituit, ut Galateae 'nominis originationem Siculis rei pecuariae imprimis deditis ansam dedisse' affirmaret, 'ut in nymphae marinae simul tutela pecudes esse crederent gregumque secundum prouentum cum lactis ubertate ad eam auctorem referrent (cf. Eustath. p. 1131, 5 sqq. 1622, 21 sq.)'. Qua opinione ducti etiam Polyphemum uidentur fani illius fortasse reuera propter faustam nauigationem consecrati conditorem

1) Mueller. fr. hist. Gr. II p. 468. Eckertz.: de Duride Samio imprimis de eius in rebus tradendis fide, Bonn. 1842 p. 16.

fecisse, quem amore Nereidis potissimum flagrasse communis origo ad deos marinos reuocata uulgo fabulatori facile persuaderet. Athenaeum igitur secuti, de cuius fonte statim pauca addemus, totum carmen artissime cum uita Philoxeni cohaesisse comperimus.

Constat autem poetam diutius uel saepius Syracusis apud Dionysium maiorem tyrannum uersatum esse, qui regno potitus est Ol. 93, 4. Bergleinius accuratius tempus illius commorationis simulque dithyrambi definire conatus inde ab anno Ol. 97 altero, cum debellatum esset cum Carthaginiensibus, pacem magis continuam satis otii talium studiorum suggessisse (Diod. XV, 6) non male coniecit. Refertae sunt eorum historiae, qui de Dionysio scripserunt uel res Syracusanas illius temporis tetigerunt, lepidis fabellis de tyranni et poetae altercationibus et reconciliationibus (cf. Diod. l. l.; Luc. adu. ind. 15; Plut. de fort. Al. p. 334; Athen. I, 6; Suid. s. u. *Φιλοξένου γραμμάτιον*; u. Holm. Sic. II p. 449), praesertim cum poeta carminum pangendorum studio a tyranno sibi soli placente pertinacius exercitato minime faueret ob iudicii libertatem saepius in lautumias coniectus. Quam quidem poenam perpessus esse dicitur ab Athenaeo etiam cum tibicinam aliquam a Dionysio amatam attrectasset, qua de re audiendus etiam schol. Arist. Plut. 290 p. 341 b, 24 sqq. D.: *ὁ Φιλόξενος ὁ διθυραμβοποιὸς ἐν Σικελίᾳ ἦν παρὰ Διονυσίῳ. λέγουσι δὲ ὅτι ποτὲ Γαλατείᾳ τινὶ παλλακίδι Διονυσίου προσέβαλε· καὶ μαθὼν Διονύσιος ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς λατομίαν. φεύγων δὲ ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὰ ὄρη* (cum deterioribus codd. priores peruerse *μέρη*) *τῶν Κυθήρων καὶ ἐκεῖ δρᾶμα τὴν Γαλάτειαν ἐποίησεν, ἐν ᾧ εἰσήνεγκε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας· τοῦτο δὲ αἰνιττόμενος εἰς Διονύσιον· ἀπείκασε γὰρ αὐτὸν τῷ Κύκλωπι, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὁ Διονύσιος οὐκ ὠξυδόρκει.*

Differentia exstat aliqua, quod Aristophanis scholiasta in montibus Cytherorum insulae factum esse drama autumat, dum in ipsis lapicidinis Cyclopem compositum esse tradit Athenaeus, quocum consentit Aelianus uar. hist. XII, 44, qui addit pulcherrimam lautumiarum cauernam nomen accepisse a Phi-

loxeno. Magis arridet quod habet Athenaeus quem plerique secuti sunt; sed ob id ipsum, quod nimis concinna euadit narratio, cui Aeliani sophistica ratiocinatio quin adiceret uerba *παρ᾽ οὐδὲν θέμενος τὴν ἐκ Διονυσίου τιμωρίαν καὶ καταδίκην, ἀλλ᾽ ἐν αὐτῇ τῇ συμφορᾷ μουσουργῶν ὁ Φιλόξενος* temperare non potuit, commenticia uidetur etiam ab Aeliano *φασί* uerbo paululum addubitata. Potuit autem Philoxenus posteriore aliquo uitae tempore in patriam redire, ubi liberius odio suo satisfaceret, quamquam e lautumiis Tarentum fugisse dicitur a Suida s. u. *Φιλοξένου γραμμάτιον* (cf. Bipp. p. 27 adnot. 28)[1]. Composuit autem carmen haud dubie aula Sicula relicta. Quid? quod Athenaeus I p. 6ef Phania Eresio auctore narratiunculam refert de ioco aliquo coram Dionysio a poeta instituto, ut maiorem mullum tyranno appositum adipisceretur, ubi aperte profitetur Philoxenus se Galateam scribere ideoque a pisce natu maiore de Nerei rebus melius edoctum iri? Quam contradictionem recte cognouit Klingenderus p. 72 adnot. 96, qui Athenaeum ipsum sibi non constare dicit. Sumpsit autem compilator hanc quidem fabellam ut ipse indicat ex Phania Eresio, certe usque ad uerba *τὴν τρῖγλαν τὴν παρακειμένην αὑτῷ*, id quod enuntiatorum ratio ostendit. Num cetera quoque ab eodem auctore mutuatus sit ualde dubitamus, quamuis Muellerus fr. hist. Gr. II fr. 13 sic existimet; nam continuatur oratio enuntiato directo nec sequitur indirectum ut supra, ubi sequenti enuntiatione *τὸν οὖν Διονύσιον γελάσαντα* et q. s. etiam praegressum *εἶπεν* ad uerba *Φανίας φησίν* adligatur. Neque ullum scriptorem potuisse aperte sibi contradicentia sic adnectere nihil accuratius addentem putamus; quare ultima, quae testimonium de carminis origine continent, Phaniae abroganda esse censemus[2], quamquam haec quaestio non prius diiudi-

1) Vide etiam Schneidewinum Nunt. Gott. a. 1844 p. 1378, qui pro uerbis *εἰς τὰ ὄρη τῶν Κυθήρων* conicit *εἰς τὰ περὶ Κρότωνα*.

2) Possit quispiam cogitare omnia ex Phania sumpta esse, sed diuersis ex libris; ac potuit sane Eresius easdem res bis tangere, quod etiam Muellerus l. l. monuit, in libro *περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων* et in libris *περὶ ποιητῶν*.

cari poterit, quam de Athenaei in fontibus usurpandis ratione certiora cognouerimus.

Ipsa autem fabella haud dubie a peripatetico ficta est suspecta illa quidem etiam eo, quod gulosum hominem depingit Philoxenum (cf. *περιπαθὴς ὢν τοῖς ὄψοις*), qua in re maxime cernitur commutatio Cytherii cum Leucadio (cf. Schmidt. l. l. p. 12). Nam colligere iam prius de Galatea carmine celebranda cogitasse poetam et postea crimine commisso mythicum argumentum ad irrisionem tyranni inuertisse nimis temerarium esset. Omnino autem et Athenaei et Aristophanis scholiastae ut uidetur optime eruditi (u. ultima uerba *ἀπείκασε* etc.) testimoniis de occasione et origine carminis fidem abrogare, id quod fecit Schmidtius p. 56 (cf. etiam p. 16) dicens: ʽne multis quae de tyranni caecitate adduntur impugnem, mirus profecto casus tulisset, si tot cum rerum tum nominum similitudines tam prospere se non tam obtulissent poetae quam accommodassent potius submisissentque', superciliosi, non cauti iudicii est. Nam quae tot se submiserunt rerum nominumque similitudines? Nominum una, qua commotum Philoxenum omnino carminis consilium concepisse existimare licebit, quod idem erat nomen tibicinae atque Nereidi: Galateae; rerum nulla alia, quam quod scaena utraque in Sicilia. Nam omnis fabula amatoria, ubi inops aliquis amator ab aemulo et potentiore et minus amabili oppugnatur et opprimitur — antiqua fabula semper noua — facile ad Cyclopis et Galateae amores cum Ulixe coniunctos deflecti potest, praesertim si de suo Ulixis partes poeta finxit. Si uero luminis acie carebat Dionysius, adprime hoc conueniebat ad hanc potissimum fabulam [1]) et a poeta studiose arripiebatur, sed ne necesse quidem erat accedere hanc opportunitatem.

Ficta esse quae Athenaeus tradidit credit etiam Klingenderus p. 54 sq., qui postquam ipse nonnulla suggessit, quae optime faciant ad mythi et irrisionis meditatam iuncturam, ʽeo

1) *Κυκλώπειον βλέμμα* in prouerbium abiit, si Suidae Vossiano s. u. *Κύκλωπες* fides habenda; uar. l. *κλέμμα*.

cernit Athenaei inconsiderantiam, quod sub Ulixis persona poetam latuisse dicit. Nam debuisse poetam, si fabulam de Cyclope Galateam amante ad ea quae ipse expertus esset accommodare uoluisset, non omittere eam rem, quae ipsi talis carminis tali modo componendi quasi ansam praebuisse crederetur, sed suam personam ei tribuere, quem fama Galateae amatorem fuisse ferret. Cum uero numquam quisquam audiuerit Ulixi rei quicquam cum Galatea fuisse, exspectandum potius substitui in eius locum Acin', quod fecit re uera Droysenius in Arist. Plut. uersion. u. 290, reprobat tamen iure suo Klingenderus. Num credibile est poetam eius personam induxisse, quem saxo obrutum Polyphemo poenas dedisse in fabulis Siculorum esset? Quasi uero quicquam interfuerit poetae poenam istam premere. Immo ultionem suam premere uolebat, ultus autem Polyphemum solus est Ulixes, non Acis (cf. etiam Bipp. praef. p. IX). Hac certe in re ad suum commodum mythum poterat deflectere, si deflexit. Ita autem statuit Klingenderus p. 55 de ueterum opinione: 'fuisse quidem nonnulla in Philoxeni poemate uidentur, quae et ad poetam ipsum et ad Dionysium pertinerent; quod ubi cognitum est, totum carmen ad tyrannum illudendum conditum esse subque fabulosis illis Ulixis, Polyphemi personis homines certo tempore uere uiuentes latere creditum est. Tibicina autem illa ficta uidetur esse, ut haberent quae Galateae nymphae responderet'.

Est merum autoschediasma quod dicitur substitutum in locum testimoniorum, quae nulla argumentatione reiecta sunt. Atque cur tantopere inauditum erat uellicari tali ratione Syracusanorum tyrannum? Etenim ne ad priscae comoediae libertatem prouocemus, mediae nouaeque poetarum proprium erat externos tyrannos sale perfricare, cum domesticos non possent. Plane autem simili ratione usus erat quondam Cratinus, qui in Nemesi comoedia Periclem et Aspasiam subdiderat personis Iouis et Nemesis (cf. Bergk. comment. de rell. com. Att. ant. p. 130). Statuimus igitur eo consilio composuisse dithyrambum Philoxenum, ut castigaret Dionysium.

Iam si ad ipsius dithyrambi[1]) artem atque rationem exponendam pergimus, grauissimam materiam praebent scholia ad Aristoph. Pluti uu. 290 et 298 accedentibus paucis fragmentis et testimoniis. Per ludibrium enim Aristophanes Philoxeni dithyrambum imitatus est in illo cantico Pluti, cum Cario seruus Pluto domum Chremyli ducto (uu. 249 sqq.) agricolis conuocatis (uu. 253 sqq.) diuitiis et meliore uita promissis (uu. 261 sqq.) saltando Cyclopem agens chorum ducit. Ex his tamen uersibus 290—301 dolendum, quod non satis certa ut ex parodia[2]) colligi possunt, nisi ex scholiis iis fides accedit.

Καρ. καὶ μὴν ἐγὼ βουλήσομαι θρεττανελὸ τὸν Κύκλωπα
μιμούμενος καὶ τοῖν ποδοῖν ὡδὶ παρενσαλεύων
ὑμᾶς ἄγειν· ἀλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπαναβοῶντες
βληχώμενοί τε προβατίων
αἰγῶν τε κιναβρώντων μέλη,
ἕπεσθ' ἀπεψωλημένοι· τράγοι δ' ἀκρατιεῖσθε.
Κορ. ἡμεῖς δέ γ' αὖ ζητήσομεν θρεττανελὸ τὸν Κύκλωπα
βληχώμενοι, σὲ τουτονὶ πινῶντα καταλαβόντες,
πήραν ἔχοντα λάχανά τ' ἄγρια δροσερά, κραιπαλῶντα
ἡγούμενον τοῖς προβατίοις,
εἰκῇ δὲ καταδαρθόντα που,
μέγαν λαβόντες ἡμμένον σφηκίσκον ἐκτυφλῶσαι.

Subit statim imago Polyphemi saltantis et gregem suum, quem ex ouibus et capris compositum esse uidemus, ducentis. Scholia autem addunt induxisse Philoxenum Cyclopem *κιθαρίζοντα* uel *λύραν κατέχοντα* et ex ipso dithyrambo ad uerbum repetita esse '*ἀλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπαναβοῶντες*' p. 341 b, 12 sq., quibus uerbis Cyclops cogitandus erit adhortatus esse

---

1) Ab omnibus animaduersum est modo Cyclopem modo Galateam dithyrambum inscribi:

Κύκλωψ: schol. Arist. p. 341 b l. 5. 13.
Athen. I p. 7 a.
Zenob. V, 45.
Γαλάτεια: schol. Arist. p. 341 b l. 28.
Athen. I p. 6 e.

2) Saepius hoc Philoxeno ut omnibus dithyrambographis accidisse notum est.

pecudes, ut suam citharaeque uocem adiuuarent, et *θρεττανελό* (p. 341 a, 53 sqq.: *ἔστι δὲ τὸ θρεττανελὸ τῆς λύρας ἀπήχημα καὶ οὐ συνάπτεται πρὸς τὴν σύνταξιν· ἀλλὰ διότι καὶ αὐτὸς ᾖδε, τούτου χάριν ἐνέθηκεν*)[1]), quod optime sic explicauit Bergleinius p. 49, ut Polyphemus 'uelut pulsandi expers uoce strepitum lyrae imitaretur et post complures uersus cantum suum uoce illa interpellaret'. Cantu autem quamuis dissono Polyphemus Galateae animum superbum mulcere eamque allicere uoluit cf. schol. p. 341 b, 17 sqq.: *ἐκεῖ γὰρ εἰσάγει τὸν Κύκλωπα κιθαρίζοντα καὶ ἐρεθίζοντα*[2]) *τὴν Γαλάτειαν.*

Praeterea autem caecationem quoque ut hac uoce utamur Polyphemi expressam fuisse discimus ex schol. ad u. 298. Vario modo uiri docti diuersas has actiones se subsecutas conexasque finxerunt. Qui in uniuersum parodiam Aristophaneam ad cursum carminis Philoxenii adumbratam esse consentiunt neque priores, qui de hac re scripserunt, alium ducem secuti sunt. Sed primus ut uidetur Bergkius epistulam aliquam ostendit Synesii episcopi, qui sub finem saeculi p. Chr. n. IV. philosophiae litterisque omnis generis sat fructuosam nauauit operam. Agitur autem in epistula 121 de litteris ab Athanasio quodam, qui propter scelus aliquod carcere inclusus fuisse uidetur, ad Synesium datis, ut in libertatem se uindicaret. Cui respondet Cyrenaeus episcopus numquam se manum porrecturum homini fraudatori ad iustitiam impediendam, quod sibi ut sacerdoti minime liceret. Iam initio epistulae comparat Athanasium illum carcere inclusum cum Ulixe antro Polyphemi incluso, qui frustra custodi ut se dimittat persua-

---

1) Cur Bergkio fr. 11 uideatur ridiculi gratia hoc ipse finxisse Aristophanes non intellegimus, cum testetur etiam alter schol. p. 341 b l. 16 sqq. *εἶτα κιθάρας ἦχον μιμούμενος ἐν τῷ συγγράμματι τοῦτό φησι* (subiectum solus esse potest Philoxenus) *τὸ ῥῆμα θρεττανελό.* Ex uerbis enim p. 341 b, 11 *τὸ δὲ θρεττανελὸ ποιὸν μέλος καὶ κρουμάτιόν ἐστι, τὸ δὲ ἀλλ' εἶα τέκεα* etc. nihil suspicionis contrahi potest, cum particularum aduersatiuarum in scholiis usus non tam premendus sit.

2) Non feliciter Bergk. *τερετίζοντα εἰς* ex Athen. I p. 20 a; *ἐρεθίζειν* pariter usurpatum atque *ἐρέθω* Ps.-Mosch. III, 85.

dere studeat, quamuis magna illi officia polliceatur. Iam exscribamus hanc epistulae partem ex Hercheri editione:

Ὀδυσσεὺς ἔπειθε τὸν Πολύφημον διαφεῖναι αὐτὸν ἐκ τοῦ σπηλαίου. ʻγόης γάρ εἰμι, καὶ εἰς καιρὸν ἄν σοι παρείην οὐκ εὐτυχοῦντι τὰ εἰς τὸν θαλάττιον ἔρωτα. ἀλλ' ἐγώ τοι καὶ ἐπῳδὰς οἶδα καὶ καταδέσμους καὶ ἐρωτικὰς κατανάγκας, αἷς οὐκ εἰκὸς ἀντισχεῖν οὐδὲ πρὸς βραχὺ τὴν Γαλάτειαν. μόνον ὑπόστηθι σὺ τὴν θύραν ἀποκινῆσαι, μᾶλλον δὲ τὸν θυρεὸν τοῦτον· ἐμοὶ μὲν γὰρ καὶ ἀκρωτήριον εἶναι φαίνεται. ἐγὼ δὲ ἐπανήξω σοι θᾶττον ἢ λόγος, τὴν παῖδα κατεργασάμενος. τί λέγω κατεργασάμενος; αὐτὴν ἐκείνην ἀποφανῶ σοι δεῦρο πολλαῖς ἴυγξι γενομένην ἀγώγιμον, καὶ δεήσεταί σου καὶ ἀντιβολήσει, σὺ δὲ ἀκκιῇ καὶ κατειρωνεύσῃ. ἀτὰρ μεταξύ μέ τι καὶ τοιοῦτον ἔθραξε, μὴ τῶν κωδίων ὁ γράσος ἀηδὴς γένηται κόρῃ τρυφώσῃ καὶ λουμένῃ τῆς ἡμέρας πολλάκις. καλὸν οὖν εἰ πάντα εὐθετήσας ἐκκορήσειάς τε καὶ ἐκπλυνεῖς καὶ ἐνθυμιάσειας τὸ δωμάτιον· ἔτι δὲ κάλλιον, εἰ καὶ στεφάνους παρασκευάσαιο κιττοῦ τε καὶ σμίλακος, οἷς σαυτόν τε καὶ τὰ παιδικὰ ἀναδήσαιο. ἀλλὰ τί διατρίβεις καὶ οὐκ ἐγχειρεῖς ἤδη τῇ θύρᾳ'; πρὸς οὖν ταῦτα ὁ Πολύφημος ἐξεκάγχασέ τε ὅσον ἐδύνατο μέγιστον καὶ τὼ χεῖρε ἐκρότησε. καὶ ὁ μὲν Ὀδυσσεὺς ᾤετο αὐτὸν ὑπὸ χαρμονῆς οὐκ ἔχειν ὅ τι ἑαυτῷ χρήσαιτο, κατελπίσαντα τῶν παιδικῶν περιέσεσθαι· ὃ δὲ ὑπογενειάσας αὐτόν, ʻὦ Οὖτι', ἔφη, ʻδριμύτατον μὲν ἀνθρώπιον ἔοικας εἶναι καὶ ἐγκατατετριμμένον ἐν πράγμασιν. ἄλλο μέντοι τι ποίκιλλε· ἐνθένδε γὰρ οὐκ ἀποδράσεις'. ὁ μὲν οὖν Ὀδυσσεύς (ἠδικεῖτο γὰρ ὄντως) ἔμελλεν ἄρα τῆς πανουργίας ὀνήσεσθαι, σὲ δὲ Κύκλωπα μὲν ὄντα τῇ τόλμῃ, Σίσυφον δὲ τοῖς ἐγχειρήμασι δίκη μετῆλθε et q. s.

Primus fructum ex hac epistula ad accuratiorem dithyrambi Philoxenii scientiam comparandam percepit Otto Ribbeck, qui hoc filo ductus in commentatione de idylliis Theocriti ann. Boruss. uol. XXXII a. 1873 p. 59—98 inserta dramatis genuinam formam adumbrauit ex instituto suo docto apparatu omisso multa ostendens magis quam singillatim comprobans. Quaerendum est, quanti aestimandum sit illud epi-

stolium. Ac reuocandam esse et totam hanc scaenam in antro Cyclopis et singulas res ad litterarum aliquod monumentum inde apparet, quod singularum rerum enarratio ad finem epistulae non erat necessaria, ad quem suffecisset indicare magna promisisse Ithacum. Ex monumento autem nunc deperdito haec hausta sunt, quod a nullo scriptore, quos quidem integros aut naufragos habeamus, Ulixes cum Polyphemo de manumissione ut ita dicamus paciscens inducitur. Iam cum apud neminem coniunctos fuisse amores Polyphemi cum clade eius unius carminis argumento firmis documentis comprobare possimus nisi apud Philoxenum, quid magis consentaneum quam statuere Synesii epistulam esse dithyrambi partem metro solutam? At uero restant nonnulla, quae quin prorsus assentiamur prohibent.

Videndum est primum de Ulixis persona. Quam quomodo in ceteris epistulis mente conformatam habuerit Synesius si contemplamur, non prorsus cum Homerica conuenire uidemus. Nam ut eos locos omittamus, ubi Ulixis errores et casus ex more horum rhetorum [1]) in comparationem uocantur cum aliorum hominum fatis, ueluti ep. 32 comparatur Ithacus Sirenas fugiens, ep. 148 naufragus (u. etiam ep. 158), Laestrygones Cyclopemque superans ep. 137, herois naturam nobis quidem magis magisque uidetur deposuisse et uafri ueteratoris non tam induisse quam clarius exseruisse, ita ut Sisyphi patris quem dicebant in aestimationem ueniret; sic Synes. eum ep. 50 una cum Sisypho nominat: *τὸν Σίσυφον δὲ καὶ τὸν Ὀδυσσέα μισῶ. καὶ γάρ εἴ τι καὶ λέγοιεν ἀληθές, ἀλλὰ τοιοῦτοί γε ἦσαν οἷοι τὰ πλεῖστα ψεύδεσθαι.* Huc uidetur etiam metaphoricus usus ep. 142 spectare. Deinde personam sumpsit eam, in quam mutatus erat a Mineruа, cum in Ithacam rediisset, senis calui dolis et fallaciis onerati, qualem Synesius narrat in Anchemachetarum memoria esse ep. 148, 288:

1) Largam materiam suppeditabit Hercheri index. Amant eius casus laudare imprimis Iulianus (epp. 7. 33. 52. 58 fr. 5), Procopius (epp. 18. 25. 62. 93. 117. 124. 128), Theophylactus (epp. 43. 38. 55. 82) cf. etiam Aen. ep. 23; Apoll. Tyan. ep. 44; Luc. ep. 3; Plat. ep. 2.

καὶ Ὀδυσσέα τινὰ αὐτοῦ φίλον ὀνομάζουσιν οἱ χρηστοὶ βουκόλοι, φαλακρὸν μὲν ἄνθρωπον, ἀλλὰ δεινὸν ὁμιλῆσαι πράγμασι καὶ πόρον ἐν ἀμηχάνοις εὑρεῖν. ἀμέλει γελῶσιν, ὅταν περὶ αὐτοῦ λέγωσιν, ἡγούμενοι πέρυσιν ἐκτετυφλῶσθαι τὸν Κύκλωπα, καὶ ὡς εἵλκετο μὲν ὑπὸ τῷ κριῷ τὸ γερόντιον et q. s. et qualem alii epistularum auctores sibi fingunt Cynicorum principem existimantes cf. Cratet. ep. 19, Diog. 7. 34. Iam haec persona etiam huius epistulae Ulixi subesse nobis uidetur, quamquam senex caluus non apertis uerbis indicatur. Ipse enim se nominat *γόητα* carminum et illecebrarum amatoriarum peritum et Polyphemus eum alloquitur: *δριμύτατον ἀνθρώπιον καὶ ἐγκατατετριμμένον τοῖς πράγμασιν.* Totus autem tenor orationis Ulixis sophisticae artis est luculentissimum documentum; nam id quod maxime adpetit, ut Cyclops ostro saxum amoueat, obiter tantum praestigiis suis et captionibus inserit, primum *μόνον ὑπόστηθι σὺ τὴν θύραν ἀποκινῆσαι, μᾶλλον δὲ τὸν θυρεὸν τοῦτον· ἐμοὶ μὲν γὰρ ἀκρωτήριον εἶναι φαίνεται* (haec ultima uerba homunculi infirmitatem uidentur ostendere), deinde interiecto tumore uerborum, quibus rhetoricis artificiis (*κατεργασάμενος. τί λέγω κατεργασάμενος; αὐτήν* etc.) et compta gradatione (*καλὸν οὖν — ἔτι δὲ κάλλιον*) futura uoluptas depingitur, quasi nulla dubitatio esse possit: *ἀλλὰ τί διατρίβεις καὶ οὐκ ἐγχειρεῖς ἤδη τῇ θύρᾳ;* Quam quidem personam num consentaneum est Philoxenum ipsum sibi imposuisse? Num eius e re erat impostoris partes magis sustinere quam uiri honesti dira necessitate ad dolum confugere coacti? Neque putamus caluum senem ipsum se proposuisse (nam de Phidiae similitudine cogitare noles), si quidem pulcherrimae Nereidi commendari uellet. Immo ipsum haud dubie poeta se induxit quam praestantissimum, quo sua uirtus et uictoria atque Cyclopis discrepantia in clariore luce ponerentur. Accedit quod Polyphemus quamuis brutus non decipitur callidi hospitis promissis, sed alia ratione libertatem Ulixes uidetur recuperasse (cf. *ὁ μὲν οὖν Ὀδυσσεὺς — ἠδικεῖτο γὰρ ὄντως — ἔμελλεν ἄρα τῆς πανουργίας ὀνήσεσθαι*), id quod nescio an rursus abhorreat a consilio poetae,

qui nisi persuadentem faceret ueteratorem, omnem illam scaenam non induxisset, cum id quoque studeret, ut quam stultissimum describeret Dionysium. Denique Synesii Ulixes id tantum agit, ut solum se seruet comitibus destitutis, quod congruit cum illo charactere, non concineret cum Philoxeni consilio; si uero statuere mauis omnino sine comitibus illum Ulixem induci, ne hoc quidem quadrat ad Philoxenium, quem sociis comitatum fuisse ex Aristophanis parodia apparet.

Ut aperte dicamus quid sentiamus: uidetur nobis et persona Ulixis et orationis tenor et scaenae decursus magis ad comoediam quam ad hunc dithyrambum quadrare; alius enim poetae nihil intererat quam optimum fingere Ulixem, sed finxit talem, qualis in posteriore poesi uidetur excultus esse[1]) ex suo arbitrio risus mouendi causa res sibi constituens. Scaenicae autem actionis memoriam referre dixeris gestus illos Cyclopis cachinnum quam maximum tollentis, manus complodentis, mentum Ulixis permulcentis, quos libentius e comoedia repetamus quam ex dithyrambo scaenico. Neque tamen totam epistulam ex hoc fonte deriuare uelimus. Verba enim: *καὶ δεήσεταί σου καὶ ἀντιβολήσει, σὺ δὲ ἀκκιῇ καὶ κατειρωνεύσῃ*, quibus amoris ratio plane inuertitur ita quidem, ut is, qui adhuc submissas preces non est dedignatus, cum amata non solum fauet, sed ipsa ad preces descendit, *Ἀκκοῦς* partes agere et despicientiam simulare dicatur, ea inquam uerba commonefaciunt nos Theocriti id. VI, quo ironice Polyphemi amor a duobus pastoribus illuditur, ipse autem aestu ipsius Nereidem incensam esse ratus nihil se sentire simulat uu. 25 sq. Atque Alexandrinam artem ostendunt amatoriae illae *ἐπῳδαί* et *καταδέσμοι* et *καταναγκαι* et *ἴυγγες* et antri purgandi singula praecepta accurate descripta. Quibus ex causis dubitamus, num epistula Synesii uti possimus incorrupta duce ad resuscitandum Philoxeni dithyrambum. Quin uero similis scaena in illo carmine fuerit non dubitamus, cum Philoxenus primus

1) Vestigia huius personae habes uel in Sileni uerbis Eur. Cycl. 104: *οἶδ' ἄνδρα κρόταλον, δριμὺ Σισύφου γένος.*

duas illas fabulas de caecato et de amante Polyphemo uideatur coniunxisse, sed a posterioribus imprimis comicis retractata est et exculta, Alexandrinae aetatis flosculis exornata, fortasse ne ipsius Synesii quidem ingenii plane immunis. Cum Bergkio igitur, qui causis non additis sic sententiam statuit: 'Synesius si non ipsum carmen usurpauit, at rhetorem aliquem antiquiorem, qui illo usus est, uidetur secutus esse', non consentimus. Iudicio de Synesii epistula facto redimus ad conexum dithyrambi illustrandum. Omnes fere, qui eum sibi contexuere, amatoriam cantilenam fecerunt Cyclopem prius edentem quam Ulixem sociosque eius deprehendisset cf. Bipp. p. 33, Schmidt. p. 65, Hartung. p. 415 sq. itemque Bergkius ordine fragminum eandem sententiam profitetur. Contra Ribbeckius prima scaena dithyrambi in antro inclusos facit ferum hospitem cum aduenis. Proficiscendum est ex Aristophanis uerbis uu. 298 sq. *κραιπαλῶντα*[1]) *ἡγούμενον τοῖς προβατίοις*, quae inter se coniungenda esse nouissimus editor interpunctione omissa recte docuit. Cyclops igitur cum oues ducere, quibus comitatus ad Galateam canendam litori adpropinquat, ebrius dicatur, uinum iam antea ab Ulixe accepisse censendus est. Quare cum Ribbeckio praegressam esse uini donationem iure statuemus, cuius rei etiam inde argumentum sumere licebit, quod apud Synesium Polyphemus Ulixem adloquitur ambiguo illo nomine *Οὖτις*. Iam cum apud priores, Homerum et Euripidem, tum demum Cyclops nomen ex hospite quaerat, cum uini dulcedine delectatus est, ueri simile erit etiam Philoxenum rem ita instituisse. Sermo autem ille non post cantilenam Cyclopis uidetur habitus esse. Priori igitur carminis parti adsignanda uidentur fr. 10 et 9.

Suid. *ἔθυσας, ἀντιθύσῃ* (uulg. *ἀντὶ τοῦ θύσῃ* corr. Gaisford. ex append. prou. II, 10)· *τοῦτο παρὰ Φιλοξένῳ ὁ Κύκλωψ λέγει πρὸς τὸν Ὀδυσσέα. ἀπεκδέχονται γὰρ τό· 'ἐνθάδε πῦρ κείαντες ἐθύσαμεν'* (Hom. Od. IX, 231) *παρὰ τῷ ποιητῇ εἰρη-*

1) Videntur in schol. u. 298 p. 342, 21 sqq. haec: *ἐμέθυσε γὰρ ἐκεῖνον Ὀδυσσεύς* post uerba: *κραιπαλῶντα· μεθύοντα* transponenda librarii neglegentia illuc delata.

σθαι ἐπὶ τῶν ἀρνῶν, οὐχὶ δὲ τὸ ἀπεθύσαμεν νοεῖσθαι u. schol. Il. IX, 219 (Timoth. fr. inc. 19 supra p. 183). Recte explicatum ab interpretibus fragmentum. Minatur Polyphemus mactatum iri Ulixem, sicut ipse agnos mactauerit. Longius igitur progressi sunt socii etiam mactantes agnos, quos apud Euripidem tantum uirgulis uinctos abactosque uidimus cf. Cycl. 224 sq. Similiter Sileno calumniato Euripideus Cyclops minitatur uu. 243 sq.:

ὡς σφαγέντες αὐτίκα
πλήσουσι νηδὺν τὴν ἐμὴν et q. s.

Cognita hospitis crudelitate pronuntiauit Ulixes fr. 9:

οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν

Zenob. V, 45 *ἐπὶ τῶν δυσανασχετούντων ἐπί τινι δυσχερεῖ πράγματι λέγεται ἡ παροιμία. Κύκλωψ γάρ ἐστι δρᾶμα Φιλοξένου τοῦ ποιητοῦ, ἐν ᾧ ὁ Ὀδυσσεὺς περισχεθεὶς τῷ τοῦ Κύκλωπος σπηλαίῳ λέγει* etc. Diogen. VII, 19; Apost. XII, 52. Multi sunt Schmidtius p. 61 sq. et Bippartus p. 43 sq. in uirorum doctorum de hoc uersu erroribus enumerandis. Tuetur metrum analogia a Meinekio Com. fr. IV p. 550 allata: *ἀλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπαναβοῶντες*. Apud Homerum antro inclusi lacrimantes manus Ioui tendunt cruenta sociorum nece conspecta uu. 294 sq., apud Euripidem uu. 351 sq. exclamat Ulixes:

κρείσσονας γὰρ Ἰλίου
πόνους ἀφῖγμαι κἀπὶ κινδύνου βάθρα.

Mira hariolatus est Hartungius p. 416, qui dormiente Polyphemo asserit Ulixem haec cantasse ipsum se ad opus perpetrandum stimulantem; quasi quisquam angore expresso animum sibi addat. Vino incitatus Polyphemus haud dubie tenuiores affectus Ulixi professus (cf. Ribb. p. 73) captiuos uidetur coegisse, ut comitarentur se comissaturum, sicut Cario senes adhortatur, ut se sequantur, qui cum postea de caecando monstro uerba faciant ipsi Ithacensium partes suscipiunt. Statuere possumus ad suum finem uertisse Philoxenum Euripidis inuentum, qui Cyclopem induxit comissatum ire ad Cyclopes fratres gestientem uu. 445. 530 sqq. nec nisi Sileni auaro consilio (540) retentum. Voluit nimirum Galateae quasi triumphantem, capti-

uorum turba cinctum unum se uictorem ostendere, neque gregem suum in antro reliquisse putandus erit, qui diuitiis se commendare uellet (cf. Schmidt. p. 65). Speciosa autem est Ribbeckii coniectura, ex qua hoc modo irrisum esse dithyrambicum satyrorum chorum arbitratur nisus sine dubio Aristoph. u. 295:

ἕπεσθ' ἀπεψωλημένοι· τράγοι δ' ἀκρατιεῖσθε.

Fortasse chorum ex satyrico dramate hac in fabula sollemnem satyrorum (Bipp. p. 34) idoneis uestimentis magis ad gregis similitudinem adaptarat poeta, ut non solum *τράγοι*, sed etiam *αἶγες, οἶες, ἄρνες, κριοί* in scaena conspicerentur. Progressus igitur Cyclops ad litus cantilenam amatoriam edit, cuius initium dithyrambico nouatorum uerborum tumore conspicuum seruauit Athenaeus XIII p. 564 e (fr. 8): *ὁ δὲ τοῦ Κυθηρίου Φιλοξένου Κύκλωψ ἐρῶν τῆς Γαλατείας καὶ ἐπαινῶν αὐτῆς τὸ κάλλος προμαντευόμενος τὴν τύφλωσιν πάντα μᾶλλον αὐτῆς ἐπαινεῖ ἢ τῶν ὀφθαλμῶν μνημονεύει λέγων ὧδε*

Ὦ καλλιπρόσωπε
χρυσεοβόστρυχε Γαλάτεια,
χαριτόφωνε, θάλος[1] *ἐρώτων.*

Laudat igitur amatae faciem, crines, uocem, omittit oculos celebrare non praesagiens caecationem, ut addit Athenaeus ex grammaticorum somniis, qua in re nullum acumen inesset, sed quod pulchritudinem oculorum non sentit ipse propter unius sui luminis aciem quam maxime inflatus, qua de re postea plura dicemus. Ad finem uero carminis, non ut Bergkius (fr. 7) fragmentis ordinatis uidetur indicare ad initium adductus ille quidem Theocriti id. IX imitatione, releganda est umbra fragminis alicuius, quae tribus locis contexitur schol. Theocr. XI, 1: *καὶ Φιλόξενος τὸν Κύκλωπα ποιεῖ παραμυθούμενον ἑαυτὸν ἐπὶ τῷ τῆς Γαλατείας ἔρωτι καὶ ἐντελλόμενον τοῖς δελφῖσιν, ὅπως ἀγγείλωσιν αὐτῇ, ὅτι ταῖς Μούσαις τὸν ἔρωτα ἀκεῖται.* Plut. quaest. symp. I, 5: *ὅπου καὶ τὸν Κύκλωπα Μούσαις εὐφώνοις ἰᾶσθαί φησι τὸν ἔρωτα Φιλόξενος.* Erot. c. 18: *Μού-*

---

1) Sic Bergk. poet. lyr. Gr.[4] Fiorillo *θάλλος*. Traditur *κάλλος*.

σαις εὐφώνοις ἰωμένη τὸν ἔρωτα κατὰ Φιλόξενον (u. Philod. de mus. uol. Hercul. I, 15). Discimus igitur desiderio medicatum esse Polyphemum iam apud Philoxenum — dignum quod adnotetur. Imperat autem delphinis, ut nuntient Galateae amorem non ultra musicam ualuisse, ex qua solacium adeptus sit. Belle hoc instituit poeta, quod rursus cum animalibus fecit colloquentem Cyclopem Homeri exemplum secutus idem quod obuersabatur, cum pastorem gregem adhortantem induxit (cf. schol. Od. IX, 456). Puta uero uerbis illis

ἀλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπαναβοῶντες

etiam Ulixis comites ut plauderent a Cyclope incitatos esse, ueluti Cario incitat rusticos; nonne acerrimum aculeum infixisset Dionysio conuiuas imprimis Philoxenum ut plauderent poematis suis saepe impellentem? Omnino autem poetica studia Dionysii salibus perfricuisse poeta censendus est (cf. Ribbeckium p. 73).

Num Galatea responderit canenti nescimus; sed ualde probabile uidetur eam tacuisse, cum 'delphinos nuntios mittat non exauditus amator, cf. Schneidewinum nunt. Gott. 1844 p. 1379 sq. Quod qui sani iudicii est probabit. Futtilis enim est Klingenderi p. 49 sq. argumentatio, qui non concedit Bergleinio Galateam in scaenam non prodiisse, cui si non primas at fuisse certas quasdam in carmine partes et ex nomine dithyrambi, qui etiam Galatea inscriptus sit, et ex Athen. I p. 6 concludit, 'quibus Philoxenum Cyclopis persona Dionysium, nymphae tibicinam, Ulixis semet ipsum significasse narret, denique per se ueri simillimum esse' iudicat, 'modo cogitemus, quam bene duobus illis coram in scaenam productis sollers et ingeniosus poeta uti potuerit'. Ultimum argumentum nihil ualet, alterum nihil de hac parte dithyrambi probat, primum nullum est, modo memineris parum constare, uter titulus ipsi Philoxeno placuerit. Iam sopitum Cyclopem in somnum incidisse damnumque ab Ulixe accepisse uiri docti consentiunt cogitantes eum in antrum reuertisse. Quod si nos acciperemus, statuenda erat duplex scaenae mutatio, quam Schmidtius statuere non dubitauit, qui p. 65 existimat initio carminis Ithacenses in-

ductos esse in antrum descendentes ouesque mactantes Polyphemo absente ideo, ut προεξάρχοντα haberet Ulixem personatum (cf. p. 236 sq.). Sed ne opus quidem est uiolentam illam mutationem accipere, si recte intellegimus Aristophanis uerba εἰκῇ δὲ καταδαρθόντα που. Πού enim non est 'fortasse', quoniam constabat senibus dormiuisse apud Philoxenum Cyclopem, sed 'alicubi', qui locus propter indefinitam dicendi formam non in antro uidetur esse. Quare caecatum esse Cyclopem extra antrum titione facili opera illinc arcessito, neque Homericam fabulam de captiuis ouium auxilio seruatis adhibitam esse opinamur, quam propter scaenicas difficultates etiam Euripides immutauit. Neque tamen exiisse potest dithyrambus, quin aliquo modo Galateae amore frueretur Ulixes. Postulat enim dithyrambi consilium, ut Galateae fauor, quem Polyphemus blanditiis frustra adpetierat, ultro obtigerit Ulixi, ne aculeus hebes maneret, ut Ribbeckii uerbis utamur, qui praeeunte Bipparto praef. p. IX rectissime hunc finem flagitauit — finem dicimus; nam qui negat necesse esse scire Ulixem de amore nymphae Glaeserus p. 7, parum respexit ueram poetae partes ipsius Ulixis agentis condicionem. Hac in parte dithyrambi Gatateam in scaenam prodiisse negari non poterit; singula huius scaenae artificia nos fugiunt.

Haec quidem mythi commutatio nusquam per litteras nostras occurrit, sed unum fortasse quamuis tenue et deformatum frustum multis saeculis post apparens ex uasta illa ficticiarum de bello Troiano historiarum adgluuie expiscari licebit. Leguntur enim apud Dictyn Cretensem VI, 5 haec: '(Ulixes) narrare occipit, quo pacto — deuenerit in Siciliam: ubi per Cyclopa et Laestrygona fratres multa indigne expertus ad postremum ab eorum filiis Antiphate et Polyphemo plurimos sociorum amiserit, dein per misericordiam Polyphemi in amicitiam receptus filiam regis Arenen, postquam Alphenoris socii eius amore deperibat, rapere conatus, ubi res cognita est, interuentu parentis puella ablata per uim, exactus per Aeoli insulas deuenerit ad Circen etc.'. Similia paucis mutatis narrant dubiae fidei auctore usi Ioann. Malalas chronogr. V

p. 114—117; p. 116: *πρωΐας δὲ γενομένης προσήγαγεν ὁ Ὀδυσσεὺς καὶ τῷ Πολυφήμῳ ξένια καὶ προσέπεσεν αὐτῷ εἰπὼν ὅτι ἀπὸ τῶν Τρωϊκῶν τόπων ἐλήλυθε πεπλανημένος ἀπὸ πολλῆς κυμάτων ἀνάγκης ἀπαριθμήσας αὐτῷ καὶ τὰς συμβάσας αὐτῷ κατὰ θάλασσαν διαφόρους συμφοράς, ὅστις Πολύφημος συμπαθήσας αὐτῷ ἠλέησεν αὐτὸν καὶ ὑπεδέξατο αὐτὸν καὶ τοὺς αὐτοῦ, ἕως οὗ ἐγένετο ἐπιτήδειος ὁ πλοῦς. ἡ δὲ θυγάτηρ τοῦ Πολυφήμου ὀνόματι Ἔλπη ἐρωτικῶς διετέθη πρός τινα εὐπρεπῆ ἄνδρα τῶν μετὰ τοῦ Ὀδυσσέως ὀνόματι Λεΐωνα καὶ ἐπιτηδείου ἀνέμου πνεύσαντος ταύτην ἀφαρπάσαντες ἐξώρμησαν ἐκ τῆς Σικελίας νήσου, ἅ τ ι ν α ὁ σ ο φ ώ τ α τ ο ς Σ ί σ υ φ ο ς ὁ Κ ῷ ο ς ἐ ξ έ θ ε τ ο.* Cedren. p. 132 c d. Bekk. I p. 232; Tzetz. chiliad. hist. 360 uu. 928—945; cf. etiam Ioann. Antioch. in Muell. frgm. hist. Gr. IV p. 551. Quamquam cauendum est, ne ex his somniis quicquam de Philoxenii dithyrambi cursu colligamus, tamen non sine aliqua mythi illius commutati memoria uidentur ficta esse.

Haud infeliciter uiri docti incertae sedis fragmentis in hoc dithyrambo locum adsignarunt. Bergkius enim, cui assentiuntur Bergleinius et Schmidtius, Athenaei uerba XV p. 692 d (fr. 6)

συμβαλοῦμαί τι μέλος ὑμῖν εἰς ἔρωτα

(*κατὰ τὸν Κυθήριον ποιητήν*), quae ab Athenaeo (l. l. et VI p. 271 b) et aliis (Dionys. Hal. de comp. u. c. 1; Append. prouerb. IV, 77 tom. I p. 453) prouerbiali sensu usurpantur, ut illa *εἰς ἔρωτα* omnino superuacanea uideantur, initium fuisse carminis Philoxenii coniecit parum prudenter, ut nobis uidetur (cf. et. Bipp. p. 45). Potuit enim haec dicere propter primam personam solus ipse Philoxenus i. e. actor eius, quem in dithyrambo Ulixis partes egisse scimus, debuit autem haec dicere non Ulixis, sed poetae nomine. Prologum alterius actoris propterea statuere nolumus, quod tertia tunc persona *συμβαλεῖται* sc. *ὁ ποιητής* exspectanda erat, si quid ex prologis Terentianis concludendum; itaque manet haec difficultas, ut actori Ulixis primum uere Philoxeni, deinde Pseudo-Philoxeni partes sustinendae sint.

Paulo maiore ueri specie a uiris doctis huic dramati sunt adsignata fragmenta inc. 16 et 17. Athen. II p. 35 d (Eustath. 1770, 9): ὁ δὲ Κυθήριος Φιλόξενος λέγει

εὐρείτας οἶνος πάμφωνος

et Athen. X p. 446 a b:

(ὁ αὐτός φησιν Ἀντιφάνης ἐν τῷ Τραυματίᾳ)

παραδίδου δ' ἑξῆς ἐμοὶ
τὸν ἀρχεσίγυιον, ὥς ἔφασκ' Εὐριπίδης.
Α. Εὐριπίδης γὰρ τοῦτ' ἔφασκεν; Β. ἀλλὰ τίς;
Α. Φιλόξενος δήπουθεν. Β. οὐδὲν διαφέρει,
ὦ τᾶν· ἐλέγχεις μ' ἕνεκα συλλαβῆς μιᾶς.

Apparet pertinere haec fragmina ad ebrietatis scaenam. Prius sic uertit Casaubonus 'uinum large fluens omnis generis uoces ciet' explicatione unice uera et ad locum inuestigandum fructuosa, quam respuere non debebat Bippartus p. 44 ipse mire interpretans πάμφωνος de grato sonitu uini in poculum infusi coll. Pindar. Ol. VII, 1 sq., quod et ab usu uocis abhorret significantis omnis generis modulationem (αὐλῶν πάμφωνον μέλος Pind. Pyth. XII, 19 u. et. Pyth. III, 17) uel omnino loquacitatem alicuius rei (πάμφωνοι χεῖρες de pantomimo Antip. Thessal. in Anthol. Plan. XVI, 290, 6) et a conexu, qui est apud Athenaeum. Atque hoc ex conexu nobis uidetur aliqua coniectura de loco fragmenti fieri posse. Etenim cum sermo sit de diuersa ui uini tristem hilarem, inualidum fortem reddente (cf. ibi Cypriorum poetae, Diphili, Chaeremonis uerba) πάμφωνον i. e. loquax putamus uinum appellatum esse, quod loquacem fecerit sc. Cyclopem, cui suspicamur haec dixisse Ulixem, cum de recta uini bibendi ratione praeciperet, qualem habes scaenam apud Euripidem uu. 570. 573. Ac fortasse licebit sic ordinare sententias: 'si bene fluet uinum, magnus orator uel potius magnus musicus exsistes sc. ut perores et permulceas Galateam'. Nimirum uoluit Polyphemum iam irriguum ut plus uini combiberet spe illa commouere certior factus de eius amoribus. Atque metri grauitas praecipiendi grauitati respondet. Fragmento autem 17 postulat Cyclops, cui persuasit hospitis astutia, potum illum membra roboran-

tem, quo animum sibi addat ad mulierculae fauorem captandum.

Adespota fragmenta omni dubitatione seclusa huc referri possunt nulla. Quae Himerius orat. I, 19 (Bergk. l. l. p. 610) laudat: *εἰ δὲ καὶ τὸ ἄνθος τῆς ὄψεως γράφειν ἐθέλοιμι, τὰ ποιητῶν ἀνάγκη φθέγγεσθαι· 'ὦ λευκότητος καὶ γάλακτος'· ταῦτα γάρ πού τις ποιμὴν παρ' ἐκείνοις ποθῶν τὴν Γαλάτειαν τὴν Νηρηΐδα προσείρηκεν ἐκ τῆς ἑαυτοῦ ποιήσας τέχνης τὸ μέλος* a Schneidewino annall. litt. Ien. 1845 p. 1100 (cf. Hartung. p. 416) in plenum uersum aucta hunc

ὦ λευκότατος καὶ γάλακτος λευκοτέρας,

quem cur Bergkius antiquo poeta plane indignum iudicet intellegimus, non dispicimus, cur ad Theocrit. XI, 20 referendum iubeat, propter metrum ab aetate Alexandrina abhorrere nobis uidentur; ac nescio an dimeter trochaicus dithyrambicis numeris plane dignus facile procudatur hic

λευκότατος παῖ γάλακτος

respondens fere adlocutionis metro

χρυσεοβόστρυχε Γαλάτεια,
χαριτόφωνε, θάλος ἐρώτων,

ut pastor Aetnaeus 'lactis niuei candoris filiam' sermone tumido amatam compellet, quo spectat uerbum sophistae *προσείρηκεν*. Contra prouerbium Diog. VII, 82 a Bergkio uindicatum *πῦρ ἐπὶ δαλὸν ἐλθόν· ἐπὶ τῶν ταχέως γινομένων· ἀπὸ τοῦ Κύκλωπος ἡ μεταφορά* Philoxeniae originis nulla re arguitur ne explicatum quidem a quoquam. Hoc tantum nobis constat non coniungendum esse cum prouerbio a Suida s. u. *δαλός* laudato: *δαλὸς εἰς πῦρ*, quod idem ualere atque *ἵππος εἰς πεδίον* uel *ἀετὸν ἵπτασθαι διδάσκεις, δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις* docet Diog. I, 65 usurpatum de eo, qui stimulat aliquem sua sponte et proprio impetu acturum. Contra *πῦρ ἐπὶ δαλὸν ἐλθόν* fere idem esse dixeris, quod notissimum illud *πῦρ ἐπὶ πῦρ* cf. Apostol. XV, 15, qui habet *πῦρ ἐπὶ πυρί, κακὸν ἐπὶ κακῷ· ταύτης μέμνηνται Πλάτων* (legg. II p. 666 a) *καὶ Λιβάνιος* (orat. IV, 146 R.) '*πῦρ ἐπὶ πῦρ ᾐσθόμην*' (u. etiam Zenob. V, 69), de cuius prouerbii praecipue in amoribus usu

cf. Rohdium de fab. Rom. Graec. p. 160 adnot. 3 et quos ille laudat Heins. ad Ou. art. amat. I, 244; Bergk. comm. de rell. com. Att. ant. p. 31, qui docent solere uinum Veneri accedens *πῦρ ἐπὶ πυρί* ('ignis in igne' Ouid.) dici. Fortasse etiam Cyclopi uinum ardorem amoris auxit. An de amore omnino non cogitandum, sed ex similitudine eorum, quae dicit Polyphemus Eurip. u. 683 caput rupi illidens: *κακόν γε πρὸς κακῷ*, ad illud prouerbium aliquid repetendum, ita ut *δαλός* possimus propria significatione accipere (Eur. u. 462 saep.)? — Neque adsentiri possumus Wilamowitzio in Herm. uol. XIV p. 172 sq. frustulorum duorum iam a Schottio, Senecae editore, Philoxeno attributorum memoriam renouanti, quamquam non contradixit Eduardus Hiller [1]) in annal. Burs. 1881 I p. 134. Leguntur enim apud Senec. suas. I, 12 haec: 'Corruptissimam rem omnium quae umquam dictae sunt, ex quo homines diserti insanire coeperunt, putabant Dorionis esse in metaphrasi dictam Homeri, cum excaecatus Cyclops saxum in mare reiecit . . . (lac. sign. W. Mueller, O. Ribbeck). Haec quomodo ex corruptis eo perueniant, ut et magna et tamen sana sint, aiebat Maecenas apud Vergilium intellegi posse. Tumidum est

ὄρεος ὄρος ἀποσπᾶται

Vergilius quid ait? rapit

haud partem exiguam montis (Aen. X, 128).

Ita a magnitudine discedit, ut non imprudenter discedat a fide. Est inflatum

καὶ καίρια βάλλεται νῆσος.

Vergilius quid ait? qui de nauibus

credas innare reuolsas
Cycladas (Aen. VIII, 691).

Non dicit hoc fieri, sed uideri. Propitiis auribus accipitur, quamuis incredibile est, quod excusatur, antequam dicitur'. Iam Wilamowitzius librorum scripturam *KEIPIA χειρία* legens doricos numeros procudit hos:

οὔρεος οὖρος ἀποσπᾶται καὶ χειρία Βάλλεται νᾶσος . . . .

---

1) Idem in edit. IV. frg. lyr. Gr. non recepit.

et Philoxeni esse euinci affirmat Theocriti uersu VII, 152:

τὸν κρατερὸν Πολύφαμον, ὃς ὤρεσι νᾶας ἔβαλλε

hac ipsa imitatione a Meinekii iudicio defendendo.

Sed fatemur ignorare nos, cur omnino adespota fragmenta haec indicauerint uiri docti, quod si uerum esset, maxime miraremur his potissimum non addidisse rhetorem auctoris nomen, cum unicuique sententiae in praecedentibus et sequentibus auctorem praeponere soleat. Atque habemus auctorem Dorionem rhetorem, cuius quidem uerba in metaphrasi Odysseae dicta etsi concedimus propter 'haec' pronomen excidisse Muellero et Ribbeckio, tamen quidni singulas elocutiones tumore praeter ceteras insignes repetitas esse statuamus? sc. ut cum Vergilii sermone compararentur. Poterat autem aptissime in metaphrasi res inflante et supra modum extollente sic circumscribi uersus Homericus (Od. IX, 481):

ἀποῤῥήξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο.

Optime uero concinunt tumida illa atque inflata uerba etiam praesenti tempore uiuacitatem quandam efficientia cum Dorionis genere dicendi, quod quidem ex Senecae scriptis cognoscamus cf. controu. X, 5, 23: furiose, contr. I, 8, 16: 'Dorion dicit rem paulo quidem elatiorem, quam pressa et ciuilis oratio recipit etc.'; suas. II, 11: 'disertissima sententia'. Quam ob causam quamuis dolentes non tollimus hanc Philoxeni prolem, praesertim cum ne ipse quidem sospitator facile dixerit, quomodo haec cum ratione dramatis conciliet. In dramate — et drama fuisse hunc dithyrambum ex Aristoph. schol. (cf. ὑποκριτής p. 342 a, 14 D.) clare elucet, drama autem melicum [1]) — dici haec poterant solis a comitibus Ulixis ingentes Cyclopis iaculationes spectantibus, quae sane maxima esset scaenica difficultas sic euitata ab Euripide, ut minitaretur tantummodo Cyclops uu. 704 sqq. — Neque cum fructu perlustrauimus quae Bergkius congessit lyricorum adespota fragmenta, unum dithyrambici coloris fr. 128 Demetr. περὶ ἑρμην. 91 (rhet. Gr. III

1) Consensus est hac de re; Bergleinius p. 56 dissentiens satis refutatus est a Klingendero p. 47.

p. 283 Sp.): *ληπτέον δὲ καὶ σύνθετα ὀνόματα, οὐ τὰ διθυραμβικῶς συγκείμενα, οἷον 'θεοπεράτους πλάνας'* ex Ulixis aliqua de erroribus narratione excerptum esse potest, qualem habemus Hom. Od. IX, 259—262.

Restat, ut quali arte Philoxenus Polyphemum induxerit breuiter exponamus. Apparet ex consilio dithyrambi nonnulla pigmenta nouare debuisse Philoxenum, quae cum Polyphemi persona sollemni non conexa Dionysii uitae ac moribus denotandis inseruirent, quae nunc ne coniectura quidem prorsus assequi possumus. Scimus uero, qualem in scaena proposuerit poeta Pseudo-Dionysium ex scholio ad Arist. Plut. u. 298: *πήραν ἔχοντα· Φιλοξένου ἐστὶ παρηγμένον καὶ τοῦτο τὸ ῥητόν. τοιοῦτον γὰρ τὸν Κύκλωπα εἰσάγει πήραν ἔχοντα καὶ ἐπὶ ταύτῃ λάχανα ἄγρια. — Ἄλλως. ἐνταῦθα ὁ ποιητὴς παιγνιωδῶς ἐπιφέρει τὰ τοῦ Φιλοξένου πήραν βαστάζειν τὸν Κύκλωπα καὶ λάχανα ἐσθίειν. οὕτω γὰρ πεποίηκε τὸν τοῦ Κύκλωπος ὑποκριτὴν εἰς τὴν σκηνὴν εἰσαγόμενον. ταῦτα δὲ πάντα διασύρων τὸν Φιλόξενον εἶπεν ὡς μὴ ἀληθεύοντα· ὁ γὰρ Κύκλωψ, ὥς φησιν Ὅμηρος, κρέα ἤσθιε καὶ οὐ λάχανα.* Induxit igitur Cyclopem peram gestantem cum oleribus agrestibus et roscidis; qua in re quod ab Homero discessisset, ab Aristophane eum uellicatum esse inepta est scholiastae opinio; neque enim propter ueritatis studium Philoxenum carpsisse putandus est comicus, sed ut ridiculam scaenam in Atheniensium memoriam reuocaret. Talem autem exhibens figuram scaenicam, cui Dionysii tyranni proprios mores uel potius propria uitia inussit, ad homunculorum naturam uidebatur Philoxenus appropinquasse Aristoteli poet. 2, minus 'quod humane et uiuentem et amantem induxit', ut Schmidtius p. 74 sq. arbitratur, sed quod eum instruxit peruulgatis cotidianorum hominum uitiis, non formidulosis et monstruosis ut in Cyclope exspectes neque exaggeratis et distortis, sed uilibus et tritis. Imprimis illo habitu Cytherius uidetur denotare genus hominum, quod illo tempore magis magisque inclaruit: philosophorum cynicorum, quorum auctor Antisthenes Socrate mortuo et paulo post Diogenes affectabant rerum necessariarum in-

opiam [1]). Talium uero hominum externam speciem multi imitabantur, qui philosophi uolebant haberi; pertinebat autem ad totum hunc apparatum (*Διογένεια ὅπλα* Crat. epist. 23) maxime *πήρα* nutrimentis quam uilissimis referta (cf. Luc. Cynic. multis locis et descriptiones apud epistularum auctores passim obuias, praecipue Alciphr. III, 40. III, 14; Diog. 30; Crat. 23. 33). Et cogitandus erit Cyclops in scaenam prodiisse etiam cetero instructus apparatu, quem optime enarrat Alciphr. III, 40: *κόμην αὐχμηρὰν ἀνασείων, τὸ βλέμμα ἰταμός, ἡμίγυμνος ἐν τριβωνίῳ, πηρίδιον ἐξηρτημένος καὶ ῥόπαλον ἐξ ἀχράδος πεποιημένον μετὰ χεῖρας ἔχων, ἀνυπόδητος, ῥυπῶν* [2]). Fortasse allusit Philoxenus ad philosophica tyranni studia, ut amabant poetae aliquantulum philosophicae doctrinae circumdare Polyphemo. Videtur autem celeberrimus Philoxeni dithyrambus (Ael. uar. hist. XII, 44) multarum urbium scaenas frequentasse actus fortasse ab ipso poeta, quantum efficitur ex Hermesianactis fragmento ap. Athen. XIII p. 597 sqq. uu. 69 sqq.:

Ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν, ὃν ἐθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου, τὸν λωτοῦ πιστότατον ταμίην,
Μούσαις παιδευθέντα Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς
ὠρυγῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλεως,
γιγνώσκεις, ἀΐουσα μέγαν πόθον, ὃν Γαλατείης
αὐτοῖς μηλείοις θῆκαθ' ὑπὸ προγόνοις [3]).

1) Ipsum Socratem *ἐν τρίβωνι* et *ἀνυπόδητον* in Conno traduxit Amipsias fr. 9 K.

2) *Πινῶντα* eum appellat etiam Aristoph. Plut. u. 297 (e Brunckii coniectura).

3) Priora dedimus ex Meinekii frgm. com. Gr. III p. 645 sq. restitutione, in posterioribus immerito haesisse criticos putamus, quorum sententias u. ap. Berglein. p. 58 sqq. Ceterum nescio an non sine subtili consilio Hermesianax in hoc potissimum poeta Nympharum et Musarum nutricationem et institutionem praedicauerit fortasse alludens ad uitam Philoxeni, quam enarratam habes ap. Suid. s. u. *Φιλόξενος* b. B. *Φιλόξενος Εὐλυτίδου Κυθήριος λυρικὸς ἔγραψε διθυράμβους κδʹ. τελευτᾷ δὲ ἐν Ἐφέσῳ. οὗτος ἀνδραποδισθέντων τῶν Κυθήρων ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἠγοράσθη ὑπὸ Ἀγεσύλου τινός, καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἐτράφη, καὶ μύρμηξ ἐκαλεῖτο· ἐπαιδεύθη δὲ μετὰ τὸν θάνατον Ἀγεσύλου, Μελανιππίδου πριαμένου αὐτὸν τοῦ λυρι-*

Verba enim *τιναχθεὶς ὠρυγῇ* referenda ducimus ad scaenicae actionis ululatum, quo greges fictos pulpita personuisse credimus; est enim *ὠρυγή* bestiarum propria uox, luporum ut ait Pollux V, 86 et minorum animalium ferorum id. V, 88 fin., canum, ut testatur Hesychius s. u., qua ex notione in illustrandis illis uerbis proficiscendum erit, ut dicatur Philoxenus i. e. Ulixes personatus 'conquassatus eiulatu' gregum amorem Galateae testificantium (cf. uu. 73 sq.) in scaena comparuisse, cum Polyphemum cantaturum ad litus comitaretur. Subobscura nobis uidetur explicatio Schubarti, praeceptoris summe uenerandi (de Hermesianactis elegis Plau. 1858 p. 16 sq.), qui Fr. Palm auctore Hom. Od. u. IX, 395 comparato Philoxenum ab Hermesianacte dici clamore et minis Cyclopis i. e. Dionysii ex antro eius i. e. Syracusis expulsum per Colophonem uenisse arbitratur, ita ut elegiacus poeta ea ipsa uerba *ὠρυγῇ τιναχθείς* ex ipso Philoxeni carmine deprompserit. Tectam hanc Cyclopeae cladis significationem ueremur ut quisquam intellexerit, neque perspicitur, cur per Colophonem quondam uenisse dicatur Cytherius clamore in Asiam usque fugatus, cum ipsum uidisse non possit Leontium.

Inuenimus igitur primum in Philoxeni dramate amorem feri Cyclopis, qui paulo molliores et tenuiores sensus excitauit, quamquam non prorsus exstirpata est ferocitas, id quod fingere posteriorem demum aetatem uidebimus. Praeterea non est omittendum, quod hic primum citharizantem et saltantem deprehendimus Cyclopem. Duabus his rebus nouatis plane noua fundamenta iecit Philoxenus nouae ueteris figurae tractationis, atque in his potissimum argumentis excolendis et perpoliendis uersatur sequentium aeuorum ars a celeberrimo Cytherii dithyrambo profecta.

κοῦ et q. s., ubi uerba *ἐτράφη καὶ μύρμηξ ἐκαλεῖτο* illustrare putamus Hermesianactea *ὃν ἐθρέψαντο τιθῆναι Βάκχου* et rursus *ἐπαιδεύθη δὲ — Μελανιππίδου πριαμένου αὐτὸν τοῦ λυρικοῦ* haec *Μούσαις παιδευθέντα.*

Caput VI.

De mediae nouaeque comoediae tractationibus.

§ 1.

De Nicocharis Galatea.

Quod argumentum paulum refrenata priscae comoediae libertate a Cratino in locum priorum titulorum substitutum esse uidimus, redit in eius comoediae generibus, quae ex illo tempore prima incrementa ceperunt. Atque adprime conueniebat maxime Philoxeni irrisione auctum cum tota indole mediae nouaeque quam dicimus comoediae. Quae cum argumenta a fabularum diuinarum ad cotidianam uitam translatarum irrisionibus repetere mirum quantum adamaret et rei publicae hominumque publicorum castigatione, qualis antiquae erat comoediae, abstinere coacta magis mortuos imperatores et oratores externosque tyrannos exagitaret, fabulam aliquam has duas res comprehendentem studiose amplectebatur (cf. Ribbeck. de med. et nou. com. Att. Lips. 1857 p. 13 sqq. et 17 sqq.). Hac quidem generali obseruatione probabiliorem reddi opinamur Meinekii coniecturam, ex qua fabulas nomine Γαλάτεια inscriptas notum mythum tractasse censet, quam Iahnii (symb. archaeol. p. 412 adnot. 6) dubitationem per se non uituperandam, ex qua de titulis a mulierum nominibus sumptis cogitari posse autumat. Accedit, quod fragmenta ex his fabulis superantia cum hoc argumento bene concinnari possunt, etsi ex huius poesis partis naufragio non tam locupletes euasimus quam ex dithyrambis. Incipimus uero a Nicocharis fabula Γαλάτεια haud ignorantes solere hunc poetam in antiquae comoediae auctoribus numerari, sed uergente prisco comoedias componendi more et tempore poetam proprium noui generis argumentum tractantem nouae classi adsignare maluimus. Enumeratur autem Galatea a Suida s. u. Νικοχάρης, et ex omnium fere ceterorum titulorum similitudine mythicam rem propositam esse nostro iure concludere possumus; neque inepte conferatur Cyclopis figura cum Herculis uxorem ducentis et cho-

regi atque Centauri persona. Ex duobus quae aetatem tulerunt frustulis prius (fr. 2 K.) (Meinek. hist. crit. p. 254) Poll. X, 93: *εἴποις δ' ἂν καὶ τὴν ἡδυσματοθήκην κυμινοδόκον Νικοχάρους εἰπόντος ἐν Γαλατείᾳ*

σοφαῖσι παλάμαις τεκτόνων εἰργασμένον
καὶ πόλλ' ἐν αὐτῷ λέπτ' ἔχον καδίσκια
κυμινοδόκον

Meinekius intellegit de muneribus Galateae a Cyclope oblatis felici opinamur coniectura. Nam etiamsi postea, ubi poetae in donis Polyphemi depingendis coloribus non parcent, huiusmodi munera non deprehendimus[1]), tamen genus munerum monstrat mores Cyclopis, et enucleare hac ex re possumus, qualem poetae finxerint. *Κυμινοδόκον* autem qui donat h. e. uasculum uariis condimentis sollerter secretis refertum, cuius structuram accuratius disces ex similitudine uasculi *κέρνος* appellati apud Athen. XI p. 476 e f et plenius p. 478 d descripti (cf. Kock. l. l.), is haud dubie uersatus est in condimentis et cibos large conditos in deliciis habet. Subtilis igitur palati etiam Nicochares proposuisse existimandus est Cyclopem. Ac uidemus Polyphemum opifices sollertes ambientem, ut fabricentur Galateae instrumentum culinarium, quod cogitamus ingenti pro Cyclopea magnitudine in scaenam prolatum spectatorum risus mouisse. Alterum fragmentum (Kock. 3) exstat apud schol. Arist. Plut. 179: *Φιλωνίδην δ' οὐ τὸν ποιητήν φησι τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν ὥς οἱ περὶ Καλλίστρατον ἐν τῇ ὁμωνυμίᾳ πλανηθέντες· ἀλλὰ παιδιᾶς ἕνεκεν τὸν αἴσχιστον καὶ ἀπαίδευτον. κωμῳδεῖται δὲ ὡς εὔπορος καὶ ὡς μέγας τῷ σώματι καὶ ἠλίθιος. Νικοχάρης Γαλατείᾳ*

τί δῆτ'; ἀπαιδευτότερος εἶ Φιλωνίδου
τοῦ Μελιτέως.

Recte coniecit Meinekius Galateae haec uerba ad Cyclopem esse. Respuit nympha Musam Polyphemi, rudem cantilenam, quod efficimus ex notione *ἀπαίδευτος* apud Euripidem u. 493

1) Tamen cf. Nicet. Eug. VI, 524.

respiciente ad praegressum uersum 489 *ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος*. Comparat autem Galatea amatorem cum Philonide Melitensi, persona comicis largissimam uellicandi materiam praebente, qui quidem sane habebat cur cum Cyclope conferretur, si uera tradunt Aristophanis scholiastae dicentes l. l. grandi eum figura et opulentia et stultitia insignitum fuisse, quibus sordes quoque accessisse discitur ex Arist. plut. uu. 303 sqq. cf. schol. u. 303: *καὶ ταῦτα εἰς Φιλωνίδην τὸν Μελιτέα ὡς οὐ μόνον μέγαν, ἀλλὰ καὶ ἀμαθῆ καὶ ὑώδη*. Rem autem habebat cum eo celeberrima meretrix Lais diuitiis eius pellecta cf. schol. Plut. u. 179 p. 334 b, 30 sqq.: *Φιλωνίδης ἀνήρ τις ἦν πλούσιος, οὗτινος ἀμόρφου ὄντος, διὰ τὰ χρήματα ἐρᾷ Λαΐς αὐτοῦ, ἡ ἐν Κορίνθῳ ᾀδομένη πόρνη*. Acumen autem huius comparationis tum demum persentiscimus, cum reputamus Laidem ex Sicilia fuisse oriundam matre Timandra (schol. u. 179), quam dicebatur Philoxenus a Dionysio dono accepisse. Aptissime igitur allusit nympha Sicula ad meretricis Siculae amores famosos propter diuitias hominis ceteroqui bruti ac libidinosi simulatos (cf. Bergk. comment. de rell. com. Att. ant. p. 400 sqq.). Discimus uero ex hoc fragmento in scaenam prodiisse Galateam, et fuisse dialogum inter amatorem et amatam, qua de re in Philoxeni dithyrambo dubitabamus; sic autem exagitatum esse Cyclopis ardorem, ut mythicarum personarum condicio cum praesentis temporis uitaeque rationibus componeretur, quo multas iocandi ansas oblatas esse in propatulo est. Num caecatio in dramate fuerit nescimus; aegre uero ad dramaticam actionem consummandam desiderabatur aemulus aliquis Polyphemi, qualem Ulixem tantum adhuc cognouimus.

§ 2.

De Antiphanis Cyclope.

Non minus in tenebris uersamur fabulae Antiphaneae *Κύκλωψ* inscriptae indolem instauraturi, quamquam duo certe fragmenta paulo uerbosiora indulsit temporum edacitas. Quae coniuncta statim apponere placet.

Athen. VII p. 295 f: *Ἀντιφάνης δ' ἐν Κύκλωπι ὑπερακοντίζων τὸν τένθην Ἀρχέστρατόν φησιν*

ἔστω δ' ἡμῖν κεστρεὺς τμητός[1],
νάρκη πνικτή, πέρκη σχιστή,
τευθὶς σακτή, συνόδων ὀπτός,
γλαύκου προτομή, γόγγρου κεφαλή,
βατράχου γαστήρ, θύννου λαγόνες,
βατίδος νῶτον, κέστρας ὀσφύς,
ψῆττα, ξίφιος[2], *μαινίς, καρίς,*
τρίγλη, φυκίς·
τῶν τοιούτων μηδὲν ἀπέστω[3].

et

Athen. IX p. 402 e: *τὰ δὲ παρὰ τοῖς κωμῳδιοποιοῖς λεγόμενα δεῖπνα ἥδιστην ἀκοὴν παρέχει τοῖς ὠσὶ μᾶλλον ἢ τῇ φάρυγι· ὥσπερ τὰ παρ' Ἀντιφάνει μὲν ἐν Ἀκεστρίᾳ — ἐν δὲ Κύκλωπί φησι*

τῶν χερσαίων δ' ὑμῖν ἥξει
παρ' ἐμοῦ ταυτί·
βοῦς ἀγελαῖος, τράγος ἠλιβάτας[4],
αἲξ οὐρανία, κριὸς τομίας,
κάπρος ἐκτομίας, ὗς οὐ τομίας,
δέλφαξ, δασύπους, ἔριφοι . . .[5],
τυρὸς χλωρός, τυρὸς ξηρός,
τυρὸς κοπτός, τυρὸς ξυστός,
τυρὸς τμητός, τυρὸς πηκτός.

Arte inter se cohaerere haec fragmenta iam Meinekius cognouit, dubitauit tamen de pronominum fr. I, 1 et II, 1 ratione in priore (maiore) editione comicae poesis reliquiarum scribens fr. I, 1 *ὑμῖν* cum cod. C, in Athenaei editione et in minore

1) Ex Porsoni emendatione; libri *ὑμήττιος*.

2) Coniecit Meinekius; codd. *ψήττας κίσχος*.

3) Nescio an praestet deleto articulo paroemiacum restituere, qui claudat sententiam.

4) Ex Eustathio p. 1753, 24, qui testatur Cyclopis haec uerba esse nescio an non alio auctore quam Athenaeo, reposuit Meinekius.

5) Lacunam indicauit Dindorfius.

reliquiarum reponens ἡμῖν. Quaeritur, quis elocutus sit fragmina. De posteriore constare uidetur non tam Eustathii sublestae fidei testimonio quam rei ipsius perspicuitate: Cyclopis sunt uerba, quem uidemus promittere gregum suorum subolem uenationisque capturam nec minus sex casei genera, in quo faciendo sollertem eum fuisse docet Homeri fabula. De priore fragmento hoc nobis constat non promittentis esse haec uerba, sed postulantis. Promittentis est fr. II, 1 futurum ἥξει, postulantis sunt imperatiui fr. I, 1 ἔστω u. 9 μηδὲν ἀπέστω. Qua de causa fr. I, 1 ὑμῖν non potest ferri, solum quadrat ἡμῖν. Qui sunt ἡμεῖς? Cyclopem hoc pronomine significari ideo non est ueri simile, quod fr. II, 2 de se loquens non pluralem, sed singularem usurpat. Postulantur autem his uersibus uariae deliciae piscium marinorum, lautae offae subtilitatem culinarii iudicii prodentes. Agitur in his duobus fragmentis de compensatione quadam mercium ita quidem, ut posterius responsum contineat a Cyclope ad prius datum; quamquam non statim annectere licet fr. II, id quod dissuadet particula δέ u. 1, cui opposita erat particula μέν, et in capite enuntiati elatum τῶν χερσαίων. Quae quidem indicant excidisse talem fere sententiam:

> Marinas quidem delicias non habeo,
> τῶν χερσαίων δ' ὑμῖν ἥξει etc.

Quae in Cyclopis fabulis exstat mercium compensatio? Cogitet quispiam de mercatura Ulixis cum Sileno facta, quae proponitur ab Euripide Cycl. uu. 133 sqq. (u. impr. 137 sq. 150. 160. 254 sq. 257. 260. 270 sq.) ac statuat non Silenum, sed ipsum Cyclopem egisse cum hospitibus Ithacensibus. At uero qui dicuntur ναυτίλοι κεχρημένοι non delicias ad famem sedandam parum idoneas postulabunt, sed quae gestiunt apud Euripidem: panem et aquam fluuialem uu. 96 sqq. Quare cogita, num talis scaena fortasse condicioni indicatae magis respondeat: Postulant Nereides (pluralis numerus propter ἡμῖν fr. I, 1), ut Galateae sibique praebeat Polyphemus maris exquisitissimas lautitias, quas cum afferre non possit Cyclops, quicquid in gregibus possidet expetendi lasciuis nymphis offert. Nam per

ironiam prius fragmentum prolatum esse nobis persuasimus: pollicentur Nerei filiae Neptuni uastae proli adducturas se esse Galateam sororem, dum has apposuerit nuptiales epulas, non ignorantes numquam eas congesturum esse Cyclopem, quippe qui mare timeat nandi non peritus (cf. Theocr. id. XI, 60 sqq.). Cuius quidem postulationis procacitati optime conuenire nobis uidetur repetita adhortatio: *τοιούτων μηδὲν ἀπέστω.*

Quae si uera concinnauimus, de indole Antiphanis fabulae discimus haec: Actio erat in scaena proposita de Galateae nuptiis inter chorum Nereidum[1]) et Cyclopem iocandi causa, non serio consilio. Cyclops ipse proponitur pastoris potissimum habitu et apparatu — praeses quam ditissimus rei pecuariae. Possidet enim non solum oues et capras, ut apud Homerum, et boues, ut apud Euripidem, sed etiam sues (fr. II, 5), lepores uenatus est[2]) (ib. u. 6), casei uario modo apparandi est peritissimus. Videtur igitur epularum elegantia, quae in hac fabula sollemnis erat, non tam Cyclopi quam nymphis marinis tributa fuisse. — Ulixes in fabula fuisse non traditur. Si traderetur, tertium quod superest fragmentum Poll. IX, 88: *παρ' Ἀντιφάνει ἐν τῷ Κύκλωπι*

Κέρμα γάρ τι τυγχάνω

(ib. VII, 170: *κέρμα ἑνικῶς Ἄμφις εἴρηκεν ἐν Ἀμπελουργῷ καὶ Ἀντιφάνης ἐν Κύκλωπι*) intellegeremus de Ulixe Cyclopi num-

1) Quem hic primum probabiliter statuere possumus, in cassum statuit Klingenderus in Philoxeni dithyrambo l. l. p. 50.

2) V. 6 anapaesticam tripodiam ferri non posse uidit Dindorfius. Cum ex uenaticis feris leporem tantum commemorari miremur, huius generis bestiae nomen excidisse ratis in mentem nobis uenit u. Ouidianus met. XIII, 832, ubi Cyclops dona amatae offerens dicit:

nec tibi deliciae faciles uulgataque tantum
munera contingent, dammae leporesque caperque
parue columbarum demptusue cacumine nidus:
inueni etc.

Iam cum caprum habeamus u. 3, leporem u. 6, dammae notionem periisse arbitrati, ut similitudine litterarum initialium facilitatem excidendi excusaremus, incidimus in uocabulum *δορκάς* et proponimus:

δέλφαξ, ⟨δορκάς⟩, δασύπους, ἔριφοι.

cf. Nicet. Eugen. VI, 525.

mos pro esca offerente in comparationem uocato uersu Euripideo Cycl. 160:

πρὸς τῷδε μέντοι καὶ νόμισμα δώσομεν

supplentes non cum Meinekio λαβών uel λαχών, sed potius ἔχων uel, ut trimeter exeat, φέρων; conueniret autem sensus abiectus singularis numeri κέρμα cum naufragi Ithacensis penuria. Si uero liceret sumere Ulixis fabulam conexam fuisse in hoc dramate cum amoribus, etiam unum et alterum ex fragmentis incertae sedis non sine aliqua ueritatis specie suam stationem recuperaret. Quamquam — id quod in uniuersum de incertis et anonymis frustulis comicorum semel dixisse sufficiat — quae congessit grammaticorum et lectorum sedulitas maxima ex parte generales sunt sententiae pertinentes ad epularum lautitias, bibendi suauitates, uitae praecepta, mulierum matrimoniique iudicia, similia, quae poteris permultis adsignare comoediis; perrarae sunt reliquiae certa certi conexus indicia prae se ferentes, ex quibus aliquid sciri possit de indole fabulae. Itaque non spondemus nullum alium esse locum fragmentorum nisi in quem nos restituere conati simus, sed si aliunde accesserit aliqua similitudo, nos a probabilitate quadam non nimis aberrasse opinabimur. Animaduertimus autem duarum sententiarum cum Euripidei Cyclopis uerbis necessitudinem harum fr. inc. 14 Athen. II p. 45a:

μεταλλάξαι διάφορα βρώματα
ἔσθ' ἡδύ, καὶ τῶν πολλάκις θρυλουμένων
διάμεστον ὄντα τὸ παραγεύσασθαί τινος
καινοῦ παρέσχε διπλασίαν τὴν ἡδονήν

cum Sileni ap. Eur. uerbis uu. 250 sq.:

τὰ καινά γ' ἐκ τῶν ἠθάδων, ὦ δέσποτα,
ἡδίον' ἐστίν

et fr. inc. 40 Stob. floril. X, 22:

τὰ πονηρὰ κέρδη τὰς μὲν ἡδονὰς ἔχει
μικράς, ἔπειτα δ' ὕστερον λύπας μακράς

cum Ulixis ap. Eur. uerbis uu. 311 sqq.: πολλοῖσι γὰρ
κέρδη πονηρὰ ζημίαν ἠμείψατο.

Suo iure quispiam nobis opposuerit ab utroque poeta haec

esse ex sermonis uulgaris prouerbiis repetita et redire apud alios quoque poetas (cf. Men. monost. 6); sed nonne respondere nostro iure possumus easdem actionis eiusdem rationes renouasse eiusdem sententiae memoriam? Similiter Ulixem potissimum statuamus ad Cyclopem, quem uino domiturus est, dicere fr. inc. 35 Athen. I p. 23 a: *εἴρηται δὲ τὸ βρέχειν καὶ ἐπὶ τοῦ πίνειν. Ἀντιφάνης*

δεῖ γὰρ φαγόντας δαψιλῶς βρέχειν

uel, si Meinekio feliciter cessit coniectura,

δεῖ γὰρ φαγόντας [φάρυγα] δαψιλῶς βρέχειν,

cf. anal. crit. ad Athen. p. 11,

quae ad tale consilium pertinuisse suspicemur, quale proponit Ulixes Euripideus uu. 573 sqq.:

κἂν μὲν σπάσῃς γε δαιτὶ πρὸς πολλῇ πολὺν etc.

Interponere hic liceat sententiam de Matronis loco[1]) corrupto, de quo iudicium ferre debemus, ap. Athen. IV p. 135 b, ubi Matro parodus cenam Xenoclis rhetoris Atheniensis formulis Homericis exagitatis festiue describit et uu. 22 sqq. apuam inducit:

ἡ δὲ φαληρικὴ ἦλθ' ἀφύη, Τρίτωνος ἑταίρη,
ἄντα παρειάων σχομένη ῥυπαρὰ κρήδεμνα,
τοὺς δ' ὁ Κύκλωψ ἐφίλει καὶ ἐν οὔρεσιν ἐξεπεφύκει,
*πίνας ἦλθε φέρων καὶ *ἄμυλα ἠχήεντα.*

Vocum corruptelis non laborare locum probe perspiciet qui priorum atque illustrium philologorum conamina perlustrauerit apud Schweighaeuser. animaduers. in Athen. II p. 430 sqq. congesta, lacunosum esse uidit Meinekius, qui u. 24 et a praegressis disiunxit et in duos uersus dispescuit, quorum alterius initium, exitum alterius censuit. Hac uia pergentibus expediendum est nobis, quid supplendum sit ad uerba *τοὺς δ' ὁ Κύκλωψ ἐφίλει*. Quod cogitet quispiam et ipsi cogitauimus subesse Galateam, praesertim cum ceteri pisces nominibus mythologicis iocose insigniantur u. 22: *ἀφύη — Τρίτωνος ἑταίρη*, 33: *σηπίη — Θέτις ἀργυρόπεζα*, 36: *γόγγρος — Τιτυός*, 50: *τευ-*

1) Hunc locum debemus Grafii nostri amicitiae.

θίς — Ἶρις al., uetat pluralis generis masculini τούς. Didicimus uero ex fabulae historia omnibus temporibus Cyclopem adamasse caseos, quos sexies uariatos ultimum ut praestantissimum donum enumerare eum modo cognouimus apud Antiphanem. Supplemus igitur τυρούς cetera non expedituri et referimus ad piscium apparatum, quem significatum esse uoce κρήδεμνα u. 23 uere conclusere Dalecampius et Schweighaeuserus. Caseus autem quantopere in deliciis fuerit gulonibus in piscium escis apparebit Athenaei librum VII legenti cf. p. 278 c. 286 d. 288 d. 306 b. 309 f. 311 c (Συρακόσιοι καὶ Ἰταλιῶται). 314 d. 320 b. 321 c. 322 d. 325 f al. Videtur autem piscis nomen excidisse, qui cum caseo apparabatur. Altero autem uersu annexum fuisse imaginamur enuntiatum relatiuum ad ipsam rem non pertinens, quo Cyclopis natura epica uerbositate explanabatur ut fit in Homero, id quod commendat exitus ex Homeridarum poesi sumptus ἐξεπεφύκει cf. hymn. Cer. 12, quam formam mutando perdere non debuit qui de Matronis parodiarum reliquiis egit Monast. 1856 Guilelmus Paessens p. 17. Cyclopem uero caseos amantem ex communi mythi memoria etiam in suae aetatis comoedia uiua retinuit Matro, quem circa exitum quarti a. Chr. saeculi fuisse autumant cf. Paess. p. 1.

§ 3.

De Alexidis Galatea.

Pastoris habitum in Antiphanis Cyclope praeualuisse si recte conclusimus, ad culinarias uirtutes efferendas rediisse putamus Alexidem, cuius ex dramate Γαλάτεια inscripto quattuor fragmenta supersunt. Mythicum fuisse argumentum putanti assentimur Meinekio hist. crit. p. 390, qui hanc fabulam adscribit mediae comoediae aetati h. e. priori artis aetati poetae, cuius uitae terminos posuit Ol. 97 et 123. Grauissimum fragmentum seruauit Athenaeus XII p. 544 e ea ratione, qua incohat uerba poetae, demonstrans se non ipsum legisse integram fabulam: *κωμῳδῶν δ' αὐτὸν* (sc. *Ἀρίστιππον*) *Ἄλεξις ἐν Γαλατείᾳ ποιεῖ τινα θεράποντα διηγούμενον περί τινος τῶν μαθητῶν τάδε*

ὁ δεσπότης οὑμὸς περὶ λόγους γάρ ποτε
διέτριψε μειρακίσκος ὢν καὶ φιλοσοφεῖν
ἐπέθετο. Κυρηναῖος ἦν ἐνταῦθά τις,
ὥς φασ', Ἀρίστιππος, σοφιστὴς εὐφυής,
μᾶλλον δὲ πρωτεύων ἁπάντων τῶν τότε
ἀκολασίᾳ τε τῶν γεγονότων διαφέρων.
τούτῳ τάλαντον δοὺς μαθητὴς γίγνεται
ὁ δεσπότης. καὶ τὴν τέχνην μὲν οὐ πάνυ
ἐξέμαθε, τὴν δ' ἀρτυσίαν συνήρπασεν [1].

Versus 5 sq. uix integri. Nimis inaniter augetur notio illius *εὐφυής* uoce *μᾶλλον*, nisi uerbum *πρωτεύων* additamento maius quid et inexspectati continente definitur, ut u. 6 *διαφέρων* datiuo *ἀκολασίᾳ*. Conati uero Graecis uerbis hiatum explere, si ludere fas est, profecti ab oppositione philosophorum, qui sunt et qui fuerunt, desideramus eos, qui erunt, ut comica exaggeratione dicatur Aristippus etiam futuros superare (cf. Mardonium Xerxem laudantem Herod. VII, 9), rati sic quodammodo alludi ad apophthegma aliquod Aristippi in Athenaei uerbis ut opinamur seruatum XII p. 544 a: *παραπλησίως τοῖς ἀσώτοις οὔτε τὴν μνήμην τῶν γεγονυιῶν ἀπολαύσεων πρὸς αὑτὸν ἡγούμενος οὔτε τὴν ἐλπίδα τῶν ἐσομένων, ἀλλ' ἑνὶ μόνῳ τὸ ἀγαθὸν κρίνων τῷ παρόντι, τὸ δὲ ἀπολελαυκέναι καὶ ἀπολαύσειν οὐδὲν νομίζων πρὸς αὑτόν, τὸ μὲν ὡς οὐκ ἔτ' ὄν, τὸ δὲ ὡς οὔπω* [*καὶ ἄδηλον*]. Hunc igitur edolauimus progressum:

μᾶλλον δὲ πρωτεύων ἁπάντων τῶν τότε
⟨ἀσωτίᾳ, τῶν δ' ἐσομένων ἀπληστίᾳ⟩
ἀκολασίᾳ τε τῶν γεγονότων διαφέρων.

Vides ut aberrare potuerint librarii oculi. Didicisse igitur fertur aliquis *δεσπότης* non philosophiam a philosopho, sed artem cibos condiendi. Qualem erum in tota fabula nullum alium inuenimus quam ipsum Cyclopem, in quo coqui personam exseruisse uidemus Alexidem. Institutus autem si comice fingitur ab Aristippo Cyrenaico, quem primum Socraticorum mercede discipulis doctrinam uendidisse scimus ex Diog. Laert. II, 8, 65,

1) Libri *ἀρτηρίαν συνήρπασεν*. Meinekius emendauit.

consentit hoc cum philosophandi illo studio, quo Cyclopis ignorantiam exornare amabant poetae. Videntur autem haec nobis insulse dicta esse, nisi Alexis certum quendam hominem hac irrisione pungeret. Non enim sine causa adulescentia discipuli tempus institutionis definitum Aristippumque eo tempore adfuisse indicatum est. Ἐνταῦθα notio, si uerum argumentum oculis proponimus, nullum alium locum significare potest quam Siciliam. In Sicilia autem Aristippus minimum bis uersatus est consuetudine usus non solum Dionysii maioris, sed etiam minoris cf. Henricum de Stein: de philosophia Cyrenaica, Gott. 1855 p. 57 sqq. Primum uero Syracusas Aristippum peruenisse Steinius ponit in tabula (p. 20) anno 389, deinde a. 361 una cum Platone. Iam nobis uu. 5 sqq. eam aetatem Aristippi ostendere uidentur, qua summa et corporis et ingenii alacritate florebat, excludere senectutem; senex autem septuagenarius iterum Syracusas uenit, si recte Steinius annum eius natalem haud multo ante a. 435 ponit. Quare uel hanc ob causam priorem terminum praeferamus. Eximie autem omnia expediuntur, si δεσπότην illum Dionysium maiorem sub Cyclopis persona latentem esse statuimus. Facit poeta seruum aliquem narrantem de eri studiis philosophicis carpens Dionysii cum Aristippo familiaritatem, quam culinariam magis quam philosophicam fuisse testatur schol. Lucian. Menipp. p. 20, 7: *δεινὸς τὰ περὶ γαστέρα τε καὶ τοὺς μαγείρους σοφιστής· παρῆν Διονυσίῳ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τὴν Σικελίαν αὔξων αὐτοῦ τὴν τρυφήν* etc. Iam licet his ex rationibus aliquid computare de tempore fabulae Alexidis. Omne acumen irrisionis hebes mansisset, nisi Dionysius, cum Cyclopis persona tectus uellicaretur, in uiuis fuisset; mortuus autem est a. 367. Iam si initio Ol. 97 h. e. ca. a. 390 natum esse Alexidem e Thuriorum clade ca. Ol. 97, 3 recte conclusit Meinekius hist. crit. p. 375 sq., referre poterimus fabulae actionem in adulescentiam poetae.

Qua cum computatione concinit, quod δεσπότης ille floridos annos iam pridem egressus in scaena proponebatur, id quod sequitur ex uerbis *ποτὲ διέτριψε μειρακίσκος ὤν*. Ac

fingimus nobis Galateam inter primas adulescentis poetae fabulas fuisse, quippe qui nouare argumenta nondum ausus argumentum in scaena spectatum, quale iam erant Cyclopis in Galateam amores praesertim in eis regionibus, ubi natus erat poeta, repeteret. Videmus autem ex Philoxeni dithyrambo remansisse Dionysii Cyclopis nomine tecte significati irrisionem; ac uidetur Alexis senem balbulum nymphae amore correptum spectatoribus propinasse. Neque mirum, quod comicus illos amores ad senectutem Dionysii rettulit. Consueuerant opinamur spectatores in scaena Dionysium Cyclopis persona indutum aspicere, ut quod senex aliquando proferebatur figura sollemnis ueteribus libidinibus nondum depositis non modo non mirarentur, sed de integro riderent. — Prius autem fragmentum haud ita magno interuallo excepisse uidetur fr. II Athen. VII p. 314 d:

νάρκην μὲν οὖν, ὥς φασιν, ὠνθυλευμένην
ὀπτᾶν ὅλην,

quam abruptam sententiam Meinekius suppleuit dubitanter addens *δεῖ*. At uero nescio an praecipiendi notio ab eo abhorreat, qui uerbis *ὥς φασιν* artis culinariae subtilitates non penitus se nosse significet. Quare statuamus eundem illum seruum, a quo priora dicta sunt, tali fortasse conexu haec dixisse 'narcam quidem, ut aiunt, condimentis impletam totam assare' ⟨didicit⟩ (*ὀπτᾶν ὅλην* ⟨*μεμάθηκε*⟩), non didicit — iam annexam fuisse putamus philosophicae doctrinae aliquam regulam, ut comica oppositione exempli artis assandi et philosophicae thesis risus moueretur. Ac cernitur eo acumen illius sententiae, quod assare pisces, non coquere Siculi erat prae ceteris moris, id quod discimus ex Ephippi comici Philyr. fr. I Athen. VII p. 286 e coll. c. Platonis comici et Archestrati fragmentis ab Athenaeo VII p. 314 seruatis. Etiam hac re uidetur quodammodo comprobari Siculum fuisse argumentum. Quae praeterea laudantur ex Alexidis Galatea, nihil fere nos docent fr. III Antiatt. B. p. 93: *εὐοψίαν· ἀντὶ τοῦ εὐπροσωπίαν. Ἄλεξις Γαλατείᾳ* cf. Poll. VI, 38 (*εὐοψωνίαν* cf. Mein. suppl. add. comic. uol. III in uol. V p. CCIII) et fr. IV Phot. lex. s. u. *νομι-*

κόν (I p. 448 N.)· *τὸν ἐπιστήμονα τῶν νόμων* [1]). *Ἄλεξις Γαλατείᾳ* cf. Antiatt. B. p. 109, quamquam non inficete quispiam coniecerit *εὐοψίαν* Galateae Cyclopem cantu celebrasse, non *εὐπροσωπίαν* (cf. Philox. fr. 8, 1), quoniam *ὄψον* ei omnis pulchritudinis praestantissimum exemplar esset. Eius autem quam ab Aristippo didicit philosophiae Cyclops personatus quasi specimen spectatoribus fortasse proposuit fr. inc. 31 Plut. de aud. poet. p. 21 d: *οἷον τοῦ Ἀλέξιδος κινοῦντος ἐνίους, ὅταν λέγῃ*

τὰς ἡδονὰς δεῖ συλλέγειν τὸν σώφρονα·
τρεῖς δ' εἰσὶν αἵ γε τὴν δύναμιν κεκτημέναι
τὴν ὡς ἀληθῶς συντελοῦσαν τῷ βίῳ,
τὸ πιεῖν, τὸ φαγεῖν, τὸ τῆς Ἀφροδίτης τυγχάνειν,
τὰ δ' ἄλλα προσθήκας ἅπαντα χρὴ καλεῖν,

ὑπομνηστέον, ὅτι Σωκράτης τοὐναντίον ἔλεγε, quae memoriam reuocant uiuam eorum, quae Cyclops Euripideus philosophatur uu. 336 sq.:

ὡς τοὐμπιεῖν γε καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν
Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσιν coll. uu. 316 sq.

Videtur igitur per mediam comoediam ea imago Polyphemi praeualuisse, quam Cratinus adumbrauerat, adscitis amoribus a Philoxeno primo inductis ita tamen, ut inter poetas alius alios colores libentius picturae inferret, qua quidem ratione sola probabiliter explicatur, quod spectatores eiusdem personae repetitae descriptionis non taedebat. Ac ueri simile factum arbitramur Dionysii quoque Cyclopis nomine uellicationem in illius aetatis comoediam transiisse. — Comica autem irrisio opinamur nonnihil contulit ad impellendum Zoilum [2]) Amphipoliten *Ὁμηρομάστιγα*, cuius aetatem intra annos a. Chr. n. 400 et 330 ponit Blassius de eloquent. Att. II p. 344 sqq., ut Polyphemi figuram non cum fauore ab Homero delineatam defenderet et laudaret detrectans magis Ulixi, quantum sequitur ex uno quod superat fragmento ap. schol. Plat. Hipparch.

1) Fortasse hi *νόμοι* non diuersi ab eis, quos explicat Antiatt. B. p. 109, 24: *νόμους· τὸ νόμισμα, οὓς οἱ Ἰταλικοὶ νούμους καλοῦσιν.*

2) Huius me admonuit Franciscus Poland amicus.

p. 334: τέως· δηλοῖ τὸ πρὸ τοῦ. — Ζωΐλος ἐν τῷ εἰς Πολύφημον ἐγκωμίῳ· οὕτω γὰρ ὡμογνωμόνησαν οἱ θεοὶ περὶ τῆς τιμωρίας ταύτης, ὥστε πάντοθεν Ὀδυσσεὺς τέως ὁ σωζόμενος καὶ τὰς ναῦς ἀκεραίους περιποιούμενος περιώφθη μετὰ τὴν ἀρὰν ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς. Nimirum efficacem ostendebat ipso ex Homero (cf. Blass. l. l. p. 345) ἐνστατικός ille imprecationem Polyphemi excaecati in Ulixem emissam Od. IX, 528 sqq. ita quidem, ut etiam Mineruae, fidelissimae tutricis, misericordia destitutus socios et naues amitteret omnes antea non tanto facto naufragio (cf. Lehrs. Arist.[2] p. 205). Atque facile imaginamur iustas demonstrasse Zoilum preces istas ratiocinatione sophistica, cuius uiuam imaginem in consimili causa utiliter conferes Gorgiae Ἑλένης ἐγκώμιον, causis inuentu non difficilibus, quoniam clandestino consilio Ithacensis dormientem necauerat hospitem (cf. Blass. l. l. p. 347). Erat igitur 'dis gratiosus' (cf. Lehrs. l. l.) Cyclops, ac fortasse a nobilitate originis incohabat laudationem rhetor ut Leontinus l. l. §§ 3 sqq.

§ 4.

De noua comoedia.

Num nouae comoediae auctores huic argumento operam nauarint prorsus dubium. Studuerunt uiri docti alteri ex Apollodoris fabulam aliquam Γαλάτεια inscriptam uindicare (Meinek. hist. crit. p. 467), primus Toupius Add. ad Theocr. II p. 402, titulum corrigentes a Stobaeo flor. III p. 242, 11 M. traditum Ἀπολλοδώρου Γάλακτος

τοῖς γὰρ μεριμνῶσίν τε καὶ λυπουμένοις
ἅπασα νὺξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρά.

Iam ut corruptus sit titulus, tamen ipsa uerba de hoc argumento cogitare minime cogunt; nam quod fortasse quispiam de Polyphemo desiderio tabescente colligat, aduersantur uerba μεριμνᾶν et λυπεῖσθαι, quae uix de amoris dulci amaritie usurpantur, et alia exempla a Byzantino lectore sub titulo περὶ λύπης ὅτι λίαν μοχθηρὰ καὶ ἐπώδυνος τοῖς φροντίζουσιν allata. Quamquam igitur si traditum esset facile crederemus

Apollodorum Geloum (cf. Suid. s. u.) potissimum talem fabulam scripsisse ex patriis mythis haustam, tamen non tam certa res est, ut cum Rohdio (de fab. Rom. p. 77 adnot. 2) affirmare audeamus scripsisse Apollodorum Galateam.

Paulo certius iudicium ferri posse nobis uidetur de Posidippi aliquo titulo tribus locis a Polluce commemorato IV, 175. VII, 111. X, 22 semper fere consentientibus codicibus *ἐν Γαλάτῃ*, praeterquam quod X, 22 liber Falckenburgianus habet *ἐν Γάλατι*, cui non multum tribuas. *Γαλάτῃ* datiuum descendere uoluit Meinekius a nominatiuo *Γαλάτης*; at iam Salmasius pro *Γαλάτῃ* proposuit *Γαλατείᾳ* et assentientem nactus est diuinum Bentleium Phalarid. p. 465 (uers.). Quam quidem sententiam immerito spreuerunt recentiores, cum certe probabilitatis conclusione nitatur. Disserit enim Pollux IV, 173 sqq. Aristotele auctore de nummis et ponderibus rationes Atticas comparans cum Siculis et non solum apud Siculos poetas inueniri dicit nummum Siculum *λίτραν* (cf. Hultsch. metrol. p. 206), sed addit: *ἔνιοι δὲ καὶ τῶν Ἀθήνησι κωμῳδούντων τῶν νέων, οἷον Φιλήμων ἐν Σικελικῷ καὶ Ποσείδιππος ἐν Γαλάτῃ*. Iam cum antea 173 dixerit Pollux: *στατῆρα δὲ οἱ τῆς κωμῳδίας ποιηταὶ τὴν λίτραν λέγουσιν* (cf. et. Poll. IX, 81 sq.) concludere licebit tunc solum *λίτρας* mentionem iniecisse poetas Athenis, si de Siculis rebus ageretur, quod de Philemonis 'Siculo' praeter ipsum titulum ueri simillimum fit ex Athen. XIV p. 658 a b (fr. II M.). Itaque cum sequatur etiam *ἐν Γαλάτῃ* Siculas res tractatas esse, quid magis consentaneum, quam notissimam Siculorum fabellam esse propositam[1])? Quid uero Gallo cum nummo Siculo? 'At enim traditur *ἐν Γαλάτῃ*, non *ἐν Γαλατείᾳ*'. Non corrigimus cum Salmasio, sed putamus idem esse *Γαλάτη* atque *Γαλάτεια* ex analogia talium formationum ut *Εὐρώπεια Εὐρώπη*, *Ψαμάθεια Ψαμάθη*, *Καλλιόπεια Καλλιόπη*, *Περσεφόνεια Περσεφόνη* sim. quales multas congessit Lobeckius in paralipp. gr. Gr. p. 320 sqq. Alterius autem formae *Γαλάτη* etiamsi nullum exemplum apud scriptores Graecos

1) Sic enim conclusionem ducimus, non inuerso ordine ut uidetur Salmasius.

uidetur exstare, tamen umbram certe testimonii repetere uelimus e Seruii ad Aen. I, 201 adnotatione e codice Fuldensi Petri Danielis (cf. Thilon. praef. p. IV) sumpta: 'quidam tamen haec saxa inter Catinam et Tauromenium in modum metarum situ naturali dicunt esse, quae Cyclopea appellantur, quorum medium et eminentissimum Galate dicitur'. Suspicamur enim maximo illorum saxorum Cyclopeorum nomen amatae Cyclopis inditum fuisse. Quare titulum Galateae certo Posidippo uindicamus dolentes, quod de ipsa fabula nihil fere scimus. Nam una superest sententia Poll. VII, 111: *τὰ θυροποιῶν* (sc. *εἴρηται*) *ἐν τοῖς περὶ οἴκων* (*οἷς προσθετέον, ὅτι ἦν Ὅμηρος μὲν εἴρηκε κορώνην, οἱ δὲ νῦν κόρακα, οὕτως ὠνόμασε καὶ Ποσείδιππος ἐν Γαλάτῃ εἰπὼν 'κόρακι κλείεθ' ἡ θύρα'· ἔστι μὲν οὖν οὐ κεκριμένη τοῖς νέοις ἡ φωνή* etc.), quam lectionem cum Meinekio praeferimus alteri X, 22: *κόρακι κρούεθ' ἡ θύρα*. Quam si comparamus cum Theocr. uu. VI, 31 sqq., ubi Polyphemus spernere se simulans Galateae amorem dicit:

ταῦτα δ' ἴσως ἐσορεῦσα ποιεῦντά με πολλάκι πεμψεῖ
ἄγγελον· αὐτὰρ ἐγὼ κλᾳξῶ θύρας, ἔστε κ' ὀμόσσῃ etc.,

ita quidem, ut apud Posidippum Polyphemus dicat: quotiens ad Galateae ianuam accedebam, *κόρακι κλείεθ' ἡ θύρα*, ipsi concedimus magis ludere id esse quam comprobare.

Atque haec quidem de comoediae auctoritate enucleauimus animum attendentes ad Polyphemi potissimum figuram non nescientes Cyclopes etiam aliis in fabulis inductos esse chori partes agentes, ueluti in Eupolidis comoedia *Χρυσοῦν γένος*, a Callia in Cyclopibus al. (cf. Bergk. de rell. com. Att. ant. p. 363 sq.). Attamen ex iis parum utilitatis redundabit ad Polyphemi personam cognoscendam, in qua excolenda data opera studium posuere omnium aetatum poetae. Ex fragminibus comicorum anonymorum nihil fere expiscati sumus, certe nihil, quod non eodem iure similibus argumentis tribui possit.

Vidimus igitur, quemadmodum singuli poetae suis quisque coloribus exornarint imaginem Polyphemi ab Homero adumbratam. Qua ex descriptione studiosissime arreptam esse uoracitatem et uinulentiam ingentis uiri facile explicatu ex

generibus poesis, quae eum sibi elegerant tractandum; sed ne hac quidem in re subtiliores desiderauimus discrepantias inter singulos poetas, qui modo ferocem anthropophagum modo delicatulum coquum exseruerunt. Iam inde a perantiquo tempore philosophica quadam aura circumdatum sensimus brutum monstrum. Plane autem nouam speciem exhibuit amor Galateae in dithyrambica poesi recentiore primum obuius, qui etiam cantandi saltandique studium in rudi homine excitauit. Unum ab Homero magis quam cetera excultum usque ad hanc aetatem miro modo neglectum est: Polyphemi pastoralis uita et indoles bucolica, quam tactam esse coniecimus ab Epicharmo et Antiphane. Hanc quidem posterior aetas diligentius excoluit.

Caput VII.

De Alexandrinorum poesi.

Inhibendus erat hic temporis paulisper cursus per litterarum spatia institutus, cum libertate Graecorum amissa etiam in poesi factitanda noua aetas exoriatur, qua haec quoque fabula noua capit incrementa. Duplici enim modo tradita materia discinditur altero ad argumenti ambitum spectante ad tractationem poeticam pertinente altero. Primum enim Ulixis persona, quam sollemnem fere in fabulae supellectile cognouimus, quia necessaria erat ad actionem dramaticam implectendam, tunc a poetis solet secerni propterea, quod caecatio Polyphemi segregatur ab amore; qui quidem ita a poetis tunc in deliciis habetur et praefertur, ut alterius partis memoriam paene oblitteret. Nec mirum erit quod huic parti magis fauebant poetae reputanti, quantopere huius aeui studia tenuioribus affectibus inclinauerint, cum praesertim amor Polyphemi ueterem figuram expoliendi maiorem quam clades praeberet copiam. Deinde toto caelo distant genera tractationis, in quae fabula illa ex comoedia transit. Est sane proprium huius argumenti, ut paene omnibus — tragoedia excepta — ludicrae

artis formis commode adaptetur et acceptum sese praebuerit et epico tenore narratum et scaenico apparatu actum, non minus cum satyrorum lasciuia conexum quam comicorum iocis irrisum, non solum cum gestu dramatico recitatum, sed etiam dithyrambico tumore cantatum. Tunc efflorescit humillimum genus musicae artis mimorum ab antiquo tempore repetendum, sed Romana demum aetate ad fastigium perfectionis et gratiae euectum, cuius ad scurrilitatem et procacitatem quadrabant Polyphemi mores et casus; neque abhorrebat a fabulae natura, ut saltando spectatoribus proponeretur. Hoc in genere Cyclopis personam perfectius excultam esse nemo exspectabit: ut rudes mores taeterque aspectus in maius augerentur ipsa res suadebat.

Contra Alexandrini qui dicuntur poetae subtili expolitione hanc figuram exornabant duritiem mollientes, saeuas libidines mitigantes, deformitatem minuentes, ut caelatam pastoris amantis imaginem exprimerent. Hac in poesi progressus fit in excolenda Polyphemi figura et consummatio, neque ultra hanc aetatem scimus prodiisse qui non traditos uel monstratos colores imitaretur, sed ipse libere suo ex ingenio effigiem extunderet. Excoluere autem lepidam fabellam inter Alexandrinos Hermesianax, Callimachus, Theocritus, Bio, quorum quidem sciamus nomina duorum e carminibus fere sola superantia. — Difficile est horum poetarum tempora ita distinguere, ut quem quisque praecesserit quemque secutus sit accurate dinosci aut quibus quisque usus sit uel uti potuerit auctoribus certo sciri possit. Facile concedetur natu maximum fuisse Hermesianactem, quem nobilissimum carmen Leontium inscriptum ante a. 287 edidisse Pausaniae locum I, 9, 8 rectius interpretatus docta adnotatione comprobauit Erwinus Rohde de fab. Rom. p. 75. Ante quod tempus uix Callimachus Theocritusue poemata sua diuulgarant, si quidem aequales fuere Arati, quem ca. Ol. 118 natum esse ostendit Fr. Ritschelius de bibliothecar. Alexandr. chronologia op. I p. 71 sq.[1]) Praesulem igitur su-

1) Natu minorem fuisse Callimachum consequens est ex Arati uita 1, 74 sqq. Westerm. cf. Keilium in Ritsch. op. I p. 234.

mere licebit in hoc argumento Alexandrinae aetatis poetarum Hermesianactem.

§ 1.

De Hermesianactis elegia.

Aelius Herodianus propter glossam *γλήν* unicum fragmentum poematis seruauit *περ. μον. λεξ.* 16, 13 Lehrs.: *οὐκ ἀντιθήσει τις ἡμῖν τὸ παρὰ τῷ Ἑρμησιάνακτι ἐν Λεοντίου α´*

δερκόμενος πρὸς κῦμα, μόνῃ δέ οἱ ἐφλέγετο γλήν.

οὐ γὰρ ἐντελές, ἀποκεκομμένον δὲ ἐκ τοῦ γλήνη. Ad Cyclopem hunc uersum pertinere euincit unus ille oculus, quem poetae, non artifices Polyphemo potissimum attribuunt; nec poterat ullus uersus aetatem ferre alius qui clarius imaginem amantis Cyclopis ante oculos poneret. Videmus enim Neptuni filium ex litore in mare prospicientem Achillis instar, qui *ὁρόων ἐπ᾽ ἀπείρονα πόντον* matrem inuocat Il. I, 350, marinam nympham prodire gestientem, 'amoris ardorem oculi fulgore testificantem' (cf. Bach.: Philet. Coi, Hermes. Coloph. atque Phanoclis rell. Halis 1829 p. 96). Cognoscimus autem iam Hermesianactem typum illum sculpsisse, quem posteriores in depingendo Polyphemo amatam quaerente ut sollemnem sunt imitati, cuius rei non sufficit testes afferre ut fit Theocritum XI, 13 sqq. et Ouid. metam. XIII, 778 sqq., sed redit eadem res apud Bionem fr. XV, 1 sq. A.:

αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδὸν ἐς τὸ κάταντες
τῆνο ποτὶ ψάμαθόν τε καὶ ἠϊόνα ψιθυρίσδων.

Ps.-Bion. XV (Ahr. id. inc. VI), 2 sq.:

Λῇς νύ τί μοι Λυκίδα Σικελὸν μέλος ἁδὺ λιγαίνειν
ἱμερόεν γλυκύθυμον ἐρωτικόν, οἷον ὁ Κύκλωψ
ἄεισεν Πολύφαμος ἐπ᾽ ἠόνι τᾷ Γαλατείᾳ;

Philostr. imag. II, 18: *ἐρᾷ γὰρ τῆς Γαλατείας παιζούσης ἐς τουτὶ τὸ πέλαγος.*

Nonn. XIV, 65: *εἰσορόων — Γαλάτειαν ἐπέκτυπε γείτονι πόντῳ.* cf. et. Val. Flacc. Argon. I, 136.

Nec Cyclops solus maris undis affigit uisum, sed etiam gregis custos canis domini sequitur exemplum cf. Theocr.

VI, 10 sqq.: ἁ δὲ βαῦσδει
εἰς ἅλα δερκομένα, τὰ δέ νιν καλὰ κύματα φαίνει
ἅσυχα καχλάζοντος ἐπ' αἰγιαλοῖο θέοισαν.

Comparatis his locis fit manifestum, quo fere conexu Polyphemus dicatur mare spectare, nimirum edens simul carmen amatorium, quo alliciat Galateam, quod quidem carmen statim adnectitur apud Theocritum XI, 17 sq.:

καθεζόμενος δ' ἐπὶ πέτρας
ὑψηλᾶς ἐς πόντον ὁρῶν ἄειδε τοιαῦτα,

apud Ouidium metam. XIII, 785 sqq.:

senserunt toti pastoria sibila montes,
senserunt undae.

Non multum igitur a uero aberrabimus, si apud Hermesianactem quoque aut praegressam aut subsecutam esse statuerimus mollem cantilenam. Quod additur:

μόνη δέ οἱ ἐφλέγετο γλήν,

pertinet ad descriptionem figurae Cyclopis, quam alias inuenimus ipsi cantui insertam; neque hic accuratiorem delineationem praecessisse opinamur, sed si quid sentimus hoc additamentum epici tenoris more adiunctum uidetur eo, quo indicata oratione directa per particulas δέ uel γάρ adnecti solet aliquid hemistichii fere cancellis inclusum, quod loquentis externam condicionem et habitum illustrat cf. Il. VII, 95. X, 390. IX, 433. VIII, 493 sqq. Od. VIII, 476; Apoll. Rhod. I, 887. III, 1067 sq. et qui proxime ad illum faciunt loci Il. I, 104. 200. Ceterum qua ratione carmen uel hanc primi Leontii libri partem composuerit Hermesianax prorsus nos fugit; nec nauci est ad uirorum doctorum de hac re opiniones nouam addere non magis probabilem. Profecti sunt hac in quaestione instituenda maxime ab insigni fragmento longiore ab Athen. XIII p. 597 sqq. seruato tertii illo quidem libri, et cum in hoc celeberrimi poetae et philosophi qui quidem uim amoris passi essent ex ordine recenserentur, etiam in ceteris libris parem cateruam aliorum amatorum productam fuisse coniecere, uelut in primo propter Polyphemum pastorum. Cuius coniecturae fides uel inde ualde infringitur, quod de altero libro simile quid comprobari nequit,

nisi cum Schulzio (quaestiones Hermesianact. diss. Bonn. Lips. 1858 p. 37) ad uile refugium descendere uelis. Qui fretus argumento fabulae de amore Arceophontis ab Arsinoa illuso ab Antonino Lib. metam. 39 seruatae poetam 'consilio in hoc libro paululum immutato respexisse eorum amatorum genus statuit, in quibus infelices amoris exitus illustrarentur', ipse sibi non constans, sicut Hermesianax non fuisset, si sic poemata disposuisset, cum infelicis exitus amorem Menalcae Chalcidensis, quem sec. arg. Theocr. id. IX Colophonius narrauit *ἐρασθῆναι τῆς Κυρηναίας* (Rohdius l. l. p. 78 adn. 1 cum cod. k *κρηναίας*) *Εὐΐππης καὶ διὰ τὸ μὴ ἐπιτυγχάνειν αὐτῆς κατακρημνισθῆναι*, cum Bachio ad primum librum releget. Non fingimus nobis erotici poetae tam seuerum ordinem in adnectendis fabulis amatoriis, neque hac re opinamur amatae puellae animum delectasset aut detinuisset, neque hoc suadet superstes frustum, quippe quod centum fere uersibus poetas nonnullosque philosophos comprehendat, cum sic continuata serie non sufficerent amatorum categoriae. Immo uariasse putamus Hermesianactem ex animi uoluntate et amoris fluctuante affectu argumenta et felicis et infelicis exitus et teneri desiderii et feruidae libidinis fabulas modo exponentem modo adumbrantem, omnino exemplar exstitisse poetarum elegiacorum Romanae aetatis, qui ut ipse amatae nomen inscripserunt libellis suis, uelut Propertius Cynthiae. Cf. etiam Lucilii libr. XVI, qui 'Collyra' inscriptus erat sec. Porph. ad Hor. carm. I, 22, 10. Itaque incauti esset de huius fabulae tractatione certa concludere, quam utrum exposite narrauerit an tetigerit paucis uersibus nescimus. Bene tamen accidit, quod eum poetam, quem primum hoc argumentum Alexandrinorum poetarum scholae et arti suppeditasse suspicari licet, cognitum habuisse scimus ex fragmenti uu. 69 sqq. Philoxeni drama, qui in hac fabula ut in musica nouae tractationis est quasi antesignanus. Habemus igitur conexum Alexandrinae artis cum dithyrambo recentiore manifestum, ac non inepte quispiam coniecerit Hermesianactem h. l. u. 73 uerbis *γιγνώσκεις ἀΐουσα μέγαν πόθον* ideo quoque orationem ad Leontium secunda persona conuertisse,

quod primo libro iam Galateae eiusque feri amatoris mentionem fecerat.[1])

§ 2.

De Theocriti idylliis.

Deuenimus ad eos poetas, in quibus cum gloria et uirtus totius poesis Alexandrinae nitatur, tum huius argumenti insignis dulcedo posterisque propagata celebritas consistit, Theocritum et Callimachum. Nescimus, uter utro hac in materia tractanda fuerit prior, cum aequales fuisse bucolicum et grammaticum testetur scholiasta Theocr. ap. Ahr. II p. 2 B. Non multum iuuamur, quod Callimachus epigr. 47 uu. 1 sq. respicere uidetur Theocriti id. XI, id quod suadent imprimis uerba bucolici u. 17: *ἀλλὰ τὸ φάρμακον εὗρε* (cf. Hiller. ad h. l.) et Battiadae *ἀνεύρετο τὰν ἐπαοιδάν*, quamquam potest alicui ueri similius uideri Callimachum non ad Theocriti carmen allusurum fuisse, si ipse iam antea eundem mythum tractasset. Scimus autem — hoc paene solum certum est — Callimachi Galateam ex uersibus hexametris constitisse, quo metro praeter hoc unum tantummodo quantum ex fragmentis colligi potest composuit poematium, Hecalae *τορευτὸν ἔπος*, quod tum demum ab eo factum esse constat, cum elegiacae poesis elegantia et tenuitate summam gloriam adeptus obtrectatoribus nauseam mouisset. Quod cum posterius aliquod uitae tempus indicare uideatur, etiam Galateam huc referemus. Theocriti autem idyllium XI accuratioribus terminis circumcludi poterat, si quando poeta in Sicilia fuisset constaret. Nam recte concluserunt uiri docti e uerbis XI u. 7: *ὁ Κύκλωψ ὁ παρ' ἁμῖν* poetam cum hoc scriberet in Sicilia commoratum esse, ubi fuit a. 265, cum hymnum in Hieronem, Syracusanorum regem, componeret. Videtur autem propria indoles et externa causa undecimi idyllii cogere, ut iuuenem fingamus Theocritum (adulescentulum fingit Wilamowitzius Herm. XIV p. 173), si quidem

1) Etiam ceteris locis, ubi secundam adhibet personam uu. 49. 75, talia significat carmina, quae illo tempore uidentur eruditae puellae in lectionis deliciis habuisse, Alcaei et Philetae.

eum cui remedium amoris suppeditat poeta Niciam amicum iuuenem potius quam aetate prouectiorem teneris affectibus indulsisse condonabis. His de causis quamuis ambiguis si Theocriti idyllium XI prius fuisse Callimachi epyllio statuimus, prorsus idonea ansa temporis definiendi caremus in idyllio VI, quo redeunt Polyphemi et Galateae amores. Hoc unum nobis uidetur quam maxime commendari, quod nonnulli statuerunt post id. XI compositum id. VI, et commouemur maxime propterea, quod in undecimo mythus ex ordine et epico quodam tenore exponitur *διηγηματικῶς*, sexto ut plane notus quasi in scaena partes pastoribus sustinentibus agitur cf. Hiller. ad id. VI. Itaque de Theocrito primum disserere satius erit.

Depinguntur Polyphemi et Galateae amores duabus eclogis XI et VI magna ipsius affectus intercedente discrepantia. Undecimo enim idyllio flagrantissimus amor Cyclopis proponitur, sexto amatam aspernans superbia. Iam cum sub finem carminis XI infelix amator Musarum remedio sedatus ipsum se stimulet ad excutiendum iugum, quali fastidio eum se inflantem uidemus id. VI, continuatum esse quodammodo argumentum recte cognouit Hillerus in praemon. ad id. VI etiam hac ex re causam deducens, cur eclogam numero priorem posteriorem iudicaret tempore. Seiunctim haec idyllia tractare opus erit tunc, cum de forma mythi immutata disseremus; nunc cum primum typum Polyphemi a Theocrito elaboratum, deinde cantilenae amatoriae indolem, denique Galateae imaginem describere in animo est, comprehendere ambo poematia licebit.

Ut supra monuimus, Homericae Cyclopis descriptionis una pars paene delituit per posterorum poesim: bucolica natura. Quam studiosissime arreptam esse a celeberrimo bucolicae poesis auctore Theocrito eo propensius credimus ac paene exspectamus, quod apud Homerum, omnium poetarum maxime Alexandrinorum fontem inexhaustum, uix alibi reperiebat accuratiorem culturae rusticae imprimis rei pecuariae enarrationem minutissimas res complectentem, quam in antro aulaque Polyphemi Odysseae libri IX. Hanc potissimum ceteris Homericae

imaginis coloribus seclusis suae arti subiecit paucissimos aliunde flosculos adsumens, sed ipse suo ex ingenio plane nouum et uiuacem effingens charactera. Talem uero proponit Polyphemum, ut non amplius reformidemus, sed delectemur et aliquantulum faueamus perdite atque infeliciter amanti misericordiam ferocitati Veneris ui domitae non denegantes [1]), id quod poeta duobus maxime artificiis assecutus est. Primum enim adulescentem induxit Cyclopem cf. XI uu. 8 sq.:

ὅκ᾽ ἤρατο τᾶς Γαλατείας
ἄρτι γενειάσδων περὶ τὸ στόμα τὼς κροτάφως τε.

Quo artificio saeuitiae leniendae idoneam ansam nactus recidit occasionem ferocitatis exercitandae eo, quod segregauit Polyphemum Ulixis commercio, quocum antiquitus coniunctus nisi barbaris moribus praeditus cogitari non poterat. Quod consulto Theocritum fecisse uel inde apparet, quod ceteris locis, ubi Cyclopem commemorat exempli causa tangens magis quam fusius de eo narrans, non ab Ulixe seiunctum inducit ita quidem, ut eum traditam mythi formam et conexum sequi facile colligas cf. XVI, 51 sqq. et VII, 151 sqq. sec. Hillerum:

ἆρά γέ πα τῆνον τὸν ποιμένα τὸν ποτ᾽ Ἀνάπῳ,
τὸν κρατερὸν Πολύφαμον, ὃς ὤρεσι νᾶας ἔβαλλε,
τοῖον νέκταρ ἔπεισε κατ᾽ αὔλια ποσσὶ χορεῦσαι; [2])

Neque tamen abstinere potuit Alexandrini poetae docta subtilitas, quin quamuis leniter attingeret importunam cladem Polyphemo inferendam, cuius rei uestigia cernimus XI uu. 52 sq., ubi amator etiam unum oculum exuri ab amata se passurum esse cantat, et uu. 60 sqq., ubi nandi arte se institutum iri promittit, si qui nauta peregrinus insulam appellat. Apertius VI, 23 sq. caecationis fit mentio quamuis et ipsa tectior quam apud imi-

---

1) Rectissime de Theocriti arte hoc in argumento conspicua iudicauit iam Federus: amor Polyphemi ex Theocrito, Ouidio et Metastasio, Erlangae 1765 p. XII sq.

2) Copulauitne Theocritus uini praedicandi gratia fabulas duas Epicharmi, quem et *Κύκλωπα* et *Ἡρακλέα παρὰ Φόλῳ* scripsisse constat, ita ut de harum comoediarum indole aliquid redipiscamur hoc ex loco, ueluti iam Epicharmum s a l t a n t e m proposuisse Polyphemum?

tatorem Romanum, cum Telemi uatis ipsa uerba reticeantur. Quibus praemunitis transimus ad ipsam Polyphemi imaginem delineandam.

Habitat Polyphemus in Sicilia, pastorum sede beata, cf. XI, 7. 47. VI, 33 adulescens opilio, cui prima lanugo succrescit, non barba horrida, intonsa, longe promissa faciem deformat, quae facies satis habet formidulosi, cum per totam frontem porrigatur unum supercilium hirsutum ab una ad alteram aurem continuum, simus autem nasus super ore consederit [1]) cf. XI, 31 sqq., et labra supina monstrent dentium candorem frendentemque aciêm cf. VI, 37 sq. Toruus autem aspectus augetur uno illo lumine mediae fronti immisso, quod Theocritum Hesiodum (theog. 145) secutum illi indidisse probe monet Eustathius p. 1392, 37 sqq., quo lumine nihil est carius Cyclopi (XI, 53. VI, 22), quo usque ad finem fati penetrat (VI, 22 sq.), in quo pulchritudinis summam positam esse sibi persuasit (VI, 36 sq.).

Iam uero quam feliciter huic corpori Cyclopis etiamtunc monstri, sed monstri deleniti mores temperauit poeta bucolicus! Amoris ui aspera mollita, roboris immanitas subacta, saeuitas si non sublata, at certe consopita. Lepido ex casu nascitur flamma. Cum matre Polyphemi Thoosa hyacinthos carptura cum in Aetnam uenerit Galatea, uiam monstrat Aetnae infestissimus accola occasionem amplexus sollertiam comprobandi (XI, 25 sqq.). Non immoderata est libido Polyphemi neque effrenata cupidine ut in tali uiro exspectes tumescens [2]), sed *ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος*
Κύπριδος ἐκ μεγάλας, τό οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον (XI, 15 sq.) tenero desiderio tabescit in litore maris ac paene flebilibus

---

1) Cf. schol. ad XI, 33: *σιμὸς δέ ἐστιν ὁ συγκαθημένην ἔχων τὴν ῥῖνα καὶ ἀνεστηκότας τοὺς ῥώθωνας.*

2) *Ὀρθαὶ μανίαι* (XI, 11) non sunt furor intemperatus nec 'uera amoris insania', quam notionem tuentur loco Aelian. hist. anim. XI, 32, ubi dubitatur de scriptura, sed amoris fúror recta amatam eamque solam petens 'nullis ambagibus utens', ut Meinekius interpretatur cf. Soph. Antig. 1195 et Dind. ad h. l. in Thesaur. s. u. *Ὀρθός*.

modis asperitatem Galateae deplorat. Omnia patienti animo subiturus est et pericula et molestias, gratiam nymphae si adipiscatur cf. XI, 52 sq. 56—60, modesta poscit praemia XI, 55 sq. Amori omnia posthabet oblitus ipsius rei pecuariae, cui totam curam ac studium impendere solebat, cf. XI, 11 sqq. 64. Summa assiduitate repetit a prima luce scopulum ad litus situm cf. XI, 14 sqq., quin etiam nocte intempesta cantilenam edit. Neque tamen ita ualet ardor, ut eum dormire non sinat, quemadmodum accidere uidemus perdite amantibus cf. Rohd. de fab. Rom. p. 157 — dulcedine somni non priuatur cf. XI, 22 sq., qua re rudis robustique hominis amorem perbene ad naturae ueritatem denotauit poeta. Quae sunt amatorum consuetudines dona ferendi, magna pollicendi, comissandi, optime didicit, quamquam inepte eas exercet uel exercere conatur cf. XI, 40 sqq. Subtiliter inuentum est a Theocrito, hominum et morum aestimatore admirabili, quod Polyphemus non a se ipso contra infestam Veneris potestatem petit auxilium, sed aliorum inuocat et adiumentum et subleuamen: primum matris Thoosae, quae ipsa nympha nympharumque familiari consuetudine usa tamen Galateae filium commendare omittit, cum eam pudeat nati rusticitatis cf. XI, 67 sqq. cum uu. 25 sqq. Matrem solam facit ream, quod repulsam fert in amore, ac natiua est puerilitas contumax, qua homo simplex participem esse uult Thoosam sollicitudinis cf. XI, 71 (cf. Hiller. ad h. l.). Est sane puerorum flagitare omne auxilium a matre, est etiam timidorum amatorum ad matris gremium confugere cf. Theocr. X, 57 sq.; Long. past. p. 298, 30 sqq. Herch. Et minitantur amatores horrenda, nisi amatae compotes fiant, ueluti Hermesianactem narrasse Parthenius Erotic. 5 uel quicumque in libello mythographico auctorum testimonia adscripsit (cf. Rohd. l. l. p. 114 sq.) refert, Leucippum sororis amore correptum matri minitatum nisi opitularetur ipsum se interfecturum. Similes minas fundit Polyphemus XI, 70 sq.:

φλασσῶ τὰν κεφαλὰν καὶ τὼς πόδας ἀμφοτέρως μευ
σφύσδειν, ὡς ἀνιαθῇ, ἐπεὶ κἠγὼν ἀνιῶμαι.

Nimirum non nimia amori impendere uult barbarus amator,

non uitam ut alii, sed aliquantulum doloris — stolido ac portentoso uiro dignum. Sed non solum auxilium in amore, uerum etiam remedium contra Veneris potestatem quaesiuisse putandus est Polyphemus, si quidem fatidicae anus *Κοτυταρίδος* id. VI, 40 obsequiosum .se praebet consultorem.

Iam animaduertas, quantopere amor diffinxerit impium religionum contemptorem. Quem apud Homerum uidimus Iouem despicientem, apud Euripidem Iouis fulmen nihili aestimantem nec deorum supra se potentiam agnoscentem, importunam philosophiam pro uera uenditantem, credulus euasit sagae mulierculae alumnus, qui fascinationem repercutit tutamentis in tali uiro etiam magis ridiculis idem, qui apud Synesium *ἐπῳδάς* illas et *καταδέσμους* et *καταναγκας* et *ἴυγγας* cachinno sublato aspernatur. Nec uidetur Telemi oraculum prorsus contemnere statim eius memor unius oculi mentione facta VI, 22 sqq. Ceterum omnia uestigia illius impietatis Alexandrinus poeta caute remouit a descriptione Polyphemi, quippe qui potentissimae deae imperio subactus ostenderetur. Iurat per Pana ut pastor VI, 21, per Apollinem VI, 27, per Iouem XI, 29. Quo loco parum considerata offensa Meinekii, qui pro *οὐ μὰ Δί'* proponit *οὐδαμᾷ* propterea, quod 'Iouis obtestandi forma Theocriteis pastoribus non usitata hic tanto maiorem mirationem habeat, quod Cyclops Ioui sit infensissimus'. Non enim raro in usu est formula illa pastoribus, ut Rumpelii index docet cf. IV, 17. VII, 39. IV, 50. V, 74, neque in Cyclope magis mira, qui apud Epicharmum fr. 60 A. et Euripidem u. 586 ea utitur, sed inde explicanda, ut ipse Meinekius sentit, 'quod Theocritus Cyclopi amoris ui uicto mitiorem erga Iouem animum affinxit'. Aquae timor Cyclopis, qui iam apud Homerum nauigandi expers est (cf. Fritzsch. in ed. min. ad XI, 61), quamquam ne uerbum quidem de hac re facit, manifestus fit ex id. XI, 60 sqq. (cf. Ribbeck. mus. Rhen. uol. XVII p. 569). Leni irrisione poeta amoris uim etiam eo ualentem proposuit, ut Polyphemum mirifice sibi placentem redderet. Etsi enim posteriore ecloga uu. 30 sqq. taetrica fronte parum amabili se esse aspectu concedit Galateae, tamen sub finem uu. 77 sqq.

eo peruenit, ut aliis se puellis non tam reformidandum uideri credat — non perspiciens stolidus puer, quanto lusui iis sit, — et cum grauitate addat spondeorum pondere aucta:

δῆλον, ὅτ᾽ ἐν τᾷ γᾷ κἠγών τις φαίνομαι εἶναι.

Praecipue uero pulchritudine sua superbit id. VI, ubi Galateae amorem spernens inducitur, cum nimium sui cultor atque amator in tranquilli maris speculo effigiem spectat uu. 34 sqq. neque usquam uiuidioribus coloribus depingitur ludibrium, quo Cyclopeae formae uenustas et a Galatea et a pastoribus perstringitur.

His in moribus describendis Theocritus pleraque suo ex ingenio nouasse censendus erit: in externo habitu Cyclopis rebusque domesticis ad consummandam imaginem necessariis et Alexandrina arte non minus quam cetera delineatis traditam secutus est formam ne hic quidem proprio ingenio destitutus. Habitat Polyphemus in antro sub Aetna [1]) monte sito, cuius amoenitatem illustrat XI, 45 sqq. Redeunt lauri Homeri XI, 45, querna ligna u. 51 (Eurip. Cycl. 383), nec deest ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος iam Homerico Cyclopi cognita, qua in re Euripidem declinasse uidimus; hedera in antro Polyphemi memoriam repetit coronarum hederacearum apud Synesium, et sunt ex hedera facta pocula Hom. Od. IX, 346 (κισσύβιον), Eur. Cycl. 390 (σκύφος κισσοῦ). Maxime illud ψυχρὸν ὕδωρ de suo addidisse bucolicus existimandus erit, ne deesset amatae quo gauderet frigidae aquae lauacrum. In singulis igitur rebus Homerum presse secutus poeta amoenitatis et commoditatis dulcedinem uidetur finxisse non sine memoria Euripidis, Alexandrinorum exemplaris nondum satis aestimati, qui bucolici coloris proponit imaginem: Cyclopem in antro igne accenso de tempestate securum uu. 329 sqq., quem locum obuersatum esse Theocrito contenderimus, cum id. IX, 15 sqq. Aetnaei pastoris dulcem quietem depingeret.

Pascit Polyphemus mille pecudes, quas et oues et capras comprehendisse secundum Homerum colligeremus, nisi apud

1) Suo iure Meinekius ad id. VII, 151 uidetur sollicitasse uerba τὶν ποτ᾽ Ἀνάπῳ l. l., quo nomine subobscure Polyphemus insigniretur.

Theocritum nusquam caprarum Cyclopis mentio facta esset. Solae enim commemorantur *οἶες* VI, 10. 6. 21. 28. XI, 12. 74, ab iisque potissimum ornamenta cantilenae petit pastor, qualia habes XI, 24. 20. Boues uitulosque eum habuisse non necessario ex id. XI, 21 sequitur. Videtur contradicere locus VI, 7, ubi caprarius appellatur a Galatea Polyphemus; non serio, sed uellicat eum ex more pastorali

δυσέρωτα καὶ αἰπόλον ἄνδρα καλεῦσα

et pastorali sermone usa, in quo caprarii male audiebant contempti prae bubulcis et opilionibus cf. id. I, 86. Ceterum hic corrigendus est error Meinekii, qui ad Theocr. id. VI, 7 in uoce *αἰπόλον* propterea uitium latere credit, quod 'nusquam, quamquam Homerus etiam capras inter Cyclopum greges numeret, neque reliquorum poetarum quisquam neque Theocritus Polyphemum caprarium inducat', cum praesertim 'in praecedentibus dixerit Galateam Polyphemi oues (*τὸ ποίμνιον*) malis petere'. Hoc argumentum nihil ualet, quia Philoxenum in dithyrambo capras Cyclopis induxisse — uirum maxime Aristophaneum erroris conuincente ipso Aristophane — certo concludimus ex parodiae u. 294 (cf. Antiphan. fr. II, 4). Fortasse non sine causa Alexandrinus poeta capras deesse noluit, ut caprarii lasciuitatis maculam ei demeret, cuius mores omni ex parte mitigare studebat. Eadem autem est gregis cura et diligentia in singulis negotiis administrandis, quae apud Homerum, praecipue mulgendi lactisque bibendi uoluptas cf. XI, 35. 65 nec minus casei conficiendi, cuius abundantia gloriatur cf. XI, 36 sq. 66; maxime u. 37: *ταρσοὶ δ' ὑπεραχθέες αἰεὶ* coll. c. Od. IX, 219: *ταρσοὶ μὲν τυρῶν βρῖθον*. Sua ex arte pastoralis uitae officia feliciter addidit poeta XI, 73 sq. Desciuit paulum ab Homeri exemplo, cum canem gregis custodem uindicaret opilioni VI, 9 sqq. 29 sq., qui apud Euripidem canes uenaticos alit, eo nimirum consilio, ut pastoris imaginem omnibus lineis exprimeret. Vides igitur Theocritum ab iis stetisse grammaticis, qui exploratum haberent possedisse Cyclopem canes. Pretiosissimum enim est epigramma Philippi Anthol. Pal. XI, 321:

Γραμματικοί, Μώμου στυγίου τέκνα, σῆτες ἀκανθῶν,
τελχῖνες βίβλων, Ζηνοδότου σκύλακες,
Καλλιμάχου στρατιῶται, ὃν ὡς ὅπλον ἐκτανύσαντες
οὐδ' αὐτοῦ κείνου γλῶσσαν ἀποστρέφετε,
συνδέσμων λυγρῶν θηρήτορες, οἷς τὸ 'μὶν' ἢ 'σφὶν'
εὔαδε καὶ ζητεῖν, εἰ κύνας εἶχε Κύκλωψ,
τρίβοισθ' εἰς αἰῶνα κατατρύζοντες ἀλιτροὶ
ἄλλων· ἐς δ' ἡμᾶς ἰὸν ἀποσβέσατε,

quo cum quasi in mediam grammaticorum Alexandrinorum officinam controuersiarumque studium inducamur, tum quaestiunculam quandam de hoc argumento institutam esse docemur: *εἰ κύνας εἶχε Κύκλωψ*. Qua in lite quamuis pusilli momenti diiudicanda fingimus nobis descriptiones rei pecuariae Polyphemi ab antiquissimis usque ad nouissimas quam accuratissime rimatos esse homines illos doctos praecipue Homericam, cuius inuestigationis tenuis remansit umbra in scholio ad Odyss. IX, 221 codicis praestantis Ambrosiani Q, ubi legitur: *εἰπὼν* (sc. *ὁ ποιητής*) *δὲ πάντα τὰ ἀκολουθοῦντα τῷ ὁλοκλήρῳ ποιμένι περὶ κυνῶν οὐδὲν εἶπε* causa addita satis ieiuna *τοῦτο δὲ συμφερόντως πρὸς τὴν ὑπόθεσιν. οὐδὲ γὰρ ἂν ἐσώθη Ὀδυσσεὺς διὰ τὴν ὑλακὴν τῶν κυνῶν* (cf. Eustath. p. 1622, 12. 27 sqq.). Fingebant igitur sibi grammatici isti undique expletam et perfectam speciem pastoris, *ὁλόκληρον ποιμένα*, singulas delineationes hanc ad normam reuocantes et examinantes. Similiter litigasse censendi erunt de ceteris gregis Cyclopei animalibus, maxime *εἰ βόας εἶχε Κύκλωψ*, neque abhorruit putamus ab illis eruditionis certaminibus quaerere, num *κυνηγέτης* fuisset Polyphemus h. e. num canibus ad uenandum usus esset, ueluti apud Euripidem u. 130, quapropter in illo scholio adiunguntur uerba *ἅμα καὶ ἄθηρον τὴν χώραν διὰ τοῦτο ὑποτίθεται*. Theocritus uero uenatorem secundum fabulam satyricam exhibens Cyclopem lepidissimum inde hausit inuentum, quod amatorem rusticum tenerae nymphae offerentem facit undecim hinnuleos quattuorque catulos ursinos, 'qui cum illa ludere possint' cf. XI, 40 sq.

Iam repraesentemus animo typum Polyphemi, qualis a

Theocrito sculptus est: Cyclops adulescens taetri aspectus Veneris potestatem expertus saeuos agrestesque mores teneris affectibus accommodare studet ipse sui nimium amator, parum uafer ad puellam captandam. Neque tamen ita Cyclopis proprietatem attenuasse poeta existimandus est, ut cum Glaesero p. 9 statuere liceat repraesentari quemuis hominem nimio amori indulgentem et postea se reuocantem. Plane nouum hunc dixeris typum Theocriti ingenio procreatum, cuius externum habitum poeta bucolicus ab iis qui praecesserunt mutuatus Homerique fidelior quam alii pedisequus internam indolem ipse condidit.

Obtinet autem Polyphemus amator locum sat illustrem in amorum historia poetica, cum cantilenae amatoriae habeatur inuentor (cf. O. Ribbeck in ann. Boruss. a. 1873). Coniectando assequi possumus, quomodo canendi facultas Polyphemi personae sensim afficta sit. Saeuiore enim immanitate eminet Cyclops Homericus, quam ut musicae artis peritus cogitari possit, qui *πολλῇ ῥοίζῳ* gregem gubernat cf. Od. IX, 315. Apud Euripidem cantum excitat uini uis inuicta, *ἄχαριν κέλαδον*, quem pransus potusque anthropophagus balbutit gulae uentrisque uoluptatem perceptam laudibus tollens. Musicae facultatis rudimentis institutum inducit Philoxenus Pseudo-Dionysium, etiam cithara cantare conantem proprium carmen amatorium, quo celebrat Galateae pulchritudinem. Sed hic quoque Bacchi dono furor poeticus et musicus ei inicitur. Grauissimum uero est quod iam illum cantu amori medentem fecisse Cyclopem scimus ex Plut. quaest. symp. I, 5 (fr. 7). Remedii igitur notionem primus intulit. Perfectam cantilenam eroticam, qualem iam Hermesianacti uindicare studuimus, habemus in Theocriti id. XI. Nihil uinulentiae, nihil edacitatis, non *ἄχαρις κέλαδος*, sed *μέλος ἀδὺ ἱμερόεν γλυκύθυμον ἐρωτικόν* (Ps.-Bion. XV [Ahr. incert. idyll. VI], 1 sq.), non superbia effusum, sed desiderio expressum, non citharae immodulato tinnitu interruptum, sed dulci fistulae sonitu temperatum. Non sine causa Theocritum citharam Cyclopis Philoxenii fistula commutasse existimabimus, ut hac quoque ex parte pastoris Siculi imagi-

nem absolueret mitioremque redderet charactera. Quod discrimen bene perspexit grammaticorum eruditio, cuius apud scholiastam Homeri Odysseae IX, 315 exstat residuum: πολλῇ ῥοίζῳ· ἐμφαντικῶς πρὸς τὸ μέγεθος, εἴ γε ὅλην ποίμνην ῥοιζήσας ἐξάγει πρὸς τὸ ὄρος. τὸ γὰρ σύριγγι χρήσασθαι ποιμαίνοντα ἡμέρου ποιμένος (cf. Eustath. p. 1622, 12. 26 sq.). Iam uero hac aetate remedii illa cogitatio ita praeualet, ut Theocritus quasi hoc in fundamento eclogae suae XI structuram erexerit, eo significantius, quod ad medicum eam mittit, cui artis contra amorem usus erat nullus cf. XI, 1 sqq. Lepide autem initio consolationis ab ipsa arte Niciaė artisque uocabulis profectus nihil ualere eam aduersus Venerem ostendit. Qua ex mente interpretandum arbitramur etiam illud uu. 3 sq.:

κοῦφον δέ τι τοῦτο καὶ ἁδὺ
γίνετ' ἐπ' ἀνθρώποις,

quod explicant: ob facilem usum minime dolores commouens (cf. Borsdorf. comm. in Theocr. c. XI. Iaurauiae 1874 p. 3 ad h. u.) hoc et iucundum 'inter homines est' uel 'in potestate hominum est' non assecuti uim praepositionis ἐπί. Nobis ea ad medicinam uidetur spectare ita quidem, ut dicatur illud remedium facile adhiberi in hominibus; respondet enim soli hominum naturae. Praedicatur uero Cyclops εὑρετής[1]) illius medelae contra Veneris iram, cantus cf. XI, 4. 17. Atque cogitamus hoc εὕρημα doctos Alexandrinos, quorum in studiis ζητήσεις περὶ εὑρημάτων non infimo erant loco, concessisse Nep-

1) In ecl. XI u. 13 uerbum ἀείδων nobis uidetur sententiarum ordinem prorsus corrumpere. Dicitur enim Polyphemus inuenisse per internallum demum amoris remedium cantum, ipsum illud ἀείδειν uu. 17 sq.:

ἀλλὰ τὸ φάρμακον εὗρε, καθεζόμενος δ' ἐπὶ πέτρας
ὑψηλᾶς ἐς πόντον ὁρῶν ἄειδε τοιαῦτα.

Plane igitur obtunderetur uis particulae ἀλλά, si praerepta esset notio primaria canendi. Proponimus

ὁ δὲ τὰν Γαλάτειαν ἀΰτέων

'nomen exclamans Galateae', quam de litore reuocat apud Val. Flacc. I, 136, nondum sedato aestu. ἀΰτεῖν uerbum de claro clamore hominum est Theocrito in usu XXIV, 37. 50; de Polyphemo Euripidi Cycl. u. 669.

tuni filio omnes, cum Theocritus ut notissimam laudet fabellam uu. 7 sq.: *οὕτω γοῦν ῥάϊστα διᾶγ' ὁ Κύκλωψ ὁ παρ' ἁμῖν ὡρχαῖος Πολύφαμος, ὅκ' ἤρατο τᾶς Γαλατείας*, uu. 80 sq.: *οὕτω τοι Πολύφαμος ἐποίμαινεν τὸν ἔρωτα μουσίσδων, ῥᾷον δὲ διᾶγ' ἢ εἰ χρυσὸν ἔδωκεν.* et redeat inueniendi et medendi notio a Philoxeno ut uidetur inducta apud plurimos poetarum, qui postea in hanc harenam descenderunt cf. impr. Callimachum laudatum a schol. Theocr. XI, 1 (= epigr. 47, 1. 4). Repraesentat bucolicus poeta Polyphemum fistula canentem eadem condicione, quam Hermesianacti obuersatam esse coniecimus, in scopulo sedentem, in mare prospicientem, dum a tergo pascitur grex cf. XI, 13 sqq. VI, 8 sq. Sed non solum interdiu *φυκιοέσσας ἐξ ἀοῦς* musicam exercet, uerum etiam eam didicit amatorum consuetudinem, ut nocturno cantu celebret puellam cf. XI, 38 sqq.

Ipsa cantilena exemplar est pretiosissimum Alexandrinae artis singula caelantis et compositionis symmetria disponentis et illustrantis. In artificiosa carminis distributione explananda multi elaborauere uiri docti et rationem strophicam spectantes, imprimis Hermannus, Ahrens, Gebauerus, et ad minutiorem in singulis uersibus responsionem animum attendentes, ut Ribbeckius in stud. Theocr. mus. Rhen. XVII p. 564 sqq.: nostrum est carminis erotici elementa indagare et capita huius odae in clariore luce ponere.

Incipit Polyphemus, ut apud Philoxenum, a pulchritudine Galateae laudanda uel potius comparanda non eius uerborum copiae compos, ut formam amatae laude significanti extollat. Nec sentit aliud quam candorem teneramque mollitiem puellae, cuius nomen a lacte deriuat, quoniam illa his maxime rebus a fusco asperoque adulescente differt. Qua occasione Veneris uulnus acceperit, tristi uultu animo repetit nihildum in fauore Galateae prouectus. Concedit speciei deformitatem, sed opponit diuitias, artem musicam, munera. Amoenitatem receptaculi sui communisque uitae dulcedinem depingens ad eam fertur cupidinem, ut quiduis ab amata pati sustineat. Ipse periculosum ad eam iter suscipere et aquae pauorem debellare

paratus totum odium in matrem transfert, quae non adiuuet se quamuis sollicitatum.

Haec est summa carminis Cyclopei eademque summa omnis eroticae cantilenae. Auditur uero per hanc sententiarum seriem repetita querella de asperitate Galateae, cui in posteriore carminis parte respondet inuitatio desiderii plena nec tamen persuadendi ui praedita:

querella: XI, 19:

ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ;

u. 23: *οἴχῃ*. 24: *φεύγεις*. 29: *τὶν δ' οὐ μέλει, οὐ μὰ Δί', οὐδέν* uersus clausula renuntiantem dolorem commode exprimente; u. 30: *φεύγεις*.

inuitatio: u. 42: *ἀλλ' ἀφίκευ τὺ ποθ' ἁμέ* etc.

uu. 63 sq.: *ἐξένθοις Γαλάτεια καὶ ἐξενθοῖσα λάθοιο*
ὥσπερ ἐγὼ νῦν ὧδε καθήμενος οἴκαδ' ἀπενθεῖν.

Nec minus manifesto desiderii crescens ardor conspicitur eo, quod ipsa allocutionis formula magis magisque blanditiis inuoluitur cf. u. 25: *κόρα*, 30: *χαρίεσσα κόρα*, 60: *ὦ κόριον*. In propatulo est, quam subtiliter Theocritus bucolicum colorem et pastoralem naturam denotauerit Polyphemi, qui orationis ornamenta non aliunde petit quam e uita sua, ueluti similia cf. 20 sq. 24. 39, cuius rusticitatem diuinare magis uult poeta lectores, quam uidere — hac in re ab imitatoribus toto orbe diuersus. Propria est Theocriti uirtus, quod singulas res ad imaginem Cyclopis conformandam spectantes, quas magna ex parte a prioribus poetis acceperat, suo usus polito iudicio elegantique ingenii subtilitate nouo colore induit et ad lepidae speciei concordiam consociauit. Non omnes flosculos ad auctores referre possumus; de nonnullis iam monitum est; praecipue uero larga exempla poetae suppetiisse opinamur in muneribus quae amator offert nymphae depingendis ex comoedia, ueluti cf. Antiphan. fr. II, ex quo cognosces, quam caute sciteque Theocritus sua sibi elegerit.

Male fors tulit, quod nunc demum Galateae persona e tenebris prodit distinctioribus lineamentis adumbrata. Fugit nos, qualem Philoxenus comicique poetae finxerint, quamquam

dithyrambicum, si quidem ipse fauore eius fructus est, pepercisse irrisionis aculeo probabile; neque cunctanter contenderimus comicos hac in figura excolenda multum elaborasse, quam ueremur ne supra meretricis modulum non multum eleuarint. Quod uero Alexis et Posidippus Galateae nomen quam Polyphemi fabulis inscribere maluerunt, nimis ambigua fit de argumento ex titulis conclusio. Neque Theocritus primas partes adsignauit Galateae uel aequas, sed paucis lineis definiuit indolem. Non est multus in describenda nymphae pulchritudine, quam uix totam percepit unum amatoris lumen. Candidus nitor Galateae, propria uirtus a nomine deducta et cum nomine artissime coniuncta, quem iam a pastore Himerii I, 19 laudari uidimus, auspicatur cantilenam nobisque in itinere per posteram poesim faciendo saepius obuiam erit. Venustissime autem procacitatem et asperitatem puellae — sollicitudinis Cyclopeae grauissimam causam — denotauit poeta cf. XI, 21:

μόσχω γαυροτέρα, φιαλωτέρα[1] *ὄμφακος ὠμᾶς*

u. 24: *φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα.*

Pernix nympha desperatum amorem lenti portentosique uiri aspernatur instantemque cupidinem ueloci pede effugit — terribilis monstri metus non plane orba, quales quidem eius mores describuntur id. XI. Aliter enim res habet in id. VI. Ubi Galatea terrore deposito caprarii quem uocat (u. 7) inanem flammam cauillatur pomis, symbolis eroticis, gregem canemque petens modo hinc modo illinc, nunc prope nunc procul, ut maris unda litori adstrepens et recedens. Neque tamen eorum opinioni subscribimus, qui de immutata mythi forma in idyll. VI cogitant. Helbigius enim, qui symb. philol. Bonn. l. l. uestigia mutationis fabulae diligentissime perscrutatus est, idyllio VI eam subesse sententiam censet, ut fauor Galateae obtingat Polyphemo, contrariam illam quidem eclogae XI, ubi spes amantem egregie fallit. De altera illa mythi forma plenius testimonia examinabimus postea: hoc loco poetae mentem archaeologus doctissimus non satis uidetur assecutus

---

1) Cf. Ribbeck. mus. Rhen. XVII, 565 sqq.

esse [1]). Apparet procacem puellam irridere Cyclopem amatorium lusum exercitando, ut stimulet insipidum uirum ad se captandam iocosumque aspectum sibi paret aëra uel spumam uenantis amatoris, cui se eripiat pedum pernicitas nandique peritia. Quem si conciliare sibi studeret, uix *δυσέρωτα καὶ αἰπόλον ἄνδρα* appellaret. Neque in ipsa hac ecloga serio amorem Polyphemi expetit Galatea, neque ullo ex loco Theocriti colligas umquam nymphae fauore fructum esse Cyclopem. Immo facile omnia conueniunt, si cum Hillero continuo se excipere idyllii XI extremi et idyllii VI mentem et consilium poeticum statuimus. Polyphemus enim cum cantando ardorem mulserit, animi insania perspecta (XI, 72) ad superbiam elatus fastidire conatur Galateam, qua pulchriorem se inter Cyclopum filias inuenturum sperat (XI, 76). Eodem supercilio id. VI Galateam lasciuientem non respicit cf. 25 sq. eadem stoliditate, qua id. XI, 77 sqq. puellarum risus admiratione, non irrisione sui excitasse sibi uidetur, deperire se nympham marinam (cf. VI, 26 sqq.) opinatus. Galatea uero ipsa, cum superbia inflatum uideat amatorem, non iam amoris igne inflammatum, ludere audet cum eo, quem modo reformidarat; omnino duarum eclogarum rationem expressam et comprehensam habes VI, 17: *καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.*

Theocritea haec argumenti tractatio, qualem modo adumbrare tentauimus, mirum quantum superauerit priores. Ubicumque posteriorum quis eandem ad fabulam aggreditur poetica arte effingendam uel huius argumenti mentionem inicit narrationemue deducit, semper fere Theocriteae imaginis dispiciuntur elementa, id quod melius quam nos ualemus demonstrat bucolici poetae ingenium posterisque propagatam auctoritatem. Tenuia remansere uestigia per imitationem sequentium dithyrambicae comicaeque poesis, quippe quae asperiorem exhibuerint typum Polyphemi; plane delituit culinaria eius elegantia gulaeque libido. Postea apparebit, quam ubera seges imita-

1) Immutauit paulum et restrinxit sententiam priorem Helbigius in libro: quaest. de pict. pariet. Camp. p. 197, ubi mutationem fabulae certe ab idyllio VI proficisci potuisse dicit.

torum succreuerit Theocrito: nunc proficisci pergemus quo instituimus itinere. Num Nicias Milesius, Theocriti amicus, hac in materia uersatus sit et qua ratione, ad certam occasionem differemus sententiam [1]).

§ 3.

De Callimachi epyllio.

Callimachi carmen Galatea inscriptum non innotuit nisi uno fragmento propter pisces a piscium laudatore Athenaeo seruato, quo non multum iuuamur; neque aliis ex indiciis satis certa conclusio fit de Callimachi in hac fabella tractanda auctoritate, quam eximiam et exquisitam fuisse in hoc potissimum poeta libenter statuas. Ac ne exploratum quidem est sollemne argumentum carmine *Γαλάτεια* tractatum fuisse, quamquam mare sapere unum illud frustulum recte uisum est editoribus. Legitur enim ap. Athen. VII p. 284c: *Καλλίμαχος ἐν Γαλατείᾳ τὸν χρύσοφρυν* (*καλεῖ ἱερὸν ἰχθύν*)

ἢ μᾶλλον χρύσειον ἐπ' [2]) *ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθὺν*
ἢ πέρκας ὅσα τ' ἄλλα φέρει βυθὸς ἄσπετος ἅλμης

cf. Eustath. p. 1067, 44 sq. (Schneid. fr. 37)
h. e. ‘uel potius aureis superciliis sanctum piscem
uel percas et quae alia gignit maris immensa uorago’.
Ac Meinekius quidem ad Theocr. XI, 56 Cyclopem sibi fingit his uerbis, ‘ut apud Theocritum Galateae terrestria dona polli-

---

1) Nescimus, quo iure Kornius ad Ou. met. XIII, 750—897 Euphorionem fortasse hoc argumentum tractasse contenderit. Respexitne testimonium prorsus sublestae fidei schol. Theocr. XIII', 7 sic a uiris doctis emendatum: *τὸν Ὕλαν Σωκράτης υἱὸν Ἡρακλέους φησίν, Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος Θειοδάμαντος, Νίκανδρος δὲ Κήϋκος, Εὐφορίων δὲ Πολυφήμου τοῦ Ποσειδᾶνος ἐρώμενον* (Meinek. An. Al. fr. 149), ubi Euphorio Cyclopem Neptuni filium uidetur intellegere? cf. schol. Apoll. Rhod. I, 40 (Mein. fr. 144).

2) Recte uidetur pro tradito *ἐν* restitutum *ἐπ'* ex Eratosthenis uersu ap. Plut. de sollert. anim. 32 p. 981d; Bernhardyus Eratosth. p. 139, qui dubitat de Callimachea uersuum origine, refutatus a Diltheyo de Callim. Cyd. p. 109 adn. 2; uide Schneid. Callim. II p. 164; Eratosth. carm. rell. disp. et expl. Hiller. p. 34 adn. 1.

ceatur, ita ipsum a Galatea munera expetentem, quae mare gignat'. Qua explicatione accepta Rohdius de fab. Rom. p. 77 adnot. 2 concludere pergit non potuisse Cyclopem munera expetere a Galatea nisi uoti compotem factum; alterius igitur mythi formae auctorem dubitanter proponit Callimachum. Cyrenaeum fabulam non immutasse aliquo modo comprobat epigr. 47, ubi musicam artem inuenisse dicitur Polyphemus remedium amoris, quo uix opus fuisset, si puellae fauorem sibi conciliasset (cf. Helbig. symb. p. 361 sq.). Nec persuadere nobis possumus amatorem dona flagitare ab amata, praesertim Cyclopem amatorem, qua in re ne iocum quidem agnoscere possumus: flagitare est amatae, Galateae: amatoris, Polyphemi, offerre et promittere.

Propius ad ueritatem uidetur accessisse Schneiderus Callimach. II p. 164, qui arbitratur poetam ibi dixisse 'Galateam Polyphemi cantum spreuisse et potius pisces maris congregasse, quibuscum ut dea marina luderet', quamquam non plane adstipulamur. Munera enim cum Meinekio nobis uidentur intellegenda esse propter uerbum *φέρει*, quo notionem gignendi et offerendi magis indicari sentimus quam alendi et colendi, uerum non munera a Polyphemo expetita, sed a Galatea flagitata. Neque tamen a nympha putamus haec pronuntiata, sed a Cyclope, cui melius conuenit mare horrendum *βυθὸν ἄσπετον* uocare quam puellae marinae undarum domicilio adsuetae. Verborum autem ipsorum contextum probabiliter restituere eo difficilius est, quo minus de lectione uiri docti consentiunt. Offendimus cum Meinekio et Bernhardyo in uoce *μᾶλλον*, cum gradationis hic locum nullum iudicemus, tamen ne illud quidem quod substituit Meinekius l. l. *καλόν* arridet ut epitheton uile et pro Alexandrini poetae eruditione nimis inane. Schneidero uero, 'cui nihil uox *μᾶλλον* dubitationis habet, si statueris praecessisse nomen alius piscis minus pulchri, unde poetae in hunc sensum licuerit pergere: uel potius pulcherrimum piscem, *χρύσοφρυν*', respondendum est absonum esse, postquam pulcherrimum piscem attulit poeta, superaddere uiliores et omnia cetera maris animalia complecti. Quapropter gradationis notio

procul habenda erit et uox *μᾶλλον* ad uerbum aliquod in sequentibus olim adnexum, nunc supplendum referenda, particula autem disiunctiua *ἤ* in affirmatiuam *ἦ* mutanda, qua ratione nihil offensionis habet *χρύσοφρυς* piscis priore loco laudatus. Cogitamus autem Polyphemum in cantilena sua, cum donorum suorum praestantiam laudauerit, maesta uoce addere haec: tu uero, Galatea, non moueris:

ἦ μᾶλλον χρύσειον ἐπ' ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθὺν
ἢ πέρκας ὅσα τ' ἄλλα φέρει βυθὸς ἄσπετος ἅλμης

sc. *αἱρεῖ* h. e. 'praefers nimirum sanctum piscem etc.'
Sumpsimus in hoc fragmine explicando non magis felicem fuisse in amore Callimacheum Cyclopem quam Theocriteum freti epigrammate illo 47 (Anthol. Pal. XII, 150), cuius ex Schneideri editione adscribimus uersus quattuor:

Ὡς ἀγαθὰν Πολύφαμος ἀνεύρετο τὰν ἐπαοιδὰν
τὠραμένῳ· ναὶ γᾶν οὐκ ἀμαθὴς ὁ Κύκλωψ.
αἱ Μοῖσαι τὸν Ἔρωτα κατισχναίνοντι, Φίλιππε·
ἦ πανακὲς πάντων φάρμακον ἁ σοφία.

Memorabile est, quod consimilis ansa uidetur fuisse Theocriti idyllii XI et huius epigrammatis: consolatur uterque poeta amicum de infausto amore et remedium ei commendat cantum Polyphemi usus exemplo, ille Niciae, Philippo hic, unde cognoscitur, quam trita illis temporibus fuerit de Polyphemo amori canendo medente fabella. Probabiliter igitur statuemus eodem fere modo quo Theocritum Battiaden expediuisse Cyclopis sollicitudinem, quamquam uel ex misero illo frustulo carminis eruditio poetae elucet, cum dona illa a Galatea praelata mediae comoediae memor enumerauerit, ubi in Antiphanis Cyclope Nereides talia ab amatore poposcisse coniecimus cf. fr. I. Ac nescio an doctus poeta uerbis *ναὶ γᾶν οὐκ ἀμαθὴς ὁ Κύκλωψ* eorum de Polyphemo iudicio tecte aduersetur, qui nil nisi brutum monstrum ducebant, inter quos erat Euripides cf. Cycl. u. 173. 493. Vide Dion. Chrysostom. or. ad Alexandr. (XXXII) I p. 432, 29 sqq. D.: *μᾶλλον δ' ἴσως οὐχ Ἡρακλεῖ προσέοικεν ὑμῶν ὁ δῆμος, ἀλλὰ Κενταύρῳ τινὶ ἢ Κύκλωπι πεπωκότι καὶ ἐρῶντι, τὸ μὲν σῶμα ἰσχυρῷ*

καὶ μεγάλῳ, τὴν δὲ διάνοιαν ἀμαθεῖ. Cic. Tusc. V, 39, 115. Prudentiam enim adsignasse quosdam mythorum interpretes Polyphemo suam nimirum si dis placet patet ex Seru. ad Aen. III, 636: 'multi Polyphemum dicunt unum habuisse oculum, alii duos, alii tres: sed totum fabulosum est. nam hic uir prudentissimus fuit, et ob hoc oculum in capite habuisse dicitur, id est iuxta cerebrum, quia prudentia plus uidebat. uerum Ulixes eum prudentia superauit, et ob hoc eum caecasse fingitur'. cf. Lehrs. Arist.[2] p. 205 adnot.

Alias coniecturas de Callimachi epyllio, quod Hecalae arte ac tenore caelatum fingimus, nunc recidimus: fortasse postea ad hunc poetam recurrendum erit.

§ 4.

De carmine Bionis.

Unus restat poetarum Alexandrinorum, quem huic argumento operam impendisse scimus indicio sat certo, Bio Smyrnaeus, quem *βουκολικῶν ἐπῶν ποιητῶν* tempore tertium fuisse nunc quidem Suidae s. u. *Θεόκριτος* creditur. Laudantur enim a Stobaeo flor. 110, 17 sub titulo *περὶ ἐλπίδος* haec *ἐκ τῶν τοῦ Βίωνος βουκολικῶν* (Ahr. fr. XV)

αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδὸν ἐς τὸ κάταντες
τῆνο ποτὶ ψάμαθόν τε καὶ ἠϊόνα ψιθυρίσδων
λισσόμενος Γαλάτειαν ἀπηνέα· τὰς δὲ γλυκείας
ἐλπίδας ὑστατίω μέχρι γήραος οὐκ ἀπολειψῶ.

Nemo dubitauit, quin referenda essent haec ad carmen aliquod a Bione de Polyphemi et Galateae amoribus compositum. Prodit autem in conspectum Polyphemus, a quo cogita uerba illa pronuntiata, in scopulo litoris nymphae marinae mollem cantilenam emittens — trita imago, quam sollemnem plus semel deprehendimus. Non est exorata Galatea *ἀπηνής* tenero cantu Cyclopis. Et uidetur mollis poeta uestigia premens bucolicorum principis teneros affectus suo ex more nimis subtiliter expoliuisse et extenuasse, quippe qui *ψιθυρίζοντα* proponat eum, cuius uox uel fistula uix aequiperet mitem susurrum

frondis aura agitatae. Inest autem nescio quid maeroris in primis duobus uersibus, quasi melancholica continentia, qua suam h. e. consuetam sibi, semper tamen irritam uiam se profecturum pollicetur Polyphemus dulcissime soniturus non Galateae, sed surdae harenae. Agnoscimus uero imitationem Theocriti eo, quod Bio quoque adulescentem uidetur finxisse Cyclopem, cum is usque ad ultimam senectutem iucundam spem se non depositurum praedicet uu. 3 sq. Induxit igitur Bio Polyphemum prorsus emollitum hac in re iustae mensurae sensu Theocriti proprio destitutus. Laeuum est iudicium de hoc charactere Schmitzii (adnotationes ad Bionis et Moschi carm. Monast. 1856 p. 34), qui Bionem opinatur 'meliorem reddidisse Cyclopis personam et num primus hoc fecerit', in medio relinquit.

Statio fragminis illius si accuratius indagetur, libenter ad cantilenae amatoriae finem relegemus spem propositi tenacem: quid fere praecesserit, indicant uerba *αὐτὰρ ἐγών*, quibus procul dubio opposita erat Galateae mentio sic fortasse: 'puella quidem mea, eheu, nihil mouetur, quamuis magna pollicear, quamuis sim non contemnendae speciei'; tamen ego non desistam etc.[1]) Hac ratione non ut Theocriteus Cyclops concludat cantum excusso amore, sed spei adhaerescens magisque inflammatus, quod nescio an cum Bionei amatoris indole melius conuenerit.

Non sine probabilitate ex Smyrnaei fragmentis nonnulla, quae collegit Stobaei cura, recentiorum sagacitas in huius argumenti orbe locauit. Memoriam enim sollemnis sententiae reuocat frgm. XVIII Ahr. Stob. ecl. phys. I, 9, 3:

Μοίσας Ἔρως καλέοι, Μοῖσαι τὸν Ἔρωτα φέροιεν.
μολπὰν ταὶ Μοῖσαί μοι ἀεὶ ποθέοντι διδοῖεν,
τὰν γλυκερὰν μολπάν, τᾶς φάρμακον ἅδιον οὐδέν.

a Piersono apud Valckenaerium huc relatum assentientibus Helbigio (symb. phil. Bonn. p. 361 adnot. 4) et Schmitzio p. 36 sq., qui recte Theocriti XI, 1 sqq. 15—17 sententias de amoris medi-

1) Consimilis color sententiae Theocr. II, 164:
ἐγὼ δ' οἰσῶ τὸν ἐμὸν πόνον ὥσπερ ὑπέσταν.

cina (*φάρμακον*) a Musis petenda comparat. Propria uero est uirtus Bioneae sententiae, quod distinctius exprimit Amoris et Musarum inuicem se subleuantium rationem. Excitat enim amor musicae artis studium, quod rursus amorem placat et aestum mitigat. Quod expertus Polyphemus Musarum sibi expetit fauorem, quae Amorem adimant[1]), subleuamen autem ardoris praebeant cantum. Adprime faciebat haec sententia ad Bioneae poesis genus, quod eroticum magis dicas quam bucolicum, ad Amoris dei personam casusque fictos praecipue spectans, cuius saeuitiam et procacitatem conqueri non desistit poeta cf. fr. IX. XII. XIII, cuius cum Musis commercium usu edoctus exponit fragmento VIII cum fragmento XVIII utiliter conferendo. Ab hoc autem si licet incohemus cantilenam Polyphemi ita quidem, ut initio Bionei carminis id optet, quod exitu Theocritei assecutus est: solacium Musarum et remedium amoris, finem faciat apud Bionem maesta querella, qua incipit apud Theocritum, non sanatus neque amoris furore attenuato. Inter haec fragmenta insertum est ab interpretibus fr. XIV Stob. flor. 65, 4: *μορφὰ θηλυτέρῃσι πέλει καλόν, ἀνέρι δ' ἀλκά*, quae uerba uirtutes suas praedicantem dixisse Polyphemum credibile est, quem propter ingentes uires superbire uidemus Ou. met. XIII, 842 coll. c. u. 864. Et nescio an congruat cum Cyclopis potissimum (cf. Schmitz. p. 40) constantia fidelique assiduitate, si fragmenti II prouerbialem dictionem de amore et spe sua, quam ad senectutem obtenturus est, usurpet Stob. flor. 29, 52: *ἐκ θαμινᾶς ῥαθάμιγγος, ὅπως λόγος, αἰὲν ἰοῖσας*
χἀ λίθος ἐς ῥωχμὸν κοιλαίνεται[2]),

---

1) *Φέροιεν* uix sanum. Si *φάρμακον* postulat Polyphemus a Musis, non optabit, ut adducant Amorem, qui eum iam sollicitat, sed ut auferant; quodsi *φέρειν* altera notione acciperes, ut *φέρειν καὶ ἄγειν*, Musae dicerentur secum auehere Amorem; at ipsae manento. Quare una litterula — liquida consona in alteram — mutata proponimus

Μοίσας Ἔρως καλέοι, Μοῖσαι τὸν Ἔρωτ' ἀφέλοιεν.

In exitu quattuor syllabarum cum elisione in quinto pede coniuncto non offendendum cf. fr. VII, 2: *ὥστ' ἀνύεσθαι.* IX, 10. 12: *Ἔρωτ' ἐδίδασκον.* 13. XII, 3.

2) In simili sententia dictum illud in partes uocat Xenopithes amator

cum apud Theocritum quoque prouerbia adhibere soleat cf. XI, 75 cum Hilleri adnot. Permira uero est ratio Schmitzii, qui fragmenta omnia fere, quae non aperte alium conexum produnt, huc referre propensus, frgm. XI. XIII. IV. III (cf. etiam ad fr. II), ipse sibi non minus incertas causas opponit; cuius ambiguum iudicium facile ad refutandum acriter reici debet in fragmento XI, ubi Bio sententiam u. 1:

ὄλβιοι οἱ φιλέοντες, ἐπὴν ἴσον ἀντεράωνται

exemplis ab heroibus sumptis illustrat et Schmitzio p. 38 'Polyphemus Galateae de amantium qui redamentur felicitate cecinisse' uidetur non reputanti illi quidem, quam peruerse puellae amator Cyclops exempla petiisset ab amicorum eorumque hominum fidelitate et amicitia. Quibus ex opinionibus cum non multum lucremur, certiores redipiscimur Bionei epyllii reliquias ex testimoniis uel testimonio; nam uix licebit de Bionis opusculo accipere uersus Myrsonis incert. idyll. Ahr. VI, 1 sqq.:

Λῇς νύ τί μοι Λυκίδα Σικελὸν μέλος ἁδὺ λιγαίνειν
ἱμερόεν γλυκύθυμον ἐρωτικόν, οἷον ὁ Κύκλωψ
ἄεισεν Πολύφαμος ἐπ' ᾐόνι τᾷ Γαλατείᾳ;

ex quo Ahrens huic eclogae, quae inter Bioneas numerabatur, Smyrnaei nomen, quod sola ex Fuluii Ursini auctoritate prae se ferebat, dempsit. Nunc id tantum discitur ex illa mentione maxime in deliciis fuisse amores illos pastoribus, Polyphemum uero repraesentasse Siculis certe mollis carminis amatorii et actorem et cantorem. Egregium autem est testimonium de Bionis carmine in Ps.-Moschi epitaphio Bionis uu. 59—64, quibus discipulus ostendit diserte praeceptoris celeberrimum epyllium Galateae, quorum de pretio iudicium nunc suspendere placet; id unum sufficiat adnotasse confirmari his uersibus quam ex ipsius carminis fragmento deduximus conclusionem, repulsam tulisse Polyphemum.

Videtur igitur Bio ab ea quam Theocritus praeierat uia non declinasse in hac fabula poetice tractanda nisi molli

---

apud Aristaen. I, 17: *πλὴν οὐκ ἀπογνωστέον ταῦτά ἐστι τοῖς ἀνδρειοτέροις τῶν ἐραστῶν· ῥανὶς γὰρ ὕδατος ἐνδελεχῶς ἐπιστάζουσα καὶ πέτραν οἶδε κοιλαίνειν.*

suo animo magis indulgens nimis limando Cyclopis asperitatem.

Haec comperta habemus de Graecis huius argumenti tractationibus, quales quidem propriae indolis poetae instituerint. Ac postea quidem hanc fabellam peculiaris carminis suppeditasse materiam poetae Graeco Latinoue non traditur. Abiit autem in uasta poemata materiae mythologicae ubertate abundantia, quorum in apparatu accepto est usui. Loquimur uero de sublimiore et subtiliore poesis genere, humilius hanc materiam minime spreuisse mox ostendetur. Ea tamen uirtute praecellunt aetas Romana posteriorque Graeca in hoc mytho propagando, quod exhibent egregia testimonia et indicia, quibus illustratur tempus praegressum, quod largam monstrant uestigiorum copiam retrouersus porrectam, qua adiuti quam fecimus iacturam aliquo modo compensare et possumus et conabimur.

Caput VIIII.

De narratione Ouidiana.

Quomodo innotuerit Romanis fabula, nunc non quaerimus; ante aetatem Augusteam nulla eius reperitur memoria, inde ab hac in celeberrimis uersatur laudata a Vergilio, Horatio, Propertio, Ouidio. Atque nunc quidem seorsum tractabimus narrationem Ouidianam met. XIII, 740—897, cum ea proxime accedat ad peculiaris poematii indolem et ubera ipsius poetae ingenii documenta prae se ferat. Repraesentabimus uero primum descriptionis totam imaginem obseruantes typum Polyphemi, indolem cantilenae, typum Galateae, ut apud Theocritum fecimus, deinde de fontibus Ouidii instituemus disquisitionem.

Polyphemus Ouidii est anthropophagus Homericus amore correptus. 'Inmitis et ipsis

horrendus siluis et uisus ab hospite nullo
inpune et magni cum dis contemptor Olympi'

(uu. 759 sqq.) mores aspectu comprobat. Redeunt trita illa: ingens corpus ac robur (u. 842 coll. u. 864), terribilis oculus media in fronte collocatus (uu. 851 sqq.), tonitru uocis (785 sq. 876 sq.), barba hirsuta et rigidi capilli frondosae arboris speciem capiti praebentes et saetae totum corpus occupantes (765 sq. 844 sqq.). Premit litus immensi uiri pondus spatioso passu se mouentis (cf. u. 776), nec sufficiunt ei humanae instrumentorum mensurae: pinum malo similiorem quam baculo gestat; centumque harundinibus eget fistula, quae tanto ori adaptetur (782 sqq.). Manserunt Aetnae montis cauum antrum domicilium (cf. uu. 770. 777 al.) et res pecuaria sollemnis, utrumque tamen locupletiore ornatu instruitur. Enumerat enim Cyclops uu. 812 sqq. poma, uuas, fraga, corna, pruna, castaneas, arbuta, et illud 'pauperis est numerare pecus' u. 824 ostendit diuitis domini superbiam amplissima possessione fundatam, quamquam non est, cur praeter capras et oues alias pecudes aluisse statuamus Polyphemum. Qui et ipse astutum peritumque uenatorem se commendat amatae uu. 831 sqq.

Iam ut ad mores depingendos transeamus, indomita saeuitia regnat per totam naturam amore quidem mitigata. Neque enim prorsus deposuit morum feritatem, sed exercere aliquantum desiit alia eaque grauiore libidine incensus, qua reliqua obliuiscitur; sic tantum uere dicitur uu. 768 sq.:

caedis amor feritasque sitisque inmensa cruoris
cessant, et tutae ueniuntque abeuntque carinae.

Quem uu. 860 sqq. effrenato furore in Acim uidemus insanientem et inuehentem, eum ab antiqua crudelitate desciuisse non credimus. 'Magni cum dis contemptor Olympi' Iouem inflato despicatu spernit 'et caelum et penetrabile fulmen' (857) sublimiorem intellectum professus uerbis 843 sq.:

nam uos narrare soletis
nescio quem regnare Iouem.

Adnota, quam prudenter Theocritus similes minas similemque impietatem imagini suae inferre euitauerit. Cachinno sublato Cyclops Telemi uaticinium contemnit uu. 770 sqq., ut apud Synesium Ulixis praestigias, cum apud Theocritum 'uatem

stolidissimum' dignum iudicet, cui mala imprecetur. Cui importunitati respondet amoris intemperata libido, quae ingentem uirum insolito ardore corripuit cf. 762 sq., id quod grandi similitudine illustrat poeta uu. 867 sqq.:

uror enim, laesusque exaestuat acrius ignis,
cumque suis uideor translatam uiribus Aetnam
pectore ferre meo [1]).

Hunc facile credimus officiorum suorum obliuisci (763) neque gregibus idoneum exsistere ducem (781). Quin etiam deuenit ad preces et miserationem flebili uoce inuocandam intolerabili aerumna uexatus (855 sq.), quo Theocriteus non descendit. Ut libidines monstri, ita aucta superbia. Exposita enim descriptione pulchritudinem uirtutesque suas collaudat et taetrum aspectum pro uirili uenditat 840 sqq., quam ad ostentationem apud Theocritum Cyclops, qualis quidem idyllio XI proponitur, non confugit. Noua uero lumina huic imagini adspersit zelotypia Polyphemi, cum compertum habeat Galateae magis quam ipsum cordi esse pastorem Acim. Consentaneum hanc aemulationem stimulos addere amori per se ardentissimo neque eo ualere in homine natiuo, ut amatam aspernetur, sed ut flagrantissimum odium in aemulum coniciat hoc sublato fauorem se adepturum ratus.

Paucis complecti libet typum Polyphemi Ouidianum. Continet omnes fere colores ab Alexandrinae aetatis artificibus ei appictos, sed in maius auctos et amplificatos, ut illius aeui accurata subtilitas nonnihil euanuerit. Mitigata autem atque delenita Cyclopis natura, quam summo studio caelare et in medium proponere placuit imprimis bucolicis, non modo non sentitur, sed reuersa inuenitur prorsus fere in Homeri formidulosam speciem. Omnino Ouidius singula lineamenta ab Alexandrinis mutuatus totum colorem Alexandrinae artis spiritumque operis musiui non uidetur assecutus esse. Horrenda autem figura Polyphemi optime intellegitur, si quomodo afficiantur cernis qui prope eum uersantur. Ut Ithacenses pallido

1) Catull. LXVIII b, 13: cum tantum arderem quantum Trinacria rupes.

timore perterriti fugiunt Acis et Galatea. — Quae descriptio si minus arridet, non tota est culpa Nasonis, utpote qui, cum Acidis fatum narrantem faceret Galateam terribilisque aemuli insidias persequentem, artis consilio permotus non potuit non supponere ei orationem inuidia aliqua exacerbatam (cf. Feder. l. l. p. XIII).

Neque Theocritei ingenii tenuitatem aequiperat Polyphemi cantilena Ouidiana. Non desideratur artificiosa quaedam compositio quamuis cum bucolici formosa perspicuitate minime comparanda. Numeros enucleare supersedemus: respiciatur adlocutionis copiosa ars non solum abundans epithetorum ubertate, sed uerborum collocatione gratissime uarians orationem modo binos comparatiuos singulis uersibus copulando modo binas res comparatas, nunc anteponendo attributum nunc postponendo nunc interponendo. Duo uersus Cyclopis laudationem incohantes 808 sq. respondent duobus qui inuitationem continent 838 sq. Bene in uerborum collocatione symmetrica Naso exemplarium Graecorum usum obseruauit, praecipue Theocriti eadem initio uersuum repetens uocabula cf. 'sunt' 810. 813. 814 (Theocr. XI, 45 sqq.). 827 sq. 'iam' 838 sq. uel initio et post caesuram semiquinariam eiusdem uersus cf. 822 uel praegressi uu. 812 sqq. 821 sq. 847 sq. uel sequentis uu. 815 sq. uel initio uersus et post caesuram bucolicam u. 819. Adaequare amat qui canit cum gratia quadam uersuum exitus cf. 827 sq.:

sunt, fetura minor, tepidis in ouilibus agni,
sunt quoque, par aetas, aliis in ouilibus haedi.

834 sq.: inueni geminos, qui tecum ludere possint,
inter se similes, uix ut dignoscere possis,

(cf. Korn. ad h. l.). Argumentum cantilenae amatoriae sollemne est atque singulae partes ex constanti usu expressae. Tam aperte uero repetuntur sententiae Theocriteae, ut ilico similia iuxta ponere satius sit, quamquam de fontibus quaestionem postea plenius tractabimus [1]). Est autem uerbositas Ouidiana

1) Studium comparationis ipsi excitant hac in re Ouidius et Theocritus; nec defuere, qui similia conferrent: nouissimus uidetur esse qui nuper innotuit Ioa. Andr. Washietl: de similitudinibus imaginibusque Oui-

quasi explicata atque extensa e radice breuitatis Theocriteae (Washietel. p. 129 sq.). Compellatio enim Galateae uu. 789—807 per duodeuiginti uersus continuata primariam hausit sententiam ex duobus uersibus Theocr. XI, 20 sq. eadem seruata partitione, ut altera parte priore formositas nymphae comparando celebretur, puellae mores animusque denotentur et deplorentur altera posteriore cf. Theocr. XI, 20: Ouid. 789—797. Theocr. XI, 21: Ou. 798—807, binis comparatiuis respondentibus ternis denis. Segregantur duae partes manifesto nomine amatae repetito u. 798:

saeuior indomitis eadem Galatea iuuencis,

quod admonet nos pronominis 'idem' simili ratione apud Theocritum usurpati, ubi (XI, 34) Polyphemus a deformitate sua transit ad diuitias laudandas:

ἀλλ' ὡὑτός (sic codd. e a s), *τοιοῦτος ἐών, βοτὰ χίλια βόσκω.*

Liberius in usum suum uertit Naso bucolici comparationes ut hic incipiens a candore lacteae puellae, cum quo comparat folium niuei ligustri u. 789, non lac coactum, cuius mollitiem u. 796 conferre maluit, cum Theocritus hanc uirtutem potius ad agni similitudinem reuocet apud Ouidium non exstantem. Alteram uero partem prorsus ab eadem incohat imagine poeta Romanus, qua Graecus:

μόσχω γαυροτέρα: saeuior indomitis iuuencis;

alteram comparationem suo ex ingenio, cum uuam maturam quidem, non crudam adhibuerit iam u. 795, ita uariat, ut asperitatem, quam cum Ribbeckio mus. Rhen. XVII, 565 sqq. uoce *φιαλωτέρα* significari consentimus, conferat cum tribulis u. 803 eodem ex orbe naturae atque uua petitis.

Ceterum in comparanda Galatea luxuriatur Naso occasionem amplexus, qua ubertatis sermonisque uariandi studio indulgeret non parcus promus imaginum uerborumque thesauri. Nec tamen eum similitudinum orbem excedit, quem simplici Cyclopis menti accommodatum exspectes. Omnes fere res com-

dianis Vindobonae 1883, qui p. 121—135 Polyphemi cantilenae sententias auctoribus restituit alio ac nos usus consilio non semper felici, quem grauioribus tantum locis laudare sufficiet.

paratae ex obseruatione naturae sunt petitae uno excepto uitro u. 791, ut ex plantarum arborumque condicione ligustrum 789, alnus 790, palma, platanus 794, quercus 799, salix, uites 800, tribuli 803; e florum frugumque notitia prata 790, uua 795, hortus 797; ex tempestatum uarietate soles hiberni, aestiua umbra 793, ignis 802, uenti uolucrisque aura 807; ex amnium marisque consuetudine conchae 792, glacies 795, undae 799, scopuli 801, amnis 801, aequora 804; e gregum cultura haedus 791, lac coactum 796, iuuenci 798; ex uenationis peritia ursa 803, hydrus 804, ceruus 806; quin etiam 'laudatum pauonem' u. 802 et cycnum u. 796, de quibus fando tantum uidetur audiuisse, ornamenti loco interponit. Qui mos amatae comparandae uel formae aliarum rerum similitudine illustrandae non dubitamus, quin ex populari usu natiuorum hominum, pastorum, uenatorum, messorum originem repetat hanc in fabulam fortasse a mimographis Siculis inductus. — Ab adlocutione transgreditur Polyphemus ad diuitias suas puellae praedicandas primum commodam monstrans habitationem in antro suo uu. 810—820, quos uersus uerbositate rhetorica effictos esse uides ex quinque Theocriti uersibus XI, 44—48, etsi aemulus Romanus longe recessit ab exemplari Graeco, a quo nihil fere nisi uinum mutuatus est, hic quoque bucolici poetae subtilitatem, qui pastorem fecit minus fruges resque edendas amatae promittentem quam umbram resque sentiendas, uertens in utilitatem. Pergit laudare Cyclops possessionem suam decem uersibus 821—830 compositis ex similitudine quattuor Theocriteorum XI, 34—37. Singula inuenies exaggerata. Mille pecudum amplificatae in numerum immensum, item pascua dilatata atque extensa, singulae pecudes discretae: omnia uero eo aucta, quod ostendit opes suas pastor diues pronomine demonstratiuo 'hic' uu. 821. 824 et u. 825 uerbis his: 'praesens potes ipsa uidere'. Porro quae tribus hemistichiis Theocritus denotarat ferarum horrida munuscula XI, 40 sq., longiore septem uersuum descriptione ornamentis additis lepidis depingit Ouidius uu. 831—837. Minus bene ei cessit deformitatis Cyclopeae enarratio uu. 840—853, quam contaminauit ex Theocr. id. XI, 31—33

et VI, 34—38. Nimirum eas elegit rhetoricus poeta Cyclopeae formae partes, in quibus splendida ostenderet artificia: magnitudinem, cui Iouis maiestatem opponeret, capillorum saetarumque largum prouentum, quem exemplo arborum et equorum defenderet, unum oculum, quem cum Solis orbe conferret. Simplicitas uero et modestia Polyphemi Theocritei hac ratione plane detersa est. In reliqua carminis parte uestigia bucolici relinquit Naso, cum ibi sermo fiat de aemulo Cyclopis, quem nondum nouit Theocritus. Nocuit autem huic cantilenae rhetorica ars magis quam profuit etiam in sequentibus conspicua, ubi amator causis, cur exoptandus magis et retinendus quam reformidandus uideretur, iam commemoratis nouam adicit formula u. 854 'adde quod' non minus frigida illa quidem quam quae sequitur oppositio impietatis in deos et reuerentiae erga puellam uu. 857 sq.:

quique Iouem et caelum sperno et penetrabile fulmen,
Nerei, te uereor: tua fulmine saeuior ira est[1]).

Quod nos quidem sentiamus, suauem tenorem bucolici carminis hac in cantilena non assecutus est poeta Romanus, quamquam uersuum Theocriteorum consilium etiam metro et forma expressum hic illic bene perspexit, ut monstrat imitatio Theocr. id. XI u. 29: τὶν δ' οὐ μέλει, οὐ μὰ Δί', οὐδέν, cui et ex sententia et ex numero uersus clausulae maerorem quendam denotante respondet Ouidianus u. 869:

nec tu, Galatea, moueris

(cf. Washietel. p. 135, qui bene comparat Theocr. III, 33). In uniuersum igitur quamuis sollerter Naso singulos colores miscuerit, tamen non ea semper in suum usum uertit, quae subtilissime excogitata erant a prioribus (cf. Feder. p. XII), nec potuit ea adhibere, utpote qui aliam sibi mente conformasset amantis Cyclopis imaginem: inuiti tamen desideramus bella illa Theocriteae cantilenae: ardoris initium (XI, 25 sqq.), matris

1) Similes oppositiones apud scriptores eroticos sunt lumina orationis, quibus ei quos nihil mouit amore commoti proponuntur cf. exemplum instar omnium Nic. Eug. II, 357—370.

increpationem (67 sqq.), patientiam amoris causa (51 sqq.), cantus fistulaeque iactationem (38 sqq.).

Iam uero ut par est aemulo inducto mutatus est typus Galateae. Quae cum omne studium posuerit in Acidis amore, Cyclopem, qui obtrectat huic foederi, non potest non odisse cf. Ou. 756 sqq. cum pauore eius mentionem faciens cf. 772. 780. 873 et perterrita impetu eius in undis salutem petens u. 878. Lacrimis obortis Scyllae narrat feri Cyclopis uim letumque caro adulescenti paratum cf. 744 sq. Verus igitur amor ex petulanti puella, quae stolidum Neptuni filium ludibrio habere solebat, effinxit sponsam de amatoris sorte sollicitam obitumque eius ex animo lugentem. His ex moribus nymphae simul intellegitur, cur ut Cyclops saeuiorem indueret animum, artis poeticae ratio postularit.

Totius huius imaginis colores quibus ex fontibus deprompserit Ouidius quaestionem subiungere placet, priusquam de Acide loquamur. Accuratius uero huius potissimum poetae auctores indagari propterea summi momenti ducimus, quod difficillimam de Ouidii metamorphoseon fontibus disquisitionem ad bonam frugem adduci non posse nobis persuasimus, nisi singularum narrationum exemplaria quam diligentissime explorata sint. Quos flosculos ex Theocriti horto decerpserit Naso, quos spreuerit iam supra monitum est. — Homericae uero uestigia imitationis non minus in singulis rebus quam in tota indole aperta sunt, quod luculenter apparet ex rei pecuariae diligenti notitia uu. 827—830, quam debet Ouidius partim Hom. Odyss. IX, 219—223, ubi similiter singulae pecudes segregantur, partim eiusdem libri uu. 246—249, ubi paene ad uerbum congruit imitatio:

αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος
πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκεν,
ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη
πίνειν αἰνυμένῳ καί οἱ ποτιδόρπιον εἴη.

lac mihi semper adest niueum. pars inde bibenda
seruatur, partem liquefacta coagula durant (Wash. p. 131).

Nec minus apte ad Homerum reuocabis baculi Cyclopei magni-

tudinem cum malo comparatam Ou. 783: 'antemnis apta ferendis' Hom. Od. IX, 321 sqq. Versus autem Ouidianus 771:

Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,

memoriam repetit heroici 509:

Τήλεμος Εὐρυμίδης, ὃς μαντοσύνῃ ἐκέκαστο (Wash. p. 128). Omnino nonnulla, quae ad uastam Cyclopis formam pertinent, epico accepta refert poeta Romanus, ueluti cum illum iaculantem facit 'partem e monte reuulsam' u. 882 (cf. met. XIV, 181 sqq.), quae est *κορυφὴ ὄρεος μεγάλοιο* Hom. 481, cuius extremus angulus sufficit ad Acim obruendum, cum apud epicum ipso impetu saxi in undas decidentis nauis ad litus redigatur Od. IX, 484 sqq.

Num uero aeque atque Homeri scaenicorum poetarum memoria Ouidio uiguerit in hoc mytho exornando non ilico affirmaueris. Certa documenta desunt: suspicamur cum Washietelio p. 133 Euripideae fabulae meminisse poetam, ubi philosophia superbientem inducit Polyphemum uu. 842 sqq.:

non est hoc corpore maior
Iuppiter in caelo: nam uos narrare soletis
nescio quem regnare Iouem. et u. 857:
quique Iouem et caelum sperno et penetrabile fulmen,

quos uersus scriptos esse putauerimus recenti recordatione Euripideorum Cycl. 320 sq.:

Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε,
οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεύς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός,

uix Homericorum Od. IX, 275 sqq., cum longius absit uerborum congruentia. Possit etiam quis securitatem Cyclopis in antro suo uersantis, qualis inest in Ou. uu. 810 sqq.:

sunt mihi, pars montis, uiuo pendentia saxo
antra, quibus nec sol medio sentitur in aestu
nec sentitur hiems,

comparare cum inflatis uerbis Polyphemi Euripidei a u. 322: *ὡς δ' οὔ μοι μέλει ἄκουσον* usque ad u. 331: *χιόνος οὐδέν μοι μέλει.*

Haec probabiliter statuas; totam tamen Polyphemi descriptionem ad fabulas satyricas referendam esse quod con-

tendit Kornius ad Ou. met. XIII u. 784, ueremur, ne comprobari nequeat. Nec magis constat de comoediarum et Alexandrinorum epylliorum praeter Theocriteum auctoritate, quamquam de his fortasse paulo melius edocebimur.

Unus restat, cuius uestigia manifesto ferunt ad Ouidium: Vergilius. Qui cum hanc fabulam, quippe quae celeberrima esset inter pastores Siculos, in bucolicis saepe tetigerit et uertens exemplar Theocriteum et sententias hoc in argumento genuinas per imitationes suas dispergens, qua de re mox impensius disseremus, atque in Aeneidos libro III uu. 588 sqq. Polyphemi personam induxerit et ipsam et ab Achaemenide pauente descriptam, aequali poetae non unam tantum aemulandi obtulit ansam (nimium dicit Wash. p. 125). In deliciis habitaculi congerendis met. XIII, 810 sqq. non dubitamus quin Ouidio obuersati sint loci Vergiliani, quales habes ecl. I, 80 sq.:

sunt nobis mitia poma,
castaneae molles et pressi copia lactis; uel ecl. VII, 53 sq.:
Stant et iuniperi et castaneae hirsutae;
strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma;

prae ceteris uero ecl. II, 51 sqq.:

ipse ego cana legam tenera lanugine mala
castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo;

ubi Corydo puerum suum delicatum Alexim ut ad se ueniat precibus non minus desiderii plenis quam Cyclopis nec minus irritis implorat. Eundem autem prae se ferunt si quid sentimus colorem uersus, ubi munus catulorum ursinorum denotatur uu. 834 sqq.:

inueni geminos, qui tecum ludere possint,
inter se similes, uix ut dignoscere possis,
uillosae catulos in summis montibus ursae,
inueni et dixi: dominae seruabimus istos.

et Vergiliani ecl. II, 40 sqq.:

praeterea duo nec tuta mihi ualle reperti
capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
bina die siccant ouis ubera: quos tibi seruo.

Nec nullius momenti fuisse existimemus in pangendis uersibus Ou. 840 sq. uel in uertendis Theocriteis VI, 35 sqq. Maronianos ecl. II, 25 sq. Porro componi possunt Ou. u. 781 et Verg. Aen. III, 660 et pinus baculi uicibus apud utrumque poetam fungens Ou. 782 coll. c. Verg. Aen. III, 659.

Manifesta uero et iam pridem intellecta, sed nondum frugifera facta deprehenditur mutuatio Ouidii, cuius originem altius repetere fortasse poterimus, his in locis met. XIII, 851 sqq.:

unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
ingentis clipei. quid? non haec omnia magno
Sol uidet e caelo? Soli tamen unicus orbis,

quos praeiit ferme uersus Vergilius Aen. III, 635 sqq.:

et telo lumen terebramus acuto
ingens, quod torua solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar.

Apparet Ouidium non solum clipei similitudinem a Marone mutuatum esse, sed etiam, cum Solem antestantem faceret Polyphemum, Phoebeae lampadis memorem fuisse. Ipsa autem res satis mira: neque enim solere Ouidium fere ad uerbum singulas res in comparando enumerando enarrando adhibitas ex praegressis poetis sibi adrogare modo in pluribus exemplis obseruauimus, nunc uno comprobamus hoc, quod Ouidius ex loco Vergiliano simillimi argumenti, ubi Galateam adloquitur Corydo ecl. VII, 37 sq., nihil nisi cycnum asciscere uoluit met. XIII, 796, cuius ne candorem quidem comparauit ut Vergilius. Iam alterius illius rei comparatae, clipei, fons etiamnunc potest adiri in Callimachi hymn. in Dian. uu. 52 sqq., ubi de Cyclopibus dicitur:

πᾶσι δ' ὑπ' ὀφρὺν
φάεα μουνόγληνα, σάκει ἴσα τετραβοείῳ,
δεινὸν ὑπογλαύσσοντα.

Quid? si alterius quoque similitudinis eundem fontem statuimus, nonne perspicimus, cur uterque poeta eodem ordine easdem res eadem occasione usurparit? Unde uero probabilius haec petita putabimus, quam ubi Cyclopem describere debebat poeta, ex Galateae epyllio Callimacheo? Nunc male-

mus ad communem fontem, eundem Callimachum, reuocare etiam quae legimus Ou. 876 sq.:

tantaqae uox, quantam Cyclops iratus habere
debuit, illa fuit: clamore perhorruit Aetna.

et Verg. Aen. III, 672 sqq.:

clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
contremuere undae penitusque exterrita tellus
Italiae curuisque immugiit Aetna cauernis,

quae procul dubio hausta sunt ex Callim. hymn. in Dian. 56 sqq.:

αὖε γὰρ Αἴτνη,
αὖε δὲ Τρινακίη, Σικανῶν ἕδος, αὖε δὲ γείτων
Ἰταλίη, μεγάλην δὲ βοὴν ἐπὶ Κύρνος ἄϋτει,

quam credere exscriptum esse unum ab altero. Fortasse etiam aspectus Cyclopei capitis ab utroque cum luco collatus communi auctori tribuendus est cf. Ou. 844 sq.:

coma plurima toruos
prominet in uultus umerosque, ut lucus, obumbrat.

Verg. Aen. III, 679 sqq.: qualis cum uertice celso
aërias quercus aut coniferae cyparissi
constiterunt, silua alta Iouis lucusue Dianae.

Quae hucusque de fontibus huius narrationis Graecis explorauimus, haec sunt: adhibuit Ouidius Theocritum et Homerum, uidetur adhibuisse Euripidem et Callimachum. Quid suo ex ingenio addidit? Videamus quae restent. Ouidianam esse rhetoricam expolitionem facile concedes. Quam praecipue in cantilena obuiam esse ostendimus: neque alias hunc morem deponit poeta cf. 'iam' insignibus uersus locis positum uu. 764 sqq., 'senserunt' uu. 785 sq., 'adfer' — 'ferte' u. 880. Quae est rhetorum consuetudo, ut quod uni homini semelue accidit, ad omne tempus omnesque homines transferant, manifestum huius usus exemplum est apud Nasonem, ubi Polyphemum, qui semel Ulixis socios deuorauit, fingit hospitum carne semper uescentem cf. 760:

uisus ab hospite nullo | inpune,

qui mos cum nunc quidem omittatur,

tutae ueniuntque abeuntque carinae (u. 769),

cuius rhetorici artificii uestigium exstat iam apud Euripidem u. 249: *χρόνιος δ' εἴμ' ἀπ' ἀνθρώπων βορᾶς.*

Nec minus rhetorum sapit disciplinam Ouidianamque consuetudinem Cyclopis responsum uu. 774 sqq., quo Telemi uaticinium ad nitidam oppositionem inter duas notiones uerbi rapiendi propriam et translatam inuertitur [1]). Atque haec quidem et talia sua ex facultate poetica disciplinae rhetoricae alumnus potest addidisse: tamen relincuntur nonnulla ita comparata, ut suspicionem moueant, ne alio ex horreo acceperit.

Subtilius enim ut uidimus quam Theocritea Ouidiana Polyphemi imago in certis quibusdam rebus elaborata repraesentatur, in quibus numeramus habitum Cyclopis ad canendum residentis, descriptionem in mare porrecti collis uu. 778 sq., fistulae centum ex cannis compositae u. 784, baculi mentionem 782 sq. Porro horum uersuum sententiam ab Ouidio profectam non credimus 764 sqq.:

iamque tibi formae, iamque est tibi cura placendi,
iam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos,
iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam
et spectare feros in aqua et componere uultus.

Tantopere enim haec sententiola prae se fert omnes numeros artis Alexandrinae, ut quouis pignore affirmemus inde eius originem repetendam esse, etsi auctor nominatim laudari nequit.

His fortasse plura adiungi possunt, nihil tam probabile: ea uero quae attulimus alio ex fonte sunt oriunda [2]); si quid sentimus — et sensui hic credere liceat deficientibus testimoniis — Alexandrina ex aetate, cuius poetas his in rebus excolendis plurimum studii posuisse constat. Nunc satis habemus statuisse alium praeter Theocritum adhibitum esse a poeta

---

1) Habent in deliciis scriptores erotici amoris uim cum alia comparantes multo maiorem illius auctoritatem premere cf. Ach. Tat. p. 116, 3 sq. Herch.: *ἐπὶ πόλεμον νῦν ἐξελεύσομαι βουκόλων· ἔνδον μου τῆς ψυχῆς ἄλλος πόλεμος κάθηται.* Eustath. M. p. 230, 6 sqq.: *ἡ παρθένος — ὀδυνηρότερον ἄλλο καὶ βιαιότερον ἐξήγειρέ μοι κλυδώνιον* al.

2) Ouidii 'aemulatoris Theocriti' ingenio imputat Washietelius l. l. p. 127 sqq. 134.

auctorem Alexandrinum quaestionem retractaturi et sententiam stabilituri, simulatque de Acide exposuerimus.

Caput IX.

De Acidis persona.

De Acide fabula primum obuia apud Ouidium, deinde passim repetita apud poetas Latinos uergentis aeui haec est. Acis, filius Fauni et nymphae, Symaethi fluuii filiae, egregiae formae adulescens Galateae fauore conciliato aemulus factus Polyphemi cum quando amatam fouens a Cyclope, qui modo frustra musica arte mulcere studuerat puellae fastum, conspectus sit, fugam capessit Galatea paternum regnum petente; sed immanis iaculatoris saxo obruitur. Galatea auctore resurgit amatus mole hiscente conuersus in fluuium eodem nomine insignem. Nouo igitur inuento inducitur Galatea, quae hucusque Polyphemi aestum illuserat, ipsa amoris ui correpta neque amplius asperum seruans animum. Sic auctus fabulae ambitus noua lumina addidit Polyphemi ardori, cui adiungitur zelotypia, quam naturae ueritate exprimere non omisit poeta amoris fluctuum haud imperitus; nec minus uiuo colore exornauit mutationem adulescentis duabus in his rebus suo ingenio indulgens.

Ab hac narratione Ouidiana uidentur pleraeque quae postea occurrunt mentiones profectae. Consentiunt in uniuersum mythographi: Seru. ad Verg. ecl. IX, 39: 'Theocriti uersus sunt: *ἐξέλθοις, Γαλάτεια, καὶ ἐξελθοῖσα λάθοιο*, quibus inducit Cyclopem usum, cum in scopulo sedens amicam suam Galateam de fluctibus inuitaret ad terras. Cyclops enim dicitur nympham amasse Galateam: quae cum Acin quendam pastorem amaret et Polyphemum sperneret, ille iratus Acin necauit, qui postea Galateae miseratione in fontem mutatus est, qui hodieque Latine Acilius dicitur [ab illius nominis deriuatione]' ad eundemque fontem reuocandi mythographi Vaticani I, 5 (Mai class. auct. III p. 2). II, 174 (l. l. p. 147) et Seru. ad Verg. ecl. VII, 37:

'Galatea — quam cum Polyphemus Cyclops adamasset, primum concubitum eius precibus expetiuit, mox uim adhibere conatus est, quem illa in mare se praecipitando effugit. Cyclops autem, cum eam de mari non posset euocare, Acin, quem nympha diligebat, ictu petrae interemit, cuius cruorem Galatea uertit in fluuium, qui eius retinet nomen'. De nomine noui fluuii discrepantiam possis ita expedire, ut fontem, in quem Acis mutatus est, Acilium dictum putes, fluuium, in quem cruor transiit, antiquum retinuisse nomen statuas, nisi Acilii nomen nimis suspectum esset, ut huic testimonio diffidere praestet. De poetica uero huius fabulae tractatione per sequens aeuum nihil innotuit, si eximis pulchrum epigramma Anth. Lat. 151 R.:

Defugiens pontum siluas Galatea peragrat,
  custodem ut pecorum cernere possit Acim.
nam [1]) teneros gressus infigit sentibus ardens,
  nec tamen alta pedum uulnera sentit amor.
ipsa Cupidineae cedunt elementa pharetrae,
  cuius et in mediis flamma suburit aquis.

Nondum saeuum ad finem peruenerunt amores necdum turbata 'Veneris concordia'. Optime describitur ardor nymphae, quae deseruit undas, ut solent puellae marinae terrestres uiros depereuntes. Nec noua est figura puellae per siluas et loca aspera amatum quaerentis neque ullum dolorem percipientis, sed ex poetica supellectile petita: talis quaerit Venus Adonim cf. Bion. epit. Adon. 19 sqq., talis Daphnim quaerit puella Theocr. I, 82 sq., talis Narcissum quaerit Echo Ou. met. III, 370 sqq. al.; et conferri possit Ceres Proserpinam et Hylam quaerens Hercules (Theocr. XIII, 64 sqq.). Poterat igitur poeta in legendis prioribus non tiro suo ex ingenio fingere hanc sententiam: nunc cum in hac farragine uersemur, de antiquo exemplo cogitare malumus. Continuauit fabula amorem constantem etiam ultra Acidis fatum, ut et hinc et illinc adstructa

1) 'Nam' caret sensu, acumine 'iam', quod placuit Oudendorpio. Scribimus: q u a m teneros gressus infigit sentibus ardens! ut exclamatione efferatur sententia.

apud posteriores inueniamus narrationis Ouidianae supplementa: u. Sil. Ital. XIV, 221 sqq.:

quique per Aetnaeos Acis petit aequora fines
et dulci gratam Nereida perluit unda.
aemulus ille tuo quondam, Polypheme, calori
dum fugit agrestem uiolenti pectoris iram,
in tenues liquefactus aquas euasit et hostem
et tibi uictricem, Galatea, immiscuit undam.

et clarius Claudianus de rapt. Pros. IV, 1 sq. Ieep.:

Lucus erat prope flauum Acin, quem candida praefert
saepe mari pulchroque secat Galatea natatu.

Putabatur igitur nympha libens Acidis nouam formam reuisere priscae amicitiae memor — bella sententia uero poeta digna. Non multum iuuamur epigrammate ut Riesio uidetur recenti [1]) Anthol. Lat. 886 R.: Acidis tumulus.

Acidos haec cernis montana cacumina busti
aequor et ex imis fluminis ire iugis?
ista Cyclopei durant monumenta furoris:
hic amor, hic dolor est, candida nympha, tuus.
sed bene si periit, iacet hac sub mole sepultus,
nomen et exultans unda perenne uehit.
sic manet ille quidem neque mortuus esse feretur
uitaque per liquidas caerula manat aquas.

Cuius quidem auctor Ouidii est pedisequus, id quod unicuique se offert (cf. Wernsdorf. poet. Lat. min. III [a. 1782] p. 277 ad u. 6) cf. u. 1 'montana cacumina' Ou. 882; u. 6 'exultans' Ou. 892; u. 8 'caerula' Ou. 895. Haud raro apud scriptores ueteres mentio inicitur Acidis fluuii, de quo Vibius Sequester (geogr. Lat. min. ed. A. Riese p. 146): 'ex Aetna monte mari decurrit; ex huius ripis Polyphemus saxa in Ulixen iecisse dicitur', quod congruit cum chronologica mythorum Cyclopeorum ratione; cf. etiam Hesych. s. u.: *ποταμὸς Ἀσίας, ἢ ἐν Κατάνῃ.* Memoratur *Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ* a Theocrito I, 69

1) Pentadio, praecipue uersuum echoicorum auctori cf. Anthol. Lat. 234 sq. 265, adsignauit Scaliger.

inter terrae Siculae insignia; quod idem esse atque ψυχρὸν ὕδωρ illud id. XI, 47 ex Aetnae montis candida niue Polyphemo demissum non credimus Vincentio De-Vit in Forcellin. lex. s. u. 'Acis', quia in antro fons uidetur intellegendus, quamquam uir doctus prouocare poterat ad prouerbium a magno frigore huius fluuii deriuatum Diog. II, 74: Ἆκις ποταμός· ἐπὶ τῶν ἄγαν ψυχρῶν. ψυχρὸς γάρ ἐστιν οὗτος cf. Solin. p. 56, 18 sq. M.: 'Acidem quamuis dimissum Aetna nullus frigore anteuertit' (u. testimonia de Acide apud Holm. hist. Sicil. ant. I p. 339). 'Herbifer' autem Acis est Ouidio fast. IV, 468; quae omnia ante oculos ponunt torrentem inter saxa e fonte prosilientem (cf. Eustath. p. 1053, 4 sq.) frigidamque sub nemorum umbra aquam [1]) seruantem. Fortasse ex lapide mirae formae emanabat limpidus fons, cuius rei causam quaerens populi imaginatio hunc conexum confinxit; quod ut statuatur suadet diligentia, qua origo noui fluuii ab Ouidio depingitur. In continenti uero cogitandum esse saxum a Polyphemo in Acidem immissum ipsa res monstrat, quoniam in litore, ubi sub rupe cum Galatea latuerat, obruitur Symaethi nepos. Quare nescio an non recte saxa etiamnunc ex aequore eminentia ut in Ulixem ita in riualem a Cyclope iacta contenderit O. Iahn l. l. p. 412 adnot. 7. Popularem autem si arbitramur fabulam istam fuisse illi loco adligatam, parum ueri est simile ipsum Ouidium hac ex memoria suam materiam hausisse. Atque antea quidem notam fuisse fabellam uiris doctis diuinare magis quam demonstrare licet ex schol. Theocr. I, 69: Ἆκις δὲ παρὰ τὸ ἀκίδι ἐοικέναι τὰ ῥεύματα. Νυμφόδωρος ἐν τῷ Περὶ Σικελίας θαυμαζομένων φησίν, ὅτι ἐπὶ Δάφνιδος Ἆκις ποταμὸς Σικελίας οὐκ ἦν [2]). Detegit igitur Nymphodorus errorem Theocriti, qui Acim inter Siciliae fluuios laudarit, priusquam exstaret huius nominis amnis. Quod non potest fecisse nisi causa addita ratus pro-

1) Etiamnunc seruauit antiquam naturam Acis hodie 'Acque Grandi' nominatus, quem ex massa sulphurea prosilire lato flumine et mille tantum passuum cursu peracto in mare incurrere narrat Holmius l. l. I p. 27.

2) Textum dedimus ex Duebneri constitutione, quam amplexus est Muellerus fr. hist. Gr. II p. 376.

cui dubio ex sua mythorum chronologia Daphnim obiisse ante Acidis necem et mutationem[1]) (cf. Duebner: 'revue de philol.' 1847 p. 457). Narrasse igitur putandus est 'Symaethii herois' fabulam. Iam si uere eidem scriptori adsignauit Muellerus fr. hist. Gr. II p. 375 libros περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων et περὶ νομίμων βαρβαρικῶν, Nymphodorum scripsisse ei credimus sub Ptolemaeo Philadelpho. Illo igitur tempore nota erat fabula historico certe Syracusano in patriae mythis bene uersato, nondum ut uidetur in poeticorum studiorum orbem recepta, si quidem opus fuit admonere Theocriti lectores de errore admisso. Et re uera tum, cum Theocritus de Polyphemi amoribus composuit idyllia, trita non uidetur fuisse fabella, quam opinamur certe leniter tangere ut solent Alexandrini non omisisset. Proficimus autem nunc redeuntes ad praeclarum illud de Bionis Galatea testimonium Ps.-Mosch. epit. Bion. 59 sqq.:

Κλαίει καὶ Γαλάτεια τὸ σὸν τέλος, ἅν ποκ' ἔτερπες
ἑζομέναν πρὸς σεῖο παρ' ἠϊόνεσσι θαλάσσας.
οὐ γὰρ ἶσον Κύκλωπι μελίσδεο· τὸν μὲν ἔφευγεν
ἁ καλὰ Γαλάτεια, σὲ δ' ἅδιον ἔβλεπεν ἅλμας.
καὶ νῦν λασαμένα τῶ κύματος ἐν ψαμάθοισιν
ἕζετ' ἐρημαίῃσι, βόας δ' ἔτι σεῖο νομεύει.

Condonamus laudatori Bionis quod quos carmine celebrauit uel delectauit Smyrnaeus poeta, eos lugere fingit mollissimi cantoris immaturum letum, ut uu. 26 sqq. musicae artis pascuorumque deos, uu. 69 sq. Venerem adludens ad Adonidis epitaphium Bioneum, tamen ut plena fere de Bione et Galatea contexatur et ex ordine deducatur fabula amatoria lege poetices non concessum ducimus nec boni iudicii, nisi subtilis subest notio, quae excuset illam libertatem. Nullum autem alium hic significari nobis persuasimus quam Acim, in quem omnia optime quadrant, si hanc stropham cum ceteris de illo testimoniis comparauerimus. Qui hic inducitur pastor facile conciliatur cum Acidis persona, quippe quem pecudes custo-

1) Non semper conspicuus fuit Acis fluuius, quem Cluuerus uidit, R. Pirrus Aetnae eruptione obrutum tradit cf. Holm. l. l. I p. 27.

diuisse Seruius l. l. et poeta Anthol. Lat. 151, 2 aperte testentur non refragante Ouidio. Ac fuit nobilior pastor quam Polyphemus, cum boues eum pauisse euincatur Ps.-Mosch. u. 64: *βόας δ᾽ ἔτι σεῖο νομεύει.* Ouidianam uero Galateam rupe latitantem Acidisque in gremio residentem (met. XIII, 786 sq.) rursus inuenies in Ps.-Moschi u. 60, nec quem mortuum mutatumque nympha 'candida praefert saepe mari' (Claud. de rapt. Pros. IV, 1 sq.), uiuum quoque *ἅδιον ἅλμας* (Ps.-M. 62) ab illa uisitatum esse negabis. Denique eiusdem modi luctum, quali Bionis mortem deflere dicitur Galatea, eam Acidi quoque necato tribuisse paene exspectamus; solent enim pelagi nymphae amore uel maerore percussae undarum reditusque obliuisci, ueluti Clytie Ou. met. IV, 260 sqq.[1]) Pulcherrima autem est sententia uere bucolica, ex qua Galatea orbum gregem pascens proponitur (cf. Fritzschium ann. antiquit. litt. VI [1848] p. 759, qui bene comparat Theocr. XI, 65). Existimamus igitur Bionem Acidis fabellam carmini suo de Cyclopis et Galateae amoribus composito intexuisse atque tam uero uiuoque colore et mutuam flammam uoluptatemque amantium et puellae acerbum dolorem expressisse, ut discipulus laudator augeri putaret communem de magistri morte maerorem, si similitudinem inter Acidis Bionisque fatum amplexus hunc pro illo substitueret — qui est mos tectae significationis hac aetate — simulque celeberrimi carminis memoriam repeteret. Neque obstant cetera uestigia Bionei carminis, quominus hic mythus cum iis copuletur.

Redit quaestio, unde Bio sumpserit fabellam. Nam ipsum e uulgi memoria mythum sat obscurum in poesim primum traduxisse ei non probabile uidebitur, qui Smyrnaei ingenium et artem ex frustulis sibi resuscitauerit: mediocris sane poetae in trito argumentorum orbe uersantis. Ab altera autem parte si Nymphodori tenemus aetatem Bionisque aeuum tertii fere a. Chr. saeculi exitu alteriusue initio florentis, non magnum

1) Immerito hic unius Heinsiani codicis lectionem 'lympharum impatiens' aspernati sunt recentiores editores uarie locum tentantes.

relinquitur spatium, quo innotuisse potest poetica forma indutus Acidis mythus. Hoc uero pro certo affirmare licebit Alexandrina primum incude fabellam formatam et ab eodem fabro Alexandrino, uix a Bione, in Ouidii officinam translatam esse.

Reuertamur igitur ad inuestigationem de Ouidii fontibus institutam, quam eo usque prouexeramus, ut Nasonem praeter Theocritum alterum auctorem Alexandrinum secutum esse suspicaremur. Quae suspicio nunc certa reddita, quoniam Acidis fabulam poeta Romanus acceptam refert haud dubie Alexandrino poetae, qui non poterat non persequi Polyphemi quoque et Galateae amores: si fas esset hariolari, poetam illum appellaremus Callimachum, cum eum solum inter Theocriti Bionisque aetatem huic materiae studium nauasse concluserimus. Nec pigeat huic sententiae paululum immorari. Neminem obscuram istam de Acide fabulam poetica arte quasi euulgasse facilius crederemus quam doctum Cyrenaeum grammaticum inuestigatorem poetam, qui trita spernere solebat argumenta cf. fr. 293. Commendat autem hoc non solum obscuritas, sed etiam propria indoles fabulae, quam conexam fuisse cum mirabili aliquo saxo neque notam nisi angusti circuitus incolis antea coniectauimus. Cui autem magis conuenit talis mythi originem et causam ex incertā uulgi fama captare et litteris mandare quam Aetiorum scriptori? praesertim cum illum non modo Siculas quoque fabulas attigisse cf. fr. 25. 382. 361. 202. 346 al., sed etiam pedestri oratione scripsisse e Suidae tabula constet *περὶ τῶν ἐν οἰκουμένῃ ποταμῶν* et *περὶ τῶν ἐν Εὐρώπῃ ποταμῶν* fortasse his se libellis praeparantem ad docta poemata. Qua cum ratiocinatione concinit quod Callimachum epyllium Galateae titulo insigniuisse scimus, quo solo titulo et Polyphemi et Acidis amores comprehendere licebat. Denique si reputamus non sine aliqua probabilitate ad Callimachum referri multos colores, quibus Ouidius exornarit Polyphemi figuram praeter Theocriteos, non temerarium uidetur indagare, num qua ex frustulis Callimacheis uel ex iis, quae sine poetae nomine per lectorum corpora conglobata uagantur, cum ali-

qua specie ueri hac in materia stationem possint recuperare: fr. 512 Schn. (schol. Theocr. VIII, 30):

ἴϋζων δ' ἀν' ὄρος

solent accipere Diltheyum de Callim. Cyd. p. 88 secuti 'de Hercule Hylae nomen per montes clamitante' nisi codicis Ambrosiani p. 63 Ziegler. auctoritate, qui explicat: Ἰϋγκτά· κράκτης. τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ ἰΰζειν. Καλλίμαχος etc. (cf. Hesych. s. u. ἰΰζει). Huius autem codicis praestantia propterea hoc loco non tuetur scholii pretium, quod ululandi notio cum Theocriti loco conciliari nequit, qui solam admittit alteram explicationem (Ahr. II p. 290) ἰϋκτά· ὁ συριχτὴς ὁ λιγύφθογγος· τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ἰϋκτής. Καλλίμαχος etc. Videtur autem de notione uocabuli ἰϋκτά lis orta esse inter grammaticos cum grauitate quadam urgentes τοῦτο γὰρ σημαίνει et τοῦτο γὰρ δηλοῖ. Nos uero in Callimachi quoque loco, non solum in Theocriteo, 'clare ad fistulam canendi' unice ueram fuisse significationem illius uerbi e scholio concludentes Callimachi fragmentum referimus ad Cyclopem tanta uoce in litore canentem, ut repercutiatur sonitus Aetnae rupibus, ut dicit Ouidius met. XIII, 785 sq.: senserunt toti pastoria sibila montes,
senserunt undae.

Ipsi cantilenae Cyclopis attribuere placet quae seruauit Choerobosc. in Theodos. p. 384, 3 (= Bekk. An. p. 1209) fr. 475: ὥσπερ ἀπὸ τοῦ γῆρας (γῆρος) καὶ ἀπὸ τοῦ δέρας δέρος, οὕτω καὶ ἀπὸ τῆς ὕδας εὐθείας, ἐξ ἧς ἡ γενικὴ ὕδατος, γίνεται ὕδος, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ

ἔστιν ὕδος καὶ γαῖα καὶ ὀπτήτειρα κάμινος.

Ὀπτήτειρα elegantissimum est inuentum Naekii de Hecal. p. 170 pro tradito ὀπτῆρα, qui de figulo aliquo haec uerba accipit fretus Hes. opp. u. 61; aliter alii, quos refutare in fragmentis interpretandis neque opus est nec fructuosum. Nos existimamus ibi haec uerba a Polyphemo cantata esse, ubi antri sui amoenitates enumeraret, commoti maxime uerbi ἔστιν collocatione insigni cf. Theocr. XI, 45 sqq. Potuit sane Cyclops Nereidi soli mari adsuetae polliceri tria elementa naturae: primum aquam, quam imprimis amabat, deinde terram, denique

ignem; *ὀπτήτειρα* autem *κάμινος*, quam nos de culinaria intellegimus fornace, indicare uidetur palati elegantiam, quam retinuisse e comoedia doctum decet Alexandrinum.

Concessit agrestis uir se pulchritudine non praestare; nihilominus ut ueniat in antrum orat Galateam fortasse his uerbis *ἔμπα γε μὴν ἴϑι δεῦρο*
Apoll. Dysc. de adu. p. 154, 25 Schn. (Schneid. fragm. anonym. 267). Inter hoc et praegressum fragmentum ni fallimur interponendi erunt uersus ab Athenaeo ex Callimachi Galatea allati. Meminit uero Cyclops aemuli inuisi et nescio an effundat in eum minas sanguinolentas hasce

τοῦ μὲν ἐγὼ ζώοντος ἀναιδέσιν ἐμπήξαιμι
σκώλους ὀφϑαλμοῖσι, καὶ εἰ ϑέμις ὠμὰ πασαίμην

Suid. s. u. *σκῶλος. εἶδος ἀκάνϑης, ἢ σκάνδαλον* (Schn. fr. anon. 58), quales apud Ouidium in Acim conicit met. XIII, 865 sq., ad quem locum proxime accedit eiusdem anthropophagi in Ulixem emissa iactatio Ou. met. XIV, 194 sqq.[1]) Propter repetitam autem uiscerum mentionem in Suidae loco nostro iure nobis uidemur ad explendam sententiam in proximi uersus capite addere *ἔντερα* (sc. *ὠμὰ πασαίμην*) uel si quid exquisitius mauis in Callimacho *γέντα* cf. fr. 525. Impudici autem oculi probe dicuntur ab amatore aliquo aemuli lumina, quae abstinere non potuerunt amatae forma; accedit quod unus fere, qui cruda uescitur carne humana, in Graecorum mythologia est Polyphemus, anthropophagus *κατ' ἐξοχήν*, cuius est quasi *ϑέμις* 'mos antiquitate sanctus'. Agnoscimus autem tectam aliquam notitiam Alexandrino mori conuenientem in uerbis *ἐμπήξαιμι σκώλους ὀφϑαλμοῖσιν*, quibus nescius ipse Cyclops futuram poenam et ultionem uaticinatur simili fere modo, quo apud Theocritum XI, 52 sq. unum oculum exuri a deliciis suis se passurum promiserat. Iam conspectis Acide et Galatea consurrexit ululans (*ὑπόρωρε βοώμενος* fr. anon. 363[2]) cf. Ou. met. XIII, 871 coll. uu. 876 sq.) et letiferum iactum perpetrauit.

1) Ad talem fere Acidis mortem pertineant monumenta, quae Welckerus monum. antiqu. V p. 233 sq. huc refert.

2) Ex Schneideri emendatione.

Galateae uero lamentationem expressam esse suspicamur in uersu anonymo ab interpretibus multifariam tentato neque intellecto fr. anon. 341: schol. *A* ad Il. XXIII, 254: πᾶσα δοτικὴ δισύλλαβος ἐπ' ὀνομάτων εἴς τι λήγουσα ὀξύνεται, χρωτὶ δαιτὶ Κρητί. οὕτως οὖν καὶ λιτί. τούτῳ γὰρ τῷ λόγῳ καὶ βλητὶ ὀφείλομεν κατ' ὀξεῖαν τάσιν ἀναγινώσκειν·

νύμφα φίλη, καὶ βλητὶ λίθῳ ἐνὶ δάκρυον ἧκας.

Acquiescendum erit in notione adiectiua uocis βλής, cum quae contra monuit Lobeckius Paralipp. p. 82 (Lehrs. Herod. scr. tr. em. p. 326) non uideantur sufficere ad Herodiani (Lenz. II p. 121) et qui eum secuti sunt Theognosti canon. in Cram. anecd. Ox. II p. 134, 23 et scholiastae Eurip. Or. u. 18 auctoritatem infringendam; uidetur autem ipso sermone scholii notio adiectiua e regula exempta et per analogiam tantum huc trahenda indicari. Nimirum Galatea immoderato dolore subacta lacrimas infundere dicitur iacto lapidi, qui 'totum obruit Acin', lacrimarum flumine fortasse fluuium procreans. Potuit uero apte poeta uocatiuo adloqui nympham, ut significaret auctum affectum, qui usus passim obseruatur apud poetas antiquos cf. Ou. met. XIII, 765; illud autem *καί* ad alterum uerbum praegressi uersus referendum erit.

Sed ne coniectandi conglutinandique studio in cassum abripiamur, id unum hoc nostro conamine qualicumque effecisse nobis uidemur, ut Acidis fabellae auctorem Ouidio fuisse Callimachum non sine probabilitate credi possit. Simul epyllii Callimachei tenebras aliquantum dispellere studuimus Acidis mythum ei uindicantes, cui opinioni calculus inde adicitur, quod sic tantum intellegimus, quomodo poeta tritas orbitas aspernans post Theocriti curas ad idem argumentum allectus sit tractandum. Si uero in illa fabula Cyrenaeum adhibuit Romanus poeta, etiam in ceteris Alexandrini poematii laciniae erunt agnoscendae, quas ex parte auctori restituere conati sumus.

De Ouidianis denique fontibus ut comprehendamus iudicium, non unum adiit fontem perpetuum Ouidius, sed multis ex auctoribus composuit opus musiuum secutus praeter ceteros Theocritum et fortasse Callimachum adhibens Homerum quo-

que et fortasse Euripidem ita tamen, ut non liqueat, quibus in rebus ipse ad hos ascenderit, quas Alexandrinis intercedentibus acceperit. Congruit hoc iudicium cum iis, quae adhuc de Ouidii metamorphoseon fontibus peculiaribus disquisitionibus ad singulas fabulas spectantibus inuestigata sunt cf. ex. gr. Surber. de fabula Meleagrea, Turici 1880 p. 124. cf. p. 13; Knaack.: Anal. Alexandr.-Rom. p. 53 sqq.; et quae in uniuersum recte disputauit Alexander Riese praef. edit. p. VI sq.

Caput X.

De altera mythi forma.

Casu sat miro accidit, quod inde ab Ouidii aeuo uestigia eius mythi formae, ex qua repulsam fert amans Cyclops, rarescunt, contra plena comparent nec nimis parca alterius formae, ex qua nymphae fauorem sibi conciliat. Quam ob causam satius duximus hic interponere huius rei disquisitionem, priusquam ceteras perlustraremus imitationes tempore ex parte priores, uiliores pretio. Primus autem discrepantiam duarum formarum distincte ostendit Wolfgangus Helbig symb. philol. Bonn. p. 361 sqq. a scriptorum testimoniis profectus artificumque opera secundum illam differentiam recensens et discernens; breuius eandem rem repetiit libri de pict. pariet. Camp. multis locis, praecipue p. 197. Immerito eum huc traxisse Theocriti eclogam VI supra p. 244 sq. monuimus. Euincit rem Nonnus, qui passim in Dionysiacorum libris Polyphemi et Galateae coniugum mentionem inicit. Exstant autem uestigia in altius aeuum porrecta, ut Propertii uersus IV, 1, 45 sq. L. (III, 2, 5 sq.):

quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
ad tua rorantes carmina flexit equos.

Sed uidentur nobis hi uersus minus poematum quam artis operum memoriam prodere propter rorantium equorum insigne simile delphinis, quibuscum semper fere Galatea in picturis comparet. Nec multum iuuamur Appiani Illyr. 2 memoria:

φασὶ δὲ τὴν μὲν χώραν ἐπώνυμον Ἰλλυριοῦ τοῦ Πολυφήμου γενέσθαι. Πολυφήμῳ γὰρ τῷ Κύκλωπι καὶ Γαλατείᾳ Κελτὸν καὶ Ἰλλυριὸν καὶ Γάλαν παῖδας ὄντας ἐξορμῆσαι Σικελίας καὶ ἄρξαι τῶν δι' αὐτοὺς Κελτῶν καὶ Ἰλλυριῶν καὶ Γαλατῶν λεγομένων.[1]) καὶ τόδε μοι μάλιστα πολλὰ μυθευόντων ἕτερα πολλῶν ἀρέσκει, quod testimonium hoc unum certe uidetur probare non abhorruisse ab antiqua uulgi opinione conubio coniunctos esse Polyphemum et Galateam, qua cum re bene consentiunt quae tradunt schol. Theocr. VI, 7 et Luc. de uer. hist. 2, 3 supra p. 186 laudati. Mirum est quod cum Appiano paene congruit quod Natalis Comes (uide supra p. 185) Bacchylidem testatum esse narrat. Neque igitur dubitari potest de altera forma, et suo iure Helbigius inter artis opera quaesiuit quae ad illam referret. Quodsi recte nonnullas tabulas Campanas huic generi adsignauit, reducimur ad poetarum studia, cum ipse ille uir doctus pendere hanc artem maxime ab Alexandrini aeui poesi demonstrauerit in libro s. l. Praestat autem non prius de poeticae tractationis origine quaerere, quam quid de ipsa illa tractatione sciri possit ex posteriorum uarie commista farragine eruerimus.

Qua in re non spernimus Luciani dialogorum marinorum primum cum Helbigio, qui hunc priori adnumerat formae. Collocuntur ibi Doris et Galatea de Polyphemi amore aeque atque apud Ouidium Scylla et Galatea, sed consilio diuerso. Lacessita enim a Doride Galatea et uellicata propter amatoris deformitatem defendit eum beneuola mente uirtutem et artem clariore in luce collocans. Hoc si spectas apertissimi signum fauoris, parum ualet quod c. 2 negat a se amari Cyclopem, quibus ex uerbis Helbigius concludit totam hanc laudationem instituere Galateam, ut Doridem pungat pulchritudini suae obtrectantem contra mentem scriptoris ut nobis quidem uidetur. Nimirum non superbit Galatea feri et portentosi Cyclopis amore

1) Reuocandam esse hanc memoriam ad Timaei auctoritatem docet Etym. M. p. 220, 5 sq. (fr. 37 M): Γαλατία· χώρα· ὠνομάσθη, ὥς φησι Τίμαιος, ἀπὸ Γαλάτου, Κύκλωπος καὶ Γαλατείας υἱοῦ, ubi u. Sturzii adnot. cf. Schneid. Callimach. II p. 164.

nec profecto illum deperiisse credetur, sed est aliquid prae ceteris placuisse Neptuni filio, qui aliis deficientibus amatoribus uicarium se offert non plane contemnendum. Vix autem si ea mente uirtutes Cyclopis enumeraret, ut Doridi stomachum moueret, musicam artem laudasset, quam ludibrio futuram nymphae procaci non poterat non praeuidere. Intelleguntur haec tantum, si eam defendere amatorem qualemcumque statuimus nec plane perhorrescere eius caritatem, id quod non fugit inuidiosam Nereidem recte sic iudicantem c. 1: *Ἔοικας, ὦ Γαλάτεια, οὐκ ἐραστήν, ἀλλ' ἐρώμενον ἔχειν τὸν Πολύφημον, οἷα ἐπαινεῖς αὐτόν*, et c. 5 fin.: *τοιοῦτος* (sc. *ἐραστής*) — *σοὶ γένοιτο καὶ σὺ ἀντερῴης αὐτοῦ.* Toto autem caelo distat haec Galatea a Theocritea et a fugiente id. XI et a lasciuiente id. VI, quam ob causam ad posteriorem mythi formam Lucianum uocare maluimus. Huius autem formae notitiam cui debeat Samosatenus nunc in medio relinquendum neque huius partis fons eruendus — satis habemus indagare, quid noui, unde accedat ex Luciano ad huius argumenti supellectilem poeticam. Eminet descriptio canentis Cyclopis nouis luminibus illustrata c. 4 sq.: *ἠκούσαμεν αὐτοῦ ᾄδοντος ὁπότε ἐκώμασε πρῴην ἐπὶ σέ· Ἀφροδίτη φίλη, ὄνον ἄν τις ὀγκᾶσθαι ἔδοξε. καὶ αὐτὴ δὲ ἡ πηκτὶς οἵα; κρανίον ἐλάφου γυμνὸν τῶν σαρκῶν, καὶ τὰ μὲν κέρατα πήχεις ὥσπερ ἦσαν, ζυγώσας δὲ αὐτὰ καὶ ἐνάψας τὰ νεῦρα, οὐδὲ κόλλοπι περιστρέψας, ἐμελῴδει ἄμουσόν τι καὶ ἀπῳδόν, ἄλλο μὲν αὐτὸς βοῶν, ἄλλο δὲ ἡ λύρα ὑπήχει, ὥστε οὐδὲ κατέχειν τὸν γέλωτα ἐδυνάμεθα ἐπὶ τῷ ἐρωτικῷ ἐκείνῳ ᾄσματι· ἡ μὲν γὰρ Ἠχὼ οὐδὲ ἀποκρίνεσθαι αὐτῷ ἤθελεν οὕτω λάλος οὖσα βρυχωμένῳ, ἀλλ' ᾐσχύνετο, εἰ φανείη μιμουμένη τραχεῖαν ᾠδὴν καὶ καταγέλαστον. ἔφερε δὲ ὁ ἐπέραστος ἐν ταῖς ἀγκάλαις ἀθυρμάτιον ἄρκτου σκύλακα τὸ λάσιον αὐτῷ προσεοικότα.* Rudis inhabilisque lyra ex cerui cornibus compacta respondet uenatori a Musis alieno, cuius uocem repercutere grauatur Echo. Necdum inuenimus initium amoris inde deductum, unde ipsa narrat Galatea c. 2: *ὅτι ποιμαίνων ποτὲ ἀπὸ τῆς σκοπῆς παιζούσας ἡμᾶς ἰδὼν ἐπὶ τῆς ἠϊόνος ἐν τοῖς πρόποσι τῆς Αἴτνης, καθ' ὃ μεταξὺ*

τοῦ ὄρους καὶ τῆς θαλάττης αἰγιαλὸς ἀπομηκύνεται, ὑμᾶς μὲν οὐδὲ προσέβλεψεν, ἐγὼ δὲ ἐξ ἁπασῶν ἡ καλλίστη ἔδοξα, καὶ μόνῃ ἐμοὶ ἐπεῖχε τὸν ὀφθαλμόν. Simplicissima haec ratio nympharumque uitae maxime accommodata, simplicior quam Theocriti uenustum sane artificium. Denique nusquam deprehendimus iudicium aliorum de Polyphemi cantu tam fuse expositum quam fit ap. Luc. c. 4. Mittimus nunc minora. Ea autem omnia ita nobis uidentur comparata, ut elaborata repperisse Lucianum, non ipsum de suo finxisse existimemus. Ac priora illa originem clare prae se ferunt: expolita et singillatim limata descriptio Alexandrini moris est — id solum ambiguum, utrum calamo poetarum debeat sua Lucianus an penicillo artificum. Ad amussim secernere utriusque speciei imitationisque fines — semel dictum esto — non adgredimur: nobis probabilius uidetur ad artificum opera reuocare descriptiones istas, ac bene accidit, quod seruatur imago informem istam lyram ex cerui cornibus exhibens factam in comparationem uocata a Iahnio p. 416, anaglyphon uillae Albani (ap. Zoegam in opere 'Li Bassirilievi antichi etc.' II, 57) ap. Helbig. l. l. p. 368 sq., cui rei eo maiorem tribuimus demonstrandi uim, quod per se sat mirum est Lucianum, quippe qui pastorem depingat Cyclopem, non fistula eum instruere, sollemni instrumento bucolico, sed cithara (*πηκτίδι*). Neque aliunde figuram Polyphemi de scopulo nympharum lusum spectantis prouenisse arbitramur, quem solent artifices fingere de saxo persequentem oculo Galateam, quae praeteruehitur. Commendantur hae coniecturae eo, quod res nobis est cum uiro, quem artis peritissimum inter scriptores ueteres laudant archaeologi (cf. H. Bluemner: de locis Luciani ad artem spectantibus, Berol. 1866 p. 48 sqq.) et quem in dialogis marinis monumenta respexisse probabile (cf. Bluemner. stud. archaeol. ad Luc. Vratisl. 1867 p. 69—82, de hoc dialogo p. 76 sq.).

Contra nisi aliunde constaret poetas habuisse Lucianum auctores — nonnulla attulit iam Hemsterhusius in Reitzii edit. Luc. (Amstelod. 1743) tom. I p. 288 sqq. — probabile esset de iudicio illo a Doride facto. Acerba enim musici uiri irrisio

memoriam reuocat satyricorum comicorumque salis uel dithyrambici aculei, qui comparare potuerunt Cyclopis cantum cum asini ruditu [1]). Verba autem ἐμελῴδει ἄμουσόν τι καὶ ἀπῳδόν prope accedunt ad Eurip. Cycl. 489 sq.:

ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος
σκαιὸς ἀπῳδός

uu. 425 sq.: ᾄδει ἄμουσα.

Conuenit etiam κωμάζειν Lucianei Cyclopis cum Eur. Cycl. u. 508. Quid aliud significatum uerbis Luciani ἄλλο μὲν αὐτὸς βοῶν, ἄλλο δὲ ἡ λύρα ὑπήχει, quam θρεττανελό illud, quod pro citharae sonitu, quem frustra excutiebat, esse uoluit Cyclops Philoxeni? Eandem ad poesim pertinebit quod Doris inter uitia amatoris enumerat c. 5 κινάβρας ἀπόζων ὥσπερ τράγος, si quidem recte huic generi adsignauimus Synesii narrationem, in qua similitudinis umbra exstat haec: ἀτὰρ μεταξύ μέ τι καὶ τοιοῦτον ἔθραξε, μὴ τῶν κωδίων ὁ γράσος ἀηδὴς γένηται κόρῃ τρυφώσῃ καὶ λουμένῃ τῆς ἡμέρας πολλάκις. Doris est nobis instar ceterarum nympharum, ac fingimus in comoedia aliqua — Nereidum chorum coniectura tribuimus Antiphanis Cyclopi — Nereides eadem fere atque Doridem malignitate iudicasse cantico aliquo de Polyphemi arte musica. Comicos autem lectitatos esse et imitando expressos a Luciano res nota, non solum Aristophanem, sed etiam mediae nouaeque comoediae auctores cf. Ziegeler.: de Luciano poetarum iudice et imitatore, Gott. 1872 p. 27 sqq. p. 28 adnot. 4.

Alexandrinis autem artificibus plurimum debere Samosatenum uidimus: nunc de poetis uideamus. Nouit hercle eos, qui hac in re elaborauerunt — sollemnia enim elementa fabulae eadem — sed huius notitiae uestigia ita sua miscuit arte, ut nominatim auctorem laudare difficile sit. Videtur nobis minus

1) Adludit Doris ad prouerbia illa de asini natura insipida et a musica arte aliena sumpta: ὄνος λύρας ἀκούων etc. nunc hanc formam in mente habens ὄνος λυρίζων· ἐπὶ τῶν ἀμούσων Macar. VI, 39, quam adhibuit Lucianus loco huic consimili dial. meretr. XIV, 4: καὶ μάλιστα ὁπόταν ᾄδῃ καὶ ἁβρὸς εἶναι θέλῃ, ὄνος αὐτολυρίζων φασίν, quem attulit Leutschius in adnot. ad Diogen. VII, 33 hoc omisso.

Theocritum secutus esse, quamquam nonnulla bucolici carmina redolent cf. Luc. c. 1: ἐπιμεμηνέναι σοι et ὀρθαὶ μανίαι Theocr. id. XI, 11 et aequoris speculum ex Polyphemi exemplo Theocr. VI, 35:

ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα,

a Doride non sine acerbitate quadam Galateae commendatum Luc. c. 3: ἀπὸ πέτρας τινός, εἴ ποτε γαλήνη εἴη, ἐπικύψασα ἐς τὸ ὕδωρ ἰδὲ σεαυτήν etc. Attamen sunt quae alio ducant. Proderit cum narratione Ouidiana comparare Luciani dialogum. Mirus est consensus inter argumenta, quibus apud Nasonem Polyphemus se praedicat, defendit Cyclopem Galatea apud Lucianum. Primum illustris origo a maris rege deducta Luc. c. 1: Μὴ σκῶπτε, Δωρί· Ποσειδῶνος γὰρ υἱός ἐστιν, ὁποῖος ἂν ᾖ. Ou. met. XIII, 854 sq.:

adde, quod in uestro genitor meus aequore regnat:
hunc tibi do socerum,

deinde uirilis aspectus quem dicunt pro truci et aspero Luc. c. 1: Οὐδὲ τὸ λάσιον αὐτοῦ καί, ὡς φής, ἄγριον ἄμορφόν ἐστιν — ἀνδρῶδες γάρ — κτλ. Ou. l. l. 846 sqq.:

nec mea quod rigidis horrent densissima saetis
corpora, turpe puta. turpis sine frondibus arbor,
turpis equus, nisi colla iubae flauentia uelent,
barba uiros hirtaeque decent in corpore saetae.

Vidimus propria haec esse Ouidii neque ex Theocrito fragmentisue Alexandrinorum hausta. Neque aliena copulabis, si Lucianeum uocabulum (c. 5) ἀθυρμάτιον compones cum Ouidii hemistichio u. 834: 'qui tecum ludere possint' — alterum exprimere alterum recte iam cognouit Hemsterhusius — uel descriptionem regionis illius ad mare sitae, ubi ludunt nymphae, unde Polyphemus desiderium suum mittit amatae, a Theocrito paucis absolutam XI, 17 sq., Luc. c. 2: ἐπὶ τῆς ᾐόνος ἐν τοῖς προπόσι τῆς Αἴτνης, καθ' ὃ μεταξὺ τοῦ ὄρους καὶ τῆς θαλάττης αἰγιαλὸς ἀπομηκύνεται, cum uersibus Ou. met. XIII, 778 sq.:

prominet in pontum cuneatus acumine longo
collis: utrumque latus circumfluit aequoris unda.

Propius ad Ouidium quam ad Theocritum accedit oculi unius mentio, de quo apud Lucianum Galatea c. 1: *ὁ ὀφθαλμὸς ἐπιπρέπει τῷ μετώπῳ οὐδὲν ἐνδεέστερον ὁρῶν ἢ εἰ δύ' ἦσαν*, apud Ouidium ipse Polyphemus 851 sqq.:

> unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
> ingentis clipei. quid? non haec omnia magno
> Sol uidet e caelo? Soli tamen unicus orbis.

Similitudo inter utrumque scriptorem aperta. Contra si perpendimus discrepantias — colorum scilicet, non consilii narrationis — nihil fere merito concluditur nisi omisisse Lucianum nonnulla, imprimis antri diuitiarumque mentionem, differre scriptores ea una re, quod Samosatenus plane aliter canentem Cyclopem depingit, id quod partim ex artis monumentis partim ex antiquiore poesi repetendum esse censuimus. Quid igitur statuamus? Dicent imitatione poetam Romanum expressum esse a philosopho Graeco. At uero est controuersia inter uiros doctos, utrum Lucianus scriptores Romanos lectitarit uel imitatus sit necne. Quamquam enim constat sciuisse Latine Samosatenum ipsius testimonio pro laps. c. 13, tamen iure dubitarunt, num scriptores Latinos dignos habuisset quibus studium nauaret. Ut nunc res habet, nondum refutatum uidetur quod primus contendit F. A. Wolf ad Hor. sat. I, 1, 15 Lucianos, Maximos Tyrios al. nondum imitari Romanos, raro legere, cui adstipulatus est C. F. Hermann opusc. p. 224. Aliter sentiunt ex. gr. Iacob. ad Luc. Alexandr. 15. Grauert. anal. hist. et phil. I p. 162 adnot. Qui ultimus in rem inquisiuit Zieglerus l. l. p. 42 sqq. recte iudicasse Wolfium affirmat, cuius sententiam fidei non absonam esse hac aetate demonstrant aliorum exempla a uiris doctis allata, ut Plutarchi, Libanii. Quamdiu igitur altioris indaginis disquisitione de Luciani studiis litterarum Romanarum non sine fructu ut uidetur instituenda caremus, fluctuabit iudicium. Si egregiae famae uiris credere licet, necessario hac in quaestione ad communem[1]) Luciani et Ouidii fontem relegamur poetam illum quidem, non artificem. Nam

1) Proprios fuisse Luciano auctores existimauit Hemsterhusius l. l. p. 291 ad lin. 57.

de huius exemplo cogitari non potest nisi in litoris descriptione, cetera ab artificum facultate abhorrent. Recuperauimus igitur fortasse antiquioris poesis reliquias, quas Alexandrinorum aetati restituere non dubitamus. Iam cum nonnullos Ouidii pannos ex Callimachi textrina petitos coniectauerimus, si quis communem illum auctorem Callimachum nominaret, non contradiceremus quamuis testimoniis destituti.

De Luciani igitur fontibus in dialogo marino I adhibitis sententia nostra haec est. Colores collegit doctus Samosatenus praecipue ex Alexandrini aeui arte et poetica et monumentaria non spernens doctrinam altius repetitam comoediaeque lectione nutritam. Nomina poetarum latent; eos certe, quorum poemata aetatem tulerunt, minus uidetur expressisse. Propria ingenii Lucianei est dialogi tota indoles: Galatea defendens reum amatorem; et hanc ob causam alterius mythi formae iure ei uindicatur notitia.

Quae quidem forma manifesto exculta et absoluta primum cernitur in Nonni Dionysiacis. Mutui autem amores Polyphemi et Galateae ueri quidem illi apertique, non simulati occultiue primum hic proponuntur, ut hinc demum quasi in firmo fundamento superstruere liceat inuestigationem. Satis uero memorabile est quod sic mytho mutato ea persona, quam fere minore studio excoluerant poetae, Galatea acrius incitat facultatem poeticam seque substituit in locum coniugis, quem uoti compotem factum deserit poetarum certatio. Solet enim Galatea a Nonno laudari inter illustrissimas et pulcherrimas nymphas eadem qua Thetis aestimatione cf. Dionys. I, 58. IX, 81. XXXIV, 80; et est inter celeberrima exempla puellarum marinarum, quae Amoris potestati cesserint cf. XL, 553 sqq.:

τοσσατίης δὲ
ἐξ ἁλὸς αἷμα φέρουσα καὶ οὐκ ὀλίγης ἀπὸ πηγῆς
ἱμείρει Γαλάτεια μελιζομένου Πολυφήμου,
καὶ βυθίη χερσαῖον ἔχει πόσιν, ἐκ δὲ θαλάσσης
πηκτίδι[1] *θελγομένη μετανάστιος εἰς χθόνα βαίνει.*

1) *Πηκτίς*, quam apud Lucianum citharae simile instrumentum cognouimus, non differt a fistula apud Nonnum cf. XLIII, 393, impr. XLIII, 217.

Optime hic locus amoris rationem delineat. Conubio uere coniuncti sunt amantes, et solet Cyclops fistulae cantu coniugem e patriis undis in continentem allicere. Impetrauit igitur nympha a se, ut nonnumquam ualere iuberet dulcem fluctum in antrum Polyphemi uentura, quod frustra rogat ille apud Theocritum; cf. etiam Dionys. XLIII, 103 sqq. Attamen amor per tempestatem inundationemque Deucalioneam paulum intermittitur, quamquam non desinit delectari dulci cantu Cyclopis amata fidem seruans coniugi nec lasciuo Pani se committens, cui respondet VI, 319 sqq.:

Πὰν φίλε, σὴν ἀνάειρε δι' οἴδματος ἅπλοον Ἠχώ·
μή με μάτην ἐρέεινε, τί σήμερον ἐνθάδε βαίνω,
καὶ γλυκερήν περ ἐοῦσαν ἐῶ Κύκλωπος ἀοιδήν.
ἄλλον ἐμοὶ πλόον εὗρεν ὑπέρτερον ὑέτιος Ζεύς·
οὐκέτι μαστεύω Σικελὴν ἅλα· τοσσατίου γὰρ
τάρβος ἔχω νιφετοῖο καὶ οὐκ ἀλέγω Πολυφήμου.

Nec minore ardore flagrat Polyphemus, qui, cum ceteri Cyclopes a Baccho stantes contra Indos arma induant, solus detrectat pugnam retentus Galateae flamma cf. XIV, 61—66, etsi Neptuni patris tridenti instructus facile totam Indorum gentem profligare poterat cf. XXXIX, 273—291, non curans Thoosam matrem, quam pudet, quod filius ingens propter mollem affectum deposuit priscam fortitudinem cf. XXXIX, 292—294. Ipsa uero Galatea uehementi angore sollicitatur, ne Polyphemo quid accidat in bello cf. XXXIX, 259 sqq.:

καὶ φονίου Κύκλωπος ἀλιπτοίητον ἐννὼ
δερκομένη δεδόνητο, φόβῳ δ' ἤμειψε παρειάς·
ἔλπετο γὰρ Πολύφημον ἰδεῖν κατὰ φύλοπιν Ἰνδῶν
ἀντία Δηριάδαο συναιχμάζοντα Λυαίῳ·
ταρβαλέη δ' ἱκέτευε θαλασσαίην Ἀφροδίτην
υἷα Ποσειδάωνος ἀριστεύοντα σαῶσαι,
καὶ γενέτην φιλότεκνον ἐφ' υἱέϊ Κυανοχαίτην
μαρναμένου λιτάνευε προασπίζειν Πολυφήμου.

Bello huic teneri affectus documento respondent nonnulla, quae ad familiaritatem coniugum depingendam felicissime inuenta sunt. Sic Galatea manum armat ingenti claua Polyphemi, cum

Bacchi et Neptuni de Amymones matrimonio exarserit certamen cf. XLIII, 266 sq., sic fistula canere didicit a marito (cf. Verg. ecl. II, 31. 34) et nuptialia carmina solet prae ceteris Nereidibus praestantissime recitare, ueluti in nuptiis Neptuni et Amymones XLIII, 390 sqq.:

καὶ ζυγίην Γαλάτεια διακρούουσα χορείην
ἄστατος ὀρχηστῆρι ποδῶν ἐλελίζετο παλμῷ,
καὶ γάμιον μέλος εἶπεν, ἐπεὶ μάθε καλὰ λιγαίνειν
ποιμενίῃ σύριγγι διδασκομένη Πολυφήμου,

similiter in nuptiis Bacchi et Pallenes cf. XLVIII, 196 sq. Tales potissimum colores pro subtilioris artis reliquiis habeamus non bacchantem Panopolitanum minutas has res expoliuisse arbitrati. Ceterum praeter hos lepores non multum lucri percipimus ex Nonni mentionibus, quae secundum consilium totius operis non immorantur singulis rebus adornandis, sed ut uersuum impetus ad alia argumenta properant.

Unde sumpserit sua Nonnus dici uix poterit: in usu habet tritam huius mythi supellectilem et uidetur quae multum legendo memoriae infixerat sua Minerua in Bacchicarum fabularum orbem inseruisse.

Atque haec quidem exstant litterarum de altera illa mythi forma testimonia, quibus accedunt monumentorum, quorum de fide Helbigio l. l. p. 363 sqq. in uniuersum credimus. Reputanti autem, quo tempore primum haec altera forma compareat, quibus potissimum testibus firmetur, dubium esse nequit, quin posita sit in Alexandrinae poesis fundamento. De ipso poeta nihil constat; et coniecturam si periclitabimur, memores uolumus si qui legent, dubitationi quaecumque excogitentur sua natura esse obnoxia.

At nondum tractauimus testimonium aliquod in hypothesi idyllii XI Theocritei latens, ubi legitur: *προσδιαλέγεται δὲ ὁ Θεόκριτος ἰατρῷ Νικίᾳ Μιλησίῳ τὸ γένος, οὗ καὶ ποιημάτιον φέρεται ἀντιγεγραμμένον πρὸς Θεοκρίτου Κύκλωπα* (sic Meinekius), *οὗ ἡ ἀρχή·*

ἦν ἄρ' ἄληθες τοῦτο Θεόκριτε· οἱ γὰρ Ἔρωτες
ποιητὰς πολλοὺς ἐδίδαξαν τοὺς πρὶν ἀμούσους.

ἐπιγέγραπται δὲ Κύκλωψ ἢ Γαλάτεια. γέγονε δὲ κατ' ἐπίγραμμά τι συμφοιτητὴς Ἐρασιστράτου ἰατροῦ Μιλησίου, ὥς φησι Διονύσιος ὁ Ἐφέσιος ἐν τῇ Ἰατρῶν ἀναγραφῇ. Verba *ἐπιγέγραπται δὲ Κύκλωψ ἢ Γαλάτεια,* quae non omnibus codicibus exhibentur (desunt etiam ab Ambrosiano 222) Meinekius fortasse post *ἀναγραφῇ* reicienda esse ait. Unus Helbigius pro genuinis uidetur habuisse, qui l. l. p. 362 dicta putat de responso Niciae. Ac codicibus quidem hac in re non multum tribuendum, cum librorum in hypothesibus auctoritas nondum ea qua par est diligentia explorata sit cf. Ahrentis edit. schol. p. LXVI, 2. Ut traduntur libris uerba illa non possunt referri nisi ad *ποιημάτιον* illud Niciae neque aliter concludi quam scripsisse medicum Milesium epyllium, cui titulus esset *Κύκλωψ ἢ Γαλάτεια,* id quod Helbigius contendit [1]). At enim aegre ferunt subiecti mutationem in sequenti uerbo *γέγονε,* ubi subaudiendus est Nicias, statuendam. Nonne autem eadem manet offensa eliminata sententia? quandoquidem ne in praecedentibus quidem *Νικίας* subiecti uicibus fungitur, sed in enuntiato primario *Θεόκριτος*, in secundariis *ποιημάτιον* et *ἀρχή*. Quanto uero magis hiat sensus, ubi cum Meinekio ad finem hypothesis relegauerimus ea uerba tunc ad Theocritei idyllii titulum referenda! Accedunt alia, quae huic coniecturae officiant. Statuendum erat Meinekio ad marginem illa quondam adscripta postea falso loco irrepsisse. Primum non uidemus, cur opus fuerit talia adscribi, cum neque semper tituli eclogarum apertis uerbis in argumentis memorentur cf. hyp. id. I. VIII. IX. XIV al. et huius idyllii indicetur uerbis utrique recensioni communibus: *ὑπόκειται ὁ Κύκλωψ.* Deinde ubicumque laudatur titulus, semper fere utuntur praesenti tempore, non perfecto [2]), semper collocant in capite totius hypo-

---

1) Pro uerbis traditis *ἀντιγεγραμμένον ὑπὸ Θεοκρίτου πρὸς Κύκλωπα* iam Crispinus coniciens in Bucolic. edit. a. 1570 p. 75 *ἀντιγ. ὑπὲρ Κύκλωπος πρὸς Θεόκριτον* de eodem argumento utriusque poematii cogitauit.

2) E cod. Medic. 37 Zieglerus in Theocr. ed. III p. 195 edidit in hyp. id. XII *ἐπιγέγραπται μὲν τὸ εἰδύλλιον Ἀΐτας,* ubi propter sequentia perfecta prius uidetur inductum.

thesis his formulis: ἐπιγράφεται τὸ εἰδύλλιον, ἐπιγράφεται τὸ εἰδύλλιον τοῦτο, ἐπιγράφεται τὸ παρὸν εἰδύλλιον cf. hyp. id. II. III. IV. V. VI. VII. X. XII. XIII. XV. XVIII. Perfectum adhibetur, ubi ipsa opera poetae praeterita significatur, ueluti hyp. I: αὕτη ἡ ὑπόθεσις εἰς Δάφνιν γέγραπται (sic codd. B. D. P.), XVI: τοῦτο τὸ εἰδύλλιον γέγραπται εἰς Ἱέρωνα, XVII: τοῦτο τὸ εἰδύλλιον εἰς Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον ἐπιγέγραπται, XXIX: γέγραπται τοῦτο εἰς παῖδα ἀποστρεφόμενον, similiter ἐπιγέγραπται δὲ οὕτως secundum uulgatam lectionem in hyp. id. XII in sequentibus ἐπεὶ καὶ etc. causa addita; uel de dialecto hyp. id. XII: γέγραπται δὲ Ἰάδι διαλέκτῳ, XXVIII: γέγραπται δὲ Αἰολίδι διαλέκτῳ. Iam habemus perfectum ἐπιγέγραπται. Quod si de Theocritei carminis titulo acciperemus, contra usus constantiam faceremus; sin de Niciae epyllio intellegimus, suo iure stat, quoniam praesens non admittebatur praegresso perfecto ἀντιγεγραμμένον. Amplectimur igitur testimonium de Niciae carminis titulo nec causam uidemus, cur diffidamus huius hypothesis priore plenioris auctori ut uidetur eruditione minime uulgari instructo. Habemus initium responsi:

ἦν ἄρ' ἀληθὲς τοῦτο Θεόκριτε· οἱ γὰρ Ἔρωτες
ποιητὰς πολλοὺς ἐδίδαξαν τοὺς πρὶν ἀμούσους

(cf. Plut. quaest. sympos. I, 5). Recte primus Wuestemannus in edit. p. 166 sq. e particula ἄρα conclusit 'ipsum Niciam remedii uim usu expertum esse', epistulam igitur mittere amico, qui eum consolatus erat, quasi tranquillitatis receptae documentum. Cyclopis autem amores eum sic enarrasse, ut repulsam ferret infelix amator eodem quo apud Theocritum modo, quis credet? Nonne ueri simillimum est sic eum respondisse, ut effectum cantus ad summum augeret culmen Cyclopemque amore potitum, fauorem non denegantem Galateam exhiberet, qua re titulus Κύκλωψ ἢ Γαλάτεια suum acumen recuperaret?

Sic igitur nobis fingimus rem: Deperierat puellam Nicias parum felix, remedium suppeditarat Theocritus a Polyphemi exemplo petitum Musas, adhibuerat medicus et uoti compos factus erat. Quod non latuerat Theocritum confirmat iam

Nicias amoris felicitate elatus non nescio amico — sic *ἄρα* particulae uim persentiscimus — respondens idemque illud exemplum ad ea quae ipse expertus erat adaptat. Talem quidem rationem a doctorum illius aetatis poetarum commercio non putamus alienam fuisse, quippe qui subtilitate rationum haud semper natiua solerent certare et inuicem sese lacessere. Ac fortasse Theocritus non tacuit lacessitus, sed idyllio VI rursus in amicum uertit irrisionis acumen comparans eum cum Cyclope superbiente, sed a Galatea illuso, quod carmen misit ad communem amicum ob familiaritatem initiatum, Aratum (cf. id. VI, 2). Neque igitur suffragamur Kreussleri (obseru. Theocr. 1870 p. 8 sq.) rationi (probatae ab Hartungio indic. philol. VIII p. 124), qui mutuorum carminum orbem compositum putat ex Niciae carmine aliquo 'pleno aerumnae amatoriae ac desperationis', non superstite, consolatorio Theocr. id. XI, responso Niciae lacero, idyllio Theocr. XIII ad Niciam misso, et 'aliquando propter commune argumentum uno uolumine editum'. Idyllio enim XIII et ipso ad amorem spectante et excusationem ab heroico exemplo petente, exemplo tamen non puellae aestus, sed pueri delicati, parum eleganter Alexandrinum certe poetam ad pristinam flammam respecturum fuisse ipse confidimus doctissimus nobisque in paucis colendus auctor illius conexus largietur. Nicianae poesis reliquiae minores sunt, quam ut quomodo tractauerit rem doctus medicus diuinare possimus, nouem epigrammata dedicatoria pleraque, unum irrisorium (Anthol. Pal. XI, 398). Attamen talis mutationis auctorem exsistere potuisse Niciam persuadet magis quam Theocriti iudicium de amico beneuole factum id. XI, 6. XXVIII, 7 Meleagri Gadareni aestimatio, qui eum dignum existimauit quem reciperet in *στέφανον* Anthol. Pal. IV, 1, 19 sq. (cf. Iacobs. Anthol. Gr. tom. XIII p. 923).

Coniecturam nostram proposuimus, quomodo factum esse possit, ut in poetica studia induceretur altera forma: non dubitamus, quin perrexerint alii poetae scholae Alexandrinae eam excolere atque adornare, unde in Nonni et Luciani enarrationes lumina deuenerunt (uide etiam Helbig. l. l. p. 366 fin.).

Caput XI.

De auctoritate fabulae in posteros propagata.

Comprehendere placet hoc capite non solum quae restant huius mythi apud posteros mentiones, sed etiam, qua ratione et tota indoles et singuli τόποι a poetis conditi et seruati in sequentium scriptorum memoriam et consuetudinem abierint. Afferemus igitur quos philologi dicunt locos parallelos ex parte iam congestos magis quam certo consilio digestos ab editoribus, quibus multa nos debere confessi nomina laudare breuitatis ergo supersedemus. Neque uero ualemus uniuersum litterarum posteriorum campum perlustrare, sed praecipue in bucolicae poesis auctores omnes illos quidem Theocriti sectatores inquirere constituimus, quantum possumus etiam ad reliquorum imitatorum cateruam euagaturi.

Notissima erat imago Polyphemi pastoris de litore Galateam retinere conantis et in poetarum apparatum mythologicum recepta, quod non modo probat Propertii locus supra allatus, sed etiam Val. Flacc. Arg. I, 134 sqq.:

hanc (sc. Thetim) Panope Dotoque soror laetataque fluctu
prosequitur nudis pariter Galatea lacertis
antra petens; Siculo reuocat de litore Cyclops.

Etiam Martialis hoc argumentum in tritis fabellis laudat Alexandrina arte caelatis epigr. IV, 49, 6 cum tragoediis opponens epigrammatis suis (cf. X, 4) ut etiamtunc et lectitatum et tractatum. Neque oblitteratum est ultimis senescentis poesis Graecae exodiis, sed quasi flamma semel noua capit incrementa, priusquam obliuione obruatur, per Nicetam Eugenianum, qui poeta ut huius mythi sic huius enumerationis agmen claudet. Iam supra monuimus ad Polyphemi potissimum exemplar caelatum esse typum cantilenae amatoriae, imprimis eam sententiam, ex qua remedium ardoris iis qui amant obtingit cantando (cf. Philox. fr. 7; Theocr. XI, 1 sqq. coll. XIV, 52 sq.; Callim. epigr. 47; Bion. fr. XVIII, 3). Cuius sententiae fila late distenta cf. uersum intercalarem apud Nemesianum ecl. IV:

cantet, amat quod quisque: leuant et carmina curas.

ecl. II, 14 sq.; Aristaen. ep. I, 8; Nic. Eug. III, 310. IV, 379 sq., qui *τροφήν* appellat *τὴν σιωπὴν τῆς νόσου* VI, 353, cuius VI, 376 sq. nullum remedium agnoscit nisi *περιπλοκήν τε καὶ γλυκὺν γάμον*, quem pannum suffuratus est ex Longi loco pastor. p. 266, 27 sqq.[1]) e memoria Theocriteae sententiae XI, 1 sqq. scripto cf. Char. Aphrod. p. 110, 23 sqq. Manserunt per posterorum imitationem expressi etiam *τόποι* erotici carminis ad mulcendam inuitandamque puellam cantati, qui magis minusue integri redeunt in cantilenis amatoriis praecipue bucolicorum poetarum, quae exstant fere haec: Theocr. id. III. X. Verg. II. VIII. Calp. III. Nemes. II. IV. Theocriteum ordinem secuti similia conferemus.

Comparatione pulchritudinem amatae celebrandi mos, quem a Theocrito hunc in mythum inductum — fortasse secundum lyricos poetas Aeolicos (cf. Sapph. fr. 122. 123) — ab Ouidio rhetorice exaggeratum uidimus, in consuetudinem abiit amantium non modo adhibitis comparatiuis cf. Verg. ecl. VII, 37 sqq.:

> Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
> candidior cycnis, edera formonsior alba;

Calp. III, 10: mobilior uentis o femina; Nemes. IV, 14:

> Inmitis Meroe rapidisque fugacior Euris

(cf. Ou. met. XIII, 807); cf. etiam larga apud eroticos scriptores exempla Long. p. 251, 32 sq.: *τὸ πρόσωπον ὅτι λευκότερον ἀληθῶς καὶ τοῦ τῶν αἰγῶν γάλακτος*. p. 252, 12 sqq.; Xen. Ephes. p. 337, 15 sq.; Eustath. M. p. 217, 10 sq.; Nic. Eug. VI, 356 sq. 635 sqq.; Alciphr. III, 1, 2; Anthol. Pal. V, 48. 121. 56, 6. 236, 4 al., sed etiam alia ratione comparandi cf. Ach. Tat. p. 57, 24 sqq.; Eustath. p. 213, 25 sqq. 227, 22 sqq. 235, 1 sq. 256, 25 sqq.; Nic. Eug. II, 299 sqq. III, 336 sqq. IV, 122 sqq. (uide quae de dearum comparatione disputauit Rohdius de fab. Roman. p. 155 sq. c. adnott.).

Solent amatores infelices et uenustatem et asperitatem puellae pueriue allocutionibus suis intexere ut Polyphemus

1) Solemus afferre eroticos scriptores pedestri oratione usos secundum Hercheri editionis paginas.

Theocriti id. XI, 20:21, Ouidii met. XIII, 789—797: 798—807; cf. Verg. ecl. II, 6 (O crudelis Alexi): 17. 45 (O formonse puer); Nemes. ecl. IV, 14 (Inmitis Meroe): 38 (Meroe formosa). 20 (puer o crudelis Iolla). 44 (saeue puer): 72 (plus est formosus Iollas).

Ac quem uidimus Cyclopi maxime placuisse, candor[1]) nymphae marinae (cf. impr. Lucian. dial.) summum obtinet locum inter colores pulchritudinis cf. Ach. Tat. p. 42, 8 sqq. 139, 32 sq. (*γάλακτι ἂν εἶπες αὐτῆς τὸ πρόσωπον κεχρῖσθαι*); Char. Aphrod. p. 28, 31 sq.; Eustath. p. 184, 10 sq. (*τὸ λευκὸν ἄκρατον* cf. Luc. de Galatea l. l. c. 3: *ἡ ἀκράτως λευκή*); Nic. Eug. I, 123. II, 209. 345. IV, 120. 239 sqq.; Aristaen. ep. I, 1; Anth. Pal. V, 48.

Querellas intermiscent cantores de fastu puellae amatoriis praestigiis ut Cyclops Theocr. XI, 19. 24. 29. Ou. met. XIII, 869; cf. Theocr. III, 6 sq. 24. 52; Verg. ecl. II, 6 sq. 19. 56. 60; Calp. III, 59; Nemes. ecl. II, 40. 59. 69. IV, 15 sqq., narrant originem primam amoris (Theocr. XI, 25 sqq.) cf. Theocr. II, 65 sqq.; Verg. ecl. VIII, 37 sqq.:

Saepibus in nostris paruam te roscida mala
(dux ego uester eram) uidi cum matre legentem.
alter ab undecimo tum me iam acceperat annus;
iam fragilis poteram ab terra contingere ramos.
ut uidi, ut perii! ut me malus abstulit error!

χαίρουσι γὰρ οἱ ἐρῶντες εἰς τὰ ἐρωτικὰ προστάγματα (cf. supra p. 234) Ach. Tat. p. 119, 1 sq.; cf. ib. p. 112, 9 sqq.

Deformitatem, qua deterrent amatam, deprecantur et nullam esse ei persuadere student (Theocr. XI, 30 sqq. coll. c. VI, 34 sqq.; Ou. met. XIII, 840 sqq.); cf. Theocr. III, 8 sq. et — pretiosum exemplum Ps.-Theocr. XX, 19 sqq.; Verg. ecl. II, 25 sqq. VIII, 33 sqq.; Calp. II, 84 sqq.; Nemes. II, 74 sqq.; Long. p. 250, 27 sqq. 251, 8 sqq., nec dubitamus, quin singuli colores ex descriptionibus Polyphemi appicti sint superciliosae puellae

1) Unus candidae attributum denegasse Galateae uidetur Statius silu. II, 2, 20, ubi 'uiridis' appellatur.

opprobriis, qualia leguntur Ps.-Theocr. XX, 2 sqq.; Alciphr. III, 28; cf. etiam Long. p. 251, 1 sqq. al.

Varia sunt lenocinia et inuitamenta, quibus allicere uel reconciliare student fugientem, primum diuitias nimia iactatione exornant (Theocr. XI, 34 sqq.; Ou. met. XIII, 821 sqq.) cf. Verg. ecl. II, 19 sqq.; Calp. ecl. II, 68 sqq. III, 63 sqq.; Nemes. ecl. II, 35 sqq., deinde musicae artis peritiam sibi uindicant egregiam (Theocr. XI, 38 sqq.) cf. Ps.-Theocr. XX, 28 sq.; Verg. ecl. II, 31 sqq.; Calp. III, 55 sqq.; Nemes. ecl. II, 82 sqq. IV, 44 sq.; Long. p. 301, 1.

Porro exquisitissima pollicentur munera (Theocr. XI, 40 sq. 56 sq. [cf. u. 10]; Ou. met. XIII, 831 sqq.), ueluti pastores praecipue gregis pullos, maxime geminos cf. Verg. ecl. II, 40 sqq. (duo capreoli); Nemes. II, 67 sq. (geminae palumbes): Verg. ecl. III, 68 sq. Calp. III, 76 sqq.; Alciphr. I, 27, 1 (*ἀλεκτορίδων ζεῦγος*); cf. etiam Theocr. III, 34. V, 96. 133; Calp. III, 77 sq.; Nemes. II, 67 (lepus); Nem. II, 61 sqq. (luscinia); Long. p. 250, 18 sq.; Alciphr. I, 6, 3. 18, 1 (pisces); Theocr. IV, 35 sqq. (iocose 'taurus'); cf. etiam Hedylae poetriae uersus ex Scylla elegia propter marinum argumentum huic fabulae cognata (uide Rohd. l. l. p. 91) superstites ap. Athen. VII p. 297 b. Praeterea offerunt fruges, ut poma sollemnia cf. Theocr. III, 10 sq. II, 120; Verg. ecl. III, 70 sq.; Long. p. 250, 17, saepissime, flores, ueluti Theocr. III, 21 sqq.; Calp. ecl. III, 78 sqq.; Long. p. 250, 17; Anth. Pal. V, 74. 147. Habitacula autem sua pinguibus pingunt coloribus nec dulciorem agnoscunt locum per uniuersam rerum naturam (Theocr. XI, 44 sqq.; Ou. met. XIII, 810 sqq.) cf. Verg. ecl. I, 79 sqq. VII, 49 sqq. IX, 39 sqq. X, 42 sq.; Calp. ecl. II, 60 sqq.; Nemes. IV, 38 al. nec minus studiose communes labores, communes uoluptates proponunt exoptandas (Theocr. XI, 65 sq.) cf. Verg. ecl. II, 28 sqq.; Calp. III, 53 sq. 68 sq. al. Polyphemus minitatur matri se aerumnam excitaturum Theocr. XI, 70 sq., insaniores amatores ipsos sibi mortem conscituros dicunt cf. Theocr. III, 9 (Char. Aphrod. p. 9, 5 sq.). 25 sqq. 53 sq.; Verg. ecl. VIII, 59 sq.; Calp. ecl. III, 86 sqq. al. Etiam zelotypiam amatae student instigare: ut apud Theocr. XI, 75 sqq.; VI,

25 sqq. Polyphemus, sic Corydo apud Verg. ecl. II, 69—73; cf. uu. 43 sq. Haud rara est mentio magae, quam adierunt amoris remedium petentes (Theocr. VI, 39 sq.) cf. Theocr. III, 31 sqq. II, 91; Nem. IV, 62 sqq.

Haud ignoramus ampliore circuitu imitationum hanc uenaturam posse institui latiusque retia tendi, praesertim si omnes ii loci adsumantur, ubi describitur amator repulsam ferens, quibus abundant epistularum scriptores Graeci, imprimis Alciphro cf. I, 27. 35. II, 2 al. et Aristaenetus cf. I, 14. 27. II, 20 al.: sufficiat tamen grauiora monstrasse.

Non raro commemorantur Polyphemus et Galatea a posterioribus. Sollemne exemplum feritatis et saeuitiae inhospitalis praesto est Polyphemus uel Cyclops omnibus fere poetis cf. Ou. ex pont. II, 2, 111. IV, 10, 23 Korn.; Sen. Thy. 582 sqq.; Petron. c. 101; Val. Flacc. IV, 104 sqq.; Sil. Ital. XIV, 527 sqq.; Claudian. XXXVI, 355 sq. al. cf. etiam Cic. in Verr. act. II, 5, 56, 146 itemque uoracitatis cf. Ou. met. XV, 93; Petr. c. 98; Sil. It. XV, 428 sqq.; Claudian. XX, 377 sq. al. uide Alciphr. III, 51 (*Δαιμοκύκλωψ*); Philostr. uit. Apoll. IV, 36 (Iacobs. ad Philostr. im. p. 503). Acceptam ille praebet irrisionem unoculi hominis cf. Ael. uar. hist. XII, 43; Solin. p. 73, 17 sqq. M. al.; cognomenque crudelis cf. Iul. Capit. Maximin. c. 8. Maxim. et Balbin. c. 11, horridi cf. Flau. Vop. Firm. c. 4, cuius descriptio paene ipsum Polyphemum repraesentat; uide Wieseler. de fab. satyr. stud. Gott. 1847 II p. 640 adnot.; etiam occaecatus habet quo in comparationem uocetur cf. Demadem ap. Plut. Galb. 1; Eunap. hist. chron. fr. 35 (hist. Gr. min. ed. Dind. I p. 233). Galatea autem etiam per posterorum poesim locum obtinet inter celeberrimas nymphas cf. Verg. Aen. IX, 102 sq.; Cir. 393; Stat. silu. II, 2, 20; Mart. lib. spect. 28, 4; Claudian. X, 166 al. non solum celebrata propter pulchritudinem et uenustatem cf. Anthol. Lat. 152—154 R.; Mart. Cap. IX, 915, uide Alciphr. I, 19, sed etiam inuocata faustae nauigationis causa cf. Prop. I, 8, 18; Ou. am. II, 11, 34 (cf. de Lennep. ad Hes. theog. p. 233); uide Ou. fast. VI, 733. Tamen uidetur nomini Galateae aliquid adhaesisse procacitatis illius

ac lasciuiae, qua illudit Polyphemum desiderio tabescentem pomis immissis; apud Vergilium enim ecl. I, 31 sqq. (cf. Mart. VIII, 56, 17) Tityrum Galateae amor ad paupertatem redegit, nec Damoetae magna religione fidem seruasse uidetur Galatea ecl. III, 64 sq. 72 sq., qui mores consentiunt cum meretrice in Pauli Silentiarii epigrammate Anth. Pal. V, 256, ii mores, ex quibus *φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει* (cf. Theocr. VI, 17; Anthol. Pal. V, 247, 3; Nic. Eug. III, 311; uide Kehr.: de poetar. qui sunt in Anthol. Pal. stud. Theocr. Lips. 1880 p. 14). Quae uero audit Galatea procax apud Claudian. XXIX, 126 hanc ipsam ob petulantiam Thetidi uidetur opponi in prouerbio Apostol. XIII, 64: *οὐ δύνασαι Θέτιδος καὶ Γαλατείας ἐρᾶν· ἐπὶ τῶν ἀνόμοια ζητούντων* (cf. Theophylact. ep. 39). Neque tamen desunt huius nominis exempla, ubi frustra illius superbiae indicia quaesiueris cf. Nicand. fr. 45 Schneid.; Anth. Pal. V, 244, 1; Theophylact. ep. 33 [1]); est etiam inter cottidianae uitae nomina cf. C. I. Lat. V, 846. 2224. VIII, 1247. X, 4590. 6474 al. Nec uidentur illi mores subesse uersibus a Cramero e cod. reg. Par. supplem. 352 in anecd. Par. uol. IV p. 366 editis:

Ἥρη παμβασίλεια νεοζυγέων ὑμεναίων,
δέρκεο λυγρὸν ἔρωτα μαραινομένης Γαλατείης,
δέρκεο πικρὰ βέλεμνα κορυσσομένης Ἀφροδίτης·
ὃ πρὶν ἐρωμανέων στυγέει Γαλάτειαν ἰδέσθαι,

quos Iahnius l. l. ad Galateae fabulam referendos esse negat. Temporis autem quo oriundi sunt indicium suppeditat opinamur ratio metrica. Etenim non solum caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* in quattuor uersibus ter obuia posteriorem epicae poesis Graecae aetatem ostendit, sed etiam lex illa Nonniana, quam cognouit Arthurius Ludwich (ann. philol. CIX p. 441 sqq.), ex qua Panopolitanus proparoxytono uocabulo uersum termi-

1) Quem ibi Hauptius ap. Hercher. in epistologr. adn. crit. p. LXXXIV ex unius codicis lectione *ὅρκοις πείθουσαν μὴ πιστεύει γαλάτειαν* elicuit uersum: *ὅρκοις πείθουσιν μὴ πιστεύειν, Γαλάτεια,*
estne repetitus ex Alexandrino aliquo carmine, in quo Cyclops ne Acidi crederet monebat Galateam? cf. Nauck. trag. fr. adesp. 473.

nare deuitat, amat paroxytono uel properispomeno, quam legem hic poeta numquam uiolauit. Quibus rebus cum accedat sermo et tenor grandiloqui poetae, non dubitamus quattuor hos uersiculos Nonnianae disciplinae alumno attribuere. Ac possit quispiam opinari agi de Galatea Polyphemi amorem ambiente, sed fastidio repulsa, qualis iocose proponitur Theocr. id. VI; at cum intellegatur conubium legitimum, quod ex Iunonis inuocatione concludimus, statuendum esset Cyclopem fructum Galateae fauore spreuisse quam prius deperiisset, qua de re aliunde nihil innotuit. Itaque satius erit cum Iahnio de mulierculae amoribus cogitare nomine Galateae, quam Nereidem esse Polyphemi demum nomen adpositum euinceret.

Plenam autem huius fabulae memoriam instaurauit Nicetas Eugenianus, poeta Byzantinus saec. p. Chr. n. XII exeuntis (cf. Rohd. de fab. Rom. p. 531 sq.), cui re uera, id quod hoc capite illustrare conati sumus, Polyphemus est cantilenae amatoriae sollemnis auctor, qui mulcet cantando puellam superbientem et ipse suae flammae medetur. Apparet hoc ex ea ratione, qua Cyclopis personam coniungit cum illa sententia de cantu amoris remedio IV, 379 sqq.:

ἔρωτος οὐδὲν ἄλλο φάρμακον ξένον·
ᾠδὴ δέ τις καὶ μοῦσα παῦλα τῶν πόνων.
βεβλημένος γὰρ καὶ Πολύφημος πάλαι
τὸ στέρνον ἐξ Ἔρωτος ἀνδρατοξότου,
πλατὺ τρέφων τὸ φίλτρον εἰς Νηρηΐδα
ἐφεῦρεν οὐδὲν ἄλλο φάρμακον νόσου,
ᾠδὴν δὲ καὶ σύριγγα καὶ θέλγον μέλος
καὶ πέτραν ἕδραν, τῇ θαλάττῃ προσβλέπων.

Proponitur notissima imago: Polyphemus in scopulo sedens, fistula canens, in mare prospiciens; atque ita inueterauere singuli colores, ut etiam saxea sedes dicatur inuenta esse ab eo, qui remedium amoris inuenit musicam. Et in cantilena amatoria celebranda uersantur ii uersus Nicetae, ubi Callidemum, Xenocratis filium, Drosillae ut sibi faueat supplicantem inducit VI, 501 sqq. Suas enim ad partes uocat inflammatus adulescens Cyclopem, qui cantando deleniuerit asperitatem amatae,

et *τόπους* sollemnes illius cantilenae quamuis non integros enumerat. In quibus aperta est Theocriti spoliatio magis quam imitatio. Duas autem potissimum partes prae ceteris sibi adrogauit poeta Byzantinus, qua ardoris magnitudinem comprobat et qua diuitias et munera describit Polyphemus. Nicetae enim uersus VI, 507—514 dilatati sunt Theocritei id. XI, 50—53, Nic. VI, 517—525 diffїcti ex Theocriteis XI, 34—37. 40 sq.; cf. etiam Nic. VI, 530 sq. c. Theocr. XI, 42—44. Notandum tamen est, quod Byzantinus Alexandrini poetae pedisequus diuitias Cyclopis amplificauit addens praeter

κύνας (τε) πολλάς, ἀγρίας, λυκοκτόνους (u. 519)

uu. 523 sqq.: *σμήνη μελιττῶν ὑπὲρ ἑξηκοντάδα*
καὶ κισσύβια τεχνικῶς γεγλυμμένα
καὶ δορκάδων ἄμετρα δερμάτων σκύτη,

quae facile illius ingeniolo imputamus. Canes enim Cyclopem habuisse ut uenatorem intellegit mens etiam Eugenianea inferior, praesertim cum canis memoretur apud Theocr. id. VI, 9 sqq.; apium uero agmina susurrantia adeo pertinent ad receptaculi amoenitatem, ut memoria talium locorum, ut Theocr. V, 45 sqq. VII, 135 sqq. al. hoc decus Cyclopis antro adiunxisse uideri possit. Pocula autem illa artificiose edolata clarius redolent scalprum celeberrimi poculi apud Theocr. I, 27 sqq., praeterquam quod talia passim occurrunt munera pastoralia, quam ut aliunde sumpsisse censeamus Nicetam, qui etiam molles pelles recordabatur a pastoribus laudari cf. Theocr. V, 50 sq. 56 sq. Legit autem Byzantinus etiam idyll. VI, cum Galateae personam ex istius eclogae charactere sibi conformarit, quamuis perperam collegerit diligi a nympha Polyphemum cf. VI, 504 sqq.:

τὸ λάσιον γὰρ ἐβδελύττετο πλέον
φυγοῦσα τὸν φιλοῦντα· πλὴν ἔστεργέ μοι
μήλοις μόνοις βάλλουσα μικροῖς τὸν μέγαν.

cf. 534 sq.: *οὐκ ἔστιν ἐν σοὶ μῆλον, οὐ γλυκὺς γέλως,*
ὁποῖος ἦν τὰ πρῶτα τῆς Νηρηΐδος.

Nec mirum, quod omnia sua Theocrito debet hac in fabula Byzantinus spoliator, cum haud raro bucolicorum poetarum

Graecorum prae se ferat notitiam, id quod haec demonstrant exempla, quae forte correpta habemus: descriptiones prati, horti, templi, uelut I, 77 sqq. III, 65 sqq. Theocriteos referunt colores, mythorum orbis maxime bucolicus est, ueluti coniunctae exstant fabulae Narcissi, Hyacinthi, Adonidis IV, 246 sqq.; Arethusae IV, 145 sqq. (cf. Mosch. fr. V A.); Κηριοκλέπτης Ps.-Theocr. XIX expressus apud Nicet. IV, 313—324; Ἔρως δραπέτης Moschi redintegratur ab Eugeniano II, 227 sqq. IV, 157 sqq., cantilenae amatoriae cum uersu intercalari consarcinatae ex bucolicorum imitatione cf. III, 263 sqq. 293 sqq. IV, 156 sqq.; Cleandri exsequiae IX, 1 sqq. lumina orationis compilauere ex Daphnidis funere in Theocr. id. I exhibito; atque abundat poeta Byzantinus singulis sententiis, quas a Theocrito mutuatus est, uide IV, 304 sqq. coll. c. Theocr. I, 132 sqq.; V, 203 = Theocr. IV, 42 al.

Haec si recte disputauimus, iam caduca est Helbigii opinio, qui l. l. p. 362 inter eos scriptores laudat Nicetam, qui alterius mythi formae uestigia seruauerint, contendens apud eum Nereidem amatoris precibus tandem obsecutam mari relicto in continenti habitare Polyphemi uxorem. Quod si uerum esset, alium fontem secutus esset Byzantinus atque Theocritum. Sed plane fefellit sententia uirum doctissimum orta ex falsa interpretatione imperfectorum VI, 503 προσεῖλκεν, u. 515 ἐξελιπάρει, u. 526 ἔθελγε, u. 529 ἔθελγε καὶ προσεξελιπάρει, quae aperte non perfectam actionem ut aoristus indicant, sed conatum etiam enuntiatione finali u. 530 ὡς ἀνθέλοιτο etc. ostentum, quae consecutiua exhibenda erat ὥστ' ἀνθελέσθαι, si ratum factum esset consilium Polyphemi. Neque inde contra nos argumentandum, quod tunc parum aptum elegisset Callidemus exemplum, quo persuaderet Drosillae, si ne Polyphemo quidem contigisset, ut amata potiretur. Res potius sic habet: non summum praemium amoris poscit Callidemus, sed paululum comitatis, quantulumcumque obtigit Cyclopi, risum puellulae, perosus trucem asperitatem, id quod sequitur ex uersibus 536 sq.: τὸ μειδίαμα προσδοκᾷς δέ μοι μέγα
χάρισμα πολλῶν ἀντιδιδόναι λόγων

et imprimis ex sequentis fabulae uulgaris similitudine uu. 539—541. Tanta si erat modestia Callidemi, ad Polyphemi amores poterat prouocare, quales proponuntur in Theocriti id. VI. Potest autem Nicetas Eugenianus optimo exemplo esse, quantopere fabulae de Galateae et Polyphemi amoribus inhaeserint singuli *τόποι* Theocriti potissimum auctoritate exhibiti, quos fuga temporum abolere non ualuit.

Caput XII.

De Cyclope mimico.

Subtiliorem ueteris personae expolitionem ab Alexandrino in posterum aeuum quam longissime potuimus persecuti retro uertimus cursum descensuri ad infimum ludicrae artis genus, ad mimum. Pretiosum latet testimonium de mimica Cyclopeae fabulae tractatione in ipso illo Athenaei loco libri I capite 35 (p. 19f sq.), huius artis nuntiorum thesauro: *Εὔδικος δὲ ὁ γελωτοποιὸς ηὐδοκίμει μιμούμενος παλαιστὰς καὶ πύκτας, ὥς φησιν Ἀριστόξενος. Στράτων δ' ὁ Ταραντῖνος ἐθαυμάζετο τοὺς διθυράμβους μιμούμενος· τὰς δὲ κιθαρῳδίας οἱ περὶ τὸν ἐξ Ἰταλίας Οἰνωνᾶν, ὃς καὶ Κύκλωπα εἰσήγαγε τερετίζοντα καὶ ναυαγὸν Ὀδυσσέα σολοικίζοντα, ὁ αὐτός φησιν* (sc. *Ἀριστόξενος*). Si supra (p. 175 sqq.) Aristotelis locum sano consilio restituimus Oenonaeque aetatem probabili termino definiuimus, non minus huius loci difficultates expediuimus. Hegemone enim natu paulo minor qui dicitur citharoedica poemata mimica arte expressisse, eum recentioris nomi Attici cauillatorem exstitisse et per se probabile est et hic argumentorum similitudine euincitur. Namque ut Hegemo praecipue Homeri poesim ad ridiculum deducebat, ita Oenonas sublime genus primum explosisse censendus erit, Timothei igitur Cyclopem. Hac de re intellegenda sunt uerba *τερετίζοντα* et *σολοικίζοντα*. Deflexit enim inanem uerborum tumorem citharoedi, quem iam comicis poetis ludibrio fuisse uidimus, ad humillimum

abiectumque genus loquendi. Cyclopem igitur, qui fortasse apud Timotheum iactarat magniloquentiam, induxit balbutientem uino oneratum et Ulixem soloecismos admittentem. Miro huic inuento aliquid luminis accedit ex testimonio Philoxeni grammatici ad Sophronem mimographum spectante Etym. M. p. 774, 42 sqq.: *ζήτει τὸ παρὰ Σώφρονι ʽὑγιώτερον κολοκύντας᾿, πῶς οὐ λέγει ʽὑγιέστερον᾿; ῥητέον οὖν, ὅτι ἑκοντὶ ἥμαρτε, τὸ ἄκακον τῆς γυναικείας ἑρμηνείας μιμούμενος· ὃν τρόπον κἀκεῖ ἐσολοίκισε ʽτατωμένα τῶ κιθῶνος (ἀντὶ τοῦ ἐνέχυρα θεῖσα) ὁ τόκος νιν ἁλιφθερώκει᾿* (sic Valckenaer. adnott. in argum. Adoniaz. Theocr. p. 200 sqq.). *Σολοικίζειν* igitur cum hic intellegendum sit de Sophronis arte, qua contra linguae leges peccantes faciebat personas, ut uulgaris rusticiue sermonis simplicitatem (*τὸ ἄκακον*) et securitatem denotaret (cf. Valckenaer. l. l.), Oenonas uidetur Laertiaden induxisse agresti et uitioso sermone utentem, ut oppositione exaggerata castigaret dithyrambicorum nomicorumque uerborum formas audaces et inauditam structuram. Ulixes autem putandus est soloecismos illos effudisse familiaritatem quandam cum Polyphemo simulaturus, ut se ex antro dimitteret, ut faciunt homines impetraturi aliquid ab inculto uiro, qualis scaena obuersata uidetur Synesio. Praeterea melius conueniebat sermonis rusticitas horrido habitui naufragi Ulixis. Argumentum igitur illius parodiae uidetur fuisse Cyclopis et Ulixis colloquium de dimittendo captiuo et uafri Ithacensis dolus [1]. Qua in parodia uix Timotheum solum perstrinxit Oenonas, sed cognatum genus dithyrambi Philoxenii partim ad irrisionis aculeos acuendos partim ad exagitandum et ipsum adhibuisse existimandus erit (cf. Winckelmannum ad Plut. Erotic. p. 201). Potest enim illud *τερετίζοντα* suo iure ad citharae cantum praelusionemque referri (cf. Theognosti can. p. 12, 11 *τερετίζω· τὸ κιθαρίζω*; Plut. de aud. 15. Plat. quaest. 10, 2; Luc. de merced. cond. c. 33),

1) Commemorare hic liceat Ulixis cum Polyphemo commercium fuisse etiam inter declamationum rhetoricarum argumenta cf. Liban. orat. IV p. 1028 sqq. ed. Reisk.; Demetr. de elocut. 115; uide etiam Lucian. dial. mar. II.

quam Cyclops Philoxenius imitatus est famoso illo *θρεττανελό*, quae imitatio nunc fortasse ab Oenona in absurdius aucta est.

Per Oenonam uero *τὸν ἐξ Ἰταλίας* statim in eas regiones delati sumus, ubi etiam huius fabulae mimica indoles exculta est, Graeciam magnam et Siciliam, quarum incolis insita erat iocose imitandi facultas et studium (cf. Iahn. proll. Pers. p. LXXXV sqq.). Ridiculi autem homines uarii generis eo libentius hoc argumento potiti erunt, quo magis penitus inhaerebat antiquitus uulgi memoriae, neque dubitamus, quin infimi ordinis mimi, quibus *παίγνια* adsignat Plutarchus quaest. symp. VII, 8, 4, iam prius in circulis et conuiuiis Polyphemi figuram ad ridendum propinarint, quam ab Oenona in mimorum litteras, fortasse in scaenam — nam de cultiore aliquo genere cogitandum est propter uerbum *εἰσήγαγε* — induceretur. Talium autem mimorum hoc in mytho optimum exemplum est Cario Aristophaneus, quem, si eximis parodiam, mimico gestu partes Cyclopis egisse manifestum est. Et magodorum qui dicuntur inter celeberrimas partes fuisse Polyphemum persuadet Athen. XIV p. 621 c (Iahn. l. l. p. LXXXVII adnot. 2): *ὁ μαγῳδὸς καλούμενος — σχινίζεταί τε καὶ πάντα ποιεῖ τὰ ἔξω κόσμου, ὑποκρινόμενος ποτὲ μὲν γυναῖκα καὶ μοιχοὺς καὶ μαστροπούς, ποτὲ δὲ ἄνδρα μεθύοντα καὶ ἐπὶ κῶμον παραγινόμενον πρὸς τὴν ἐρωμένην.* Vir enim ebrius comissatum proficiscens occurrit iam Cyclops Euripideus uu. 503 sqq. Licebit igitur opinari etiam in mimis fuisse amores Polyphemi et Galateae, quod suadent quae secuntur apud Athenaeum de similitudine inter magodorum et comicorum argumenta intercedente: *πολλάκις δὲ οἱ μαγῳδοὶ καὶ κωμικὰς ὑποθέσεις λαβόντες ὑπεκρίθησαν κατὰ τὴν ἰδίαν ἀγωγὴν καὶ διάθεσιν.* Atque huius quidem speciei rudi forma degeneratus magis quam excultus mythus primum uidetur Italorum nationibus traditus esse; certe facile concedes Siciliae figuram comicam sollemnem breui tempore Campanae quoque lasciuiae propriam factam (cf. Th. Panofka de huius mythi in monumentis parodia in comm. acad. Berolin. philol. et hist. 1851 p. 6 sqq.; Heydemannum in annal. instit. archaeol. 1878

p. 227 sqq.). Neque tamen contigit, ut uestigia propagatae fabulae usque ad Romanos persequi possemus, etsi uix dubium est, quin multi colores stupidarum personarum auidi uentris [1]), ueluti Maccorum, quales frequentant comicam scaenam indigenam Romanorum, referendi sint ad Aetnaeum exemplar.

Primum redit saltantis Cyclopis mimici mentio apud Horatium sat. I, 5, 62 sqq., ubi certamen proponit poeta scurrarum Sarmenti et Messii Cicirri, quorum ille hunc lacessit:

Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat:
nil illi larua aut tragicis opus esse cothurnis.

Scilicet ingentis corporis erat Oscus et ei 'foeda cicatrix
saetosam laeui frontem turpauerat oris'.

Ipsi sunt scurrae, quales arcessebantur a Romanis ad cenas (cf. l. l. u. 70), neque ipsi fortasse nescii imitationis Cyclopis; sed alludit Sarmentus ad paulo nobilius genus, ad pantomimos, id quod sequitur ex u. 64, qui scaenicum monstrat apparatum (cf. Kirchner. ad h. l.). Pantomimus intellegendus etiam Hor. ep. II, 2, 124 sq., ubi de ueri poetae laboris per ludum dissimulatione legitur:

ludentis speciem dabit et torquebitur, ut qui
nunc Satyrum [2]) nunc agrestem Cyclopa mouetur;

et disertis uerbis testatur Porphyrio: 'ita torquebitur et fatigabitur, ut pantomimus, qui nunc motus (e coni. Meyeri) Satyri nunc Polyphemi Cyclopis conatur imitari personam'. Discimus his ex locis fuisse Cyclopis figuram in pantomimorum scaena celeberrimam et actorem laruam tragicosque cothurnos induisse, ut ingentis uiri magnitudinem et deformitatem aequi-

---

1) Ad Polyphemi exemplar putant expressam fuisse **Manduci** effigiem (uide Paul. Diac. exc. p. 96) cf. M. Raoul-Rochette: monum. ined. I p. 351 adnot. 3 et M. Arditi l. mox laud. p. 15 afferentes Callim. hymn. in Dian. 66 sqq. cum adnott. Spanhemii. Qua cum effigie comparatur testimonium Varronis d. l. L. VII, 95 M. (Ribbeck. comic. Rom. frgm. Atell. inc. nom. I).

2) Etiam pastores satyros saltando imitati sunt, quod docet Verg. ecl. V, 73 ab Orellio ad h. l. laudatus.

peraret. Neque tamen credimus Pseudo-Acroni propterea tantum Sarmentum, scaenica supellectile supersedere Oscum, censuisse, 'quia demissa esset barba', qualis sane in monumentis est Polyphemus, sed etiam propter cicatricem illam in fronte conspicuam, quae instar esset unius oculi, quem laruae defuisse uix consentaneum. Recte porro conclusum est ex epistulae loco rudem et incomptam saltationem Cyclopis opponi Satyri agilitati et alacritati. Satyros autem pantomimo cum notum sit Augusti temporibus excoluisse Bathyllum (Pers. sat. V, 123: uide Ps.-Acr. ad Hor. ep. II, 2, 125; Plut. quaest. symp. VII, 8, 3, 3 cf. Friedlaend. histor. mor. Roman. II p. 286), etiam Cyclopem inter huius discipulorumue argumenta fuisse facilis est suspicio, non tamen comoediae Cyclopem, sed fabularum satyricarum uel dithyrambi, quoniam pantomimi e comoedia petiti in usu fuisse non uidentur (cf. Friedl. l. l. adnot. 1). Amores Polyphemi non minus quam temulentiam in pantomimo actos esse propter obscenitatem Bathyllici certe generis credi, non demonstrari potest. Impura autem talia de Polyphemi et Ulixis commercio, qualia denotata habes apud Petronium c. 48. Luc. Pseudolog. c. 27, potius rusticis illis, ut ita dicamus, mimis ingerenda erunt quam pantomimorum exquisitiori lasciuiae ne nobilibus quidem uiris ingratae. Quaecumque uero in mimis et pantomimis risu diducebant rictum spectatoris, in Euripidis fabula satyrica si non exposita, at certe tacta et praemonstrata sunt, praecipue obscena; ueluti paederastia cf. uu. 581 sqq., praeterea ebrietas, ructus, uomitus, cantillans comissatio. Contra a mimorum indole abhorrere uidentur quae a Iahnio symb. arch. cum iis laudantur C y c l o p e a a scriptoribus historiae Augustae inter ludos posterioris aetatis imperatoriae enumerata, quae magis ad robora immania ostentanda uidentur pertinuisse, ut nostrates solent Hercules spectare, cf. Treb. Poll. Gallien. 8 'Cyclopea etiam luserunt omnes apenarii, ita ut miranda quaedam et stupenda monstrarent' cf. Flau. Vopisc. Carin. 19.

Corollarium archaeologicum.

Dolemus nunc quod artis monumenta ad Polyphemum et Galateam spectantia digne colligere et tractare nec facultate uiribusue ualemus et temporis huiusque commentationis angustiis prohibemur. Possunt sane permulta et ad typum Polyphemi definiendum et ad huius fabulae indolem cognoscendam illo ex fonte hauriri; atque animaduertimus iam illustrissimum illum archaeologum Georgium Zoega quondam constituisse disserere de diuersis Cyclopis apud ueteres significationibus cf. 'Romae anaglyph. antiqu.' uol. II p. 13 [1]), quod munus ueremur ne parum dignis reliquerit nobis.

Quae ad Polyphemi et Ulixis commercium pertinent monumenta sat multa (apud Ouerbeckium sunt XLIII) congesta et aucta sunt compluriens inde a commentatione Michaelis Arditi: 'Ulisse che giunto nella Sicilia si studia d'imbriacar Polifemo' Neap. 1817 litterarum testimoniis largis instructa usque ad Iohannis Bolte dissert. Berolin. a. 1882: 'de monumentis ad Odysseam pertinentibus capita selecta' [cap. I: Ulixes Polyphemum excaecans; cap. II: Ulixes ex antro Polyphemi euadens], ubi priores inuenies laudatos.

De Polyphemi et Galateae monumentis [2]) Iahnius et Helbigius l. l. disseruerunt plena litterarum notitia praediti.

1) Verba eius sunt: '. . . ed un tripode a bassorilievo nella villa Borghese, all' occasion di cui mi riserbo di discorrere di questo selvaggio e i suoi compagni, e de' differenti significati nei quali il termine di Ciclope è stato preso dagli antichi, ed a esseri del tutto diversi applicato'. Quod consilium quantum scimus non peregit, cum anaglypha uillae Borghesianae non ediderit cf. Welcker. de uita Zoegae II p. 434 sqq. M. Raoul-Rochette monum. ined. I p. 355 c. adn. 2. uide Welcker. mus. Rhen. VI (1839) p. 579 adnot. 1.

2) Unum liceat addere (cf. Korn. ad Ou. met. XIII, 750—897) illis nondum cognitum picturam Palatinam in tablino domus Liuiae repertam sat memorabilem, quam edidit et explicauit Georgius Perrot in libro: mémoires d'archéologie, d'épigraphie et d'histoire, Paris. 1875 tab. VI p. 100—111 (= revue archéologique N. S. uol. XXII [1870/71] p. 47 sqq.) cf. Reber. de Romae ruinis [2] Lips. 1879 p. 385. Ubi conspicitur Polyphemus imberbis usque ad pectus in mare progressus captans Galateam in

Sunt autem longe maximam partem tabulae Campanae, quas pleniores nunc quam antea enumeratas habes ab Helbigio: tabb. oppid. Camp. Vesuuio obrut. Lips. 1868 nr. 1042—1053, quibus accedunt nonnullae caelatae sculpturae. Campanorum autem pictorum ars cum longe plurima et grauissima incitamenta et incrementa ceperit ex Alexandrinae poesis studio, quod fusius exposuit Helbigius in quaestion. de pictura pariet. Camp. Lips. 1873, impr. p. 112 sqq., hoc fonte uti licet, quo recuperentur illius poesis singula artificia et ornamenta. Exempli gratia tabulas illas ex Helbigii descriptione percensebimus, ut conexum inter poetarum artificumque operam hac in fabula intercedentem paulum illustremus. Sollemnis autem scaena, quae ibi proponitur: Polyphemus in litore sedens prospiciens in Galateam delphino praeteruehentem, quam bene respondeat typo a poetis expresso patet, quamquam hic discrepantia conspicua inter poetam et artificem, quippe qui debuerit ipsam nympham oculis spectatoris subicere — exceptio rara —, cum poeta Cyclopis repulsam melius absente Galatea denotaret. Deprehendimus etiam singulos colores Polyphemi e poetarum descriptionibus notos, uelut horridum capillum [1]) promissamque barbam, clauam modo gestatam ab ingenti uiro, ueluti nr. 1042 —1045. 1049. 1050. 1051, modo scopulo acclinatam, ueluti nr. 1047. 1048. 1052, sedem scopuli cf. nr. 1044—1052; fistulam tantummodo in nr. 1052, citharam 1047. 1048. Haud raro indutus est Cyclops pelle, maxime pardi cf. 1043. 1046. 1048,

---

hippocampo fugientem, quam nutu ut uidetur ad sese arcessunt duae nymphae. Amor autem frenis Cyclopem coercet. Recte perspexit Perrotius p. 107 sqq., quibus in rebus discrepet haec compositio a Campanis, praecipue suo iure aquae contemptorem miratus est Polyphemum, cuius rei desiderat litterarum testimonium. Possumus, id quod nostrum uidetur esse, similitudinem certe afferre hanc Verg. Aen. III, 664 sq.:

graditurque per aequor
iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.

1) Coniferae arboris speciem uidentur praebere capilli in picturis ap. Helb. 1048 et 1050; quos prius opinabatur Helbigius pinu uel harundine coronatos, nunc respondere dicit uerbis Philostrateis imagg. II, 18: *χαίτην ἀνασείων ὀρθὴν καὶ ἀμφιλαφῆ πίτυος δίκην.*

qua nonnumquam scopulus stratus est cf. nr. 1044. 1050. 1052. Ostendunt hae pelles uenatorem Cyclopem ex poesi notum (cf. Nic. Eug. VI, 525). Et secuti sunt artifices Alexandrini aeui normam, quae Cyclopis greges ex ouibus tantum et capris compositos permittebat cf. tres oues et capram in pict. nr. 1042. 1046, arietem nr. 1043. 1047. 1052, capram 1051. Porro quam praedicat Polyphemus lactis ubertatem aeternam repraesentare uidetur mulctrum in tab. Camp. ap. Helb. nr. 1043 conspicuum. Contra suo Marte artifex Polyphemo uidetur affinxisse aures satyrorum ex. gr. ap. Helb. nr. 1042. 1050, quibus significaret 'bestiam humano in corpore latentem' (cf. Helb. symb. p. 365). Ut supra monuimus, ab artificibus primum Galateae typus expressus est, licet non ubertim priuis lineamentis instructus sit: conspicitur fere delphino equitans, ἡμιφανής (cf. Nonn. XIV, 65) nuda superiore corporis parte, uestis laciniam supra umerum attollens uel sinuans supra caput eodem quo apud Philostratum modo, quo artificio saepe utuntur pictores in Nereidibus delineandis cf. Helbig. nr. 1027. 1030b. 1035. 1038, dextra tenens folium flabelli uicibus fungens, ut aliae quoque Nereides cf. Helbig. nr. 1032. 1037. Accedunt nonnumquam ornamenta muliebria, ueluti nr. 1044, uel comites Amor et Trito, ueluti nr. 1042.

Insignem autem debemus artis operibus de altera mythi forma notitiam uel confirmationem ab Helbigio praecipue pictura nr. 1048 comprobatam, nunc extra dubitationem positam tabula nr. 1052 (publicata ab Helb. in 'XXIII tabb. ad opus: tabb. opp. Camp.', tab. XIII), ubi amplectuntur se Polyphemus et Galatea. Reliquae picturae, quas huic formae maluit Helbigius adsignare, non omnes tam certa indicia uidentur exhibere, prae ceteris quam ipse cunctanter huc trahit nr. 1053 (uide etiam symb. Bonn. p. 367 sq.), ubi singula congruunt pigmenta, refragatur tota compositio. Neque Campanae picturae ap. Helb. nr. 1048 et 1049 (symb. Bonn. p. 363 sq.) huc referendae nobis uidentur — contradixit iam L. Stephani: compte-rendu de la commission impériale archéologique pour l'année 1864 p. 223 —, quoniam uix per litteras commercium fuit inter

Cyclopem et Nereidem. Ubi enim umquam Neptuni filius litteras uel primis labris attigit? Illudit profecto Galatea Polyphemum. Mittit epistulam per petulantem nuntium Amorem probe sciens non intellecturum stolidum amatorem. Hic tamen laetabundus arripit illam, quasi sit fauoris signum, quo laetatos uidit alios amantes. Ansam autem Amoris nuntii ad Polyphemum ablegandi artifex uidetur sumpsisse ex Theocr. uu. id. VI, 31 sqq., ut adnotauit iam Academicus in libri: 'le pitture antiche d'Ercolano' uol. I (1757) p. 51 adn. 13. Nimirum ut in tabulis ita hic imaginatur Cyclops amoris aculeo stimulatus nympham mittere nuntium Amorem, qui potius ut ludibrio esset Galateae ex antro ad litus uidetur illum excitasse.

Atque haec quidem sufficiant. Intentius quos decet inquirunto. —

Reseruauimus uero huic appendici iudicium de eo rhetore faciendum, cuius nominis omen infaustum bellum nondum sedatum excitauit inter uiros doctos, de Philostrato. Nemo exspectabit omnes totius disquisitionis calculos nos denuo collaturos, quo uix apertior subduceretur ratio. Sed quantum ad hanc fabulam spectat quaestio, sententiam feremus id praecipue nostro iure agentes, ut quae ex litterarum memoria hausisse possit rhetor, quae non clarius appareat. Describit enim Philostratus senior imagg. II, 18 inter alias imaginem Polyphemi et Galateae, ut ipse dicit in prooemio in porticu Neapolitana conspectam. Litigant uiri docti, utrum ueras imagines describat rhetor an ex poeticis pannis consuat mera imaginatione: hoc post Passowium demonstrare studuit Friederichsius (imagg. Philostrat. Erlang. 1860), illud post Welckerum contendit Brunnius (Fleckeis. annal. uol. suppl. IV p. 179 sqq.). Tertius exstitit suffragiorum princeps Fridericus Matz (de Philostratorum in describendis imaginibus fide, Bonnae 1867)[1]), qui quaestionem distincte diiudicari posse negans auream quandam mediocritatem tenet (cf. Philol. uol. XXXI p. 628). Hoc uero rectissime flagitauit (Philol. l. l. p. 586 sq.), ut in unaquaque

1) Ad hunc relegamus quicumque diuersarum partium asseclas cognoscere uult, p. 1 sqq.

imagine denuo examinaretur, quae ad artis, quae ad litterarum memoriam pertinerent. Ac fucatas esse illas descriptiones ornamentis rhetoricis ne patroni quidem Philostratorum infitias eunt: id quaeritur, utrum omnia ficta sint necne. Cyclopis autem descriptionem sic instituit rhetor, ut primum de uictu et moribus Cyclopum exponat, deinde uerbis *τοὺς μὲν οὖν ἄλλους ἔα, Πολύφημος δὲ* etc. ad Polyphemum transeat, qui depingitur e scopulo in mare prospiciens, ubi Galatea praeteruehitur quadrigis delphinorum comitata Tritonidibus. Quae offendunt in pictura acriter primus notauit Friederichsius (imagg. Phil. p. 27 sqq.), quamquam iam antea cautiore iudicio usus grauissima ut nobis uidetur absoluerat Iahnius symb. arch. p. 413 sqq. Is docuit priorem partem, ubi Cyclopum uita adumbratur, introitum quendam esse eorum quae secuntur: adoptauere postea hanc sententiam Brunnius (Fleck. annal. uol. suppl. IV p. 207 sq. 241 sq. uol. CIII p. 95), Helbigius (symb. phil. Bonn. p. 371), Matzius (dissert. p. 100 sq.). Consentiunt hoc exordium desumptum esse ex Hom. Od. IX, 108 sqq.

Altera offensa spectat ad descriptionem Polyphemi, qui prorsus contra artis antiquae consuetudinem cum uno tantum oculo fictus sit, cum alias denotetur cum duobus uel tribus — tertio in fronte addito. Iam cum haec Cyclopis imago multa Theocriteae debeat descriptioni, Friederichsius totam compositam censet e bucolici poetae carminis XI coloribus (cf. etiam Matz. dissert. p. 102). Sed simplicissima est ratio Brunnii (uol. suppl. IV, 207 sq.), qui et ipsam illam priorem descriptionem figurae Polyphemi, quam postea (Philostr. II p. 370, 14 sqq. K.) excipit altera, pro exordio quodam habet ex poeticis flosculis contexto: *Πολύφημος δὲ ὁ τοῦ Ποσειδῶνος ἀγριώτατος αὐτῶν οἰκεῖ ἐνταῦθα, μίαν μὲν ὑπερτείνων ὀφρὺν τοῦ ὀφθαλμοῦ ἑνὸς ὄντος, πλατείᾳ δὲ τῇ ῥινὶ ἐπιβαίνων τοῦ χείλους καὶ σιτούμενος τοὺς ἀνθρώπους, ὥσπερ τῶν λεόντων οἱ ὠμοί*[1])

1) Eadem de Cyclope imagine utitur Lycophro Alex. 659 sqq.:
ὃς ὄψεται μὲν τοῦ μονογλήνου στέγας
χάρωνος, οἴνης τῷ κρεωφάγῳ σκύφον
χερσὶ προτείνων τοὐπιδόρπιον ποτόν.

cf. Theocr. XI, 31 sqq. et Hom. Od. IX, 292, quam sententiam expressit Philostratus etiam Heroic. p. 164, 21 sq. K.: *ὃς λέοντος ὠμοῦ δίκην τοὺς ἀνθρώπους ἤσθιεν.* Quae uero in posteriore Cyclopeae personae descriptione Friederichsius et Matzius censuerunt ab artis consuetudine abhorrere, praecipue saetas per totum corpus dispersas, Brunnii singulari monumentorum peritia putamus labefactata. Hoc unum retractabimus, quoniam Matzius (dissert. p. 101. Philol. XXXI p. 624 sq.) in excusatione Brunniana non acquieuit, quod dicitur Polyphemus canens fictus esse, nec tamen ut fit cithara commemoratur, sed fistula sub umero pendens necdum ad os adhibita. 'Quomodo canens fingi poterat, nisi citharam plectro mouebat?' Concedimus Matzio non sufficere, quod Brunnius (annal. uol. CIII p. 95) monet fistula Polyphemum instructum esse in tabula Campana nr. 1052 Helb., quoniam ibi ne potest quidem cantare, cum Galateam — si uera est Helbigii interpretatio — amplectatur. Sed cur canentem fictum esse Cyclopem statuamus? Nonne rhetoris additamentum est totum illud *ποιμενικὸν ᾆσμα?* Ipsa uerba *ὡς λευκή τε εἴη καὶ γαῦρος καὶ ἡδίων ὄμφακος*[1] *καὶ ὡς νεβροὺς τῇ Γαλατείᾳ σκυμνεύοι καὶ ἄρκτους* manifesto ex Theocr. XI uu. 20 sq. 40 sq. sumpta arguunt canentis amatoris cogitationem fictam. Immo antea uerbis *καὶ ἡ μὲν σύριγξ ἔτι ὑπὸ μάλης καὶ ἀτρεμεῖ* indicatum erat nondum cantare Polyphemum; sed cum fistulae mentio iniecta sit, non temperat sibi rhetor, quin pulcherrimam sententiolam Theocrito subreptam e memoria promat. Itaque ne illud *ᾄδει* quidem nimis premendum, quod a supplemento rhetorico orationem perducit ad picturam porro describendam. Accedit quod in monumentis rarius canens proponitur Cyclops, uelut in tab. Camp. nr. 1047 Helb., saepius sinistram uel dextram in Galateam uersus tendens, ueluti in tab. Camp. ap. Helb. nr. 1042. 1044 uel adspiciens tantum amatam nr. 1043. 1045.

χάροπ enim est epitheton leonis cf. Hesych. et Et. M. s. u.; Ou. met. XIV, 207. cf. M. Arditi l. l. p. 13 sq.

1) Videtur rhetor non intellexisse Theocritum XI, 21 (cf. Fritzsch. ad h. l.), quem Ouidius liberius imitatus est met. XIII, 795.

Etiam cantum intermittens conspicitur apud Helbig. nr. 1048; in anaglyph. uill. Alb. (Zoega: Bassiril. II, 57). Manum autem tendere amatae imaginamur Philostrati Cyclopem hunc sensum subicientes uerbo *ἀφιστορῶν* (*ἀπὸ τοῦ ὄρους* [1])). Ubi praeteruecta erit nympha, canere incipiet miseram cantilenam de fugiente Galatea.

De tertia autem offensa, quam nimis suspicax et incautus Friederichsius prioribus addidit, quod Galateae positura et cum naturae lege pugnaret et ne clare quidem e rhetoris oratione appareret, iam pridem a peritis conclamatum est, quibus ipsa illa positura omnes amoenitatis numeros prae se ferre uidetur, quae iam fuit sententia Iahnii symb. arch. p. 415, cf. Brunn. suppl. IV p. 192 sq. 258; Helbig. symb. Bonn. p. 371 sq.; Foerster. in Fleckeis. annal. uol. CIX p. 462. Potuisse igitur picturam aliquam Philostrati descriptioni subesse constat. At dicunt permulta ex poetarum recordatione fluxisse, ac iuxta posuit Friederichsius (Fleckeis. annal. suppl. V p. 145 sq.) Philostrati et poetarum, Homeri et Theocriti, locos. Potuit plura conferre (cf. Iacobs. ad Philostr. imag. p. 501 sqq.). Admonent enim uerba: *χαίτην ἀνασείων ὀρθὴν καὶ ἀμφιλαφῆ πίτυος δίκην* Ouidianorum met. XIII, 844 sq.: coma plurima toruos

prominet in uultus umerosque, ut lucus, obumbrat.

cf. u. 765; illa autem *καρχάρους ὑποφαίνων ὀδόντας ἐκ βοροῦ τοῦ γενείου* Theocriteum exemplar ostendunt, quod praetermisit Friederichsius id. VI, 37 sq.: *τῶν δέ τ' ὀδόντων*

λευκοτέραν αὐγὰν Παρίας ὑπέφαινε λίθοιο,

licet refragetur Brunnius (annal. CIII p. 95), cui respondet Matzius (Philol. XXXI p. 625 adnot. 28. cf. dissert. p. 101). Denique haec *στέρνα τε καὶ γαστέρα καὶ τὸ ἐς ὄνυχας ἧκον λάσιος πάντα* non solum ad Theocr. XI, 50 sqq. respiciunt, ut Friederichsius arbitratur, sed etiam ad Callim. hymn. Dian. 75 sqq.; Ou. met. XIII, 846 sqq.; Luc. dial. mar. I, 1. 5, redeunt eadem fere qua apud Philostratum exstant distinctione, apud Nic. Eug. VI, 508 sqq. Haec igitur malimus communi de Cyclopum

---

1) 'Montis' notio non urgenda cum Matzio dissert. p. 101 sq., cum etiam a pictoribus Polyphemus in alta sede collocetur cf. Helbig. nr. 1046.

figura opinioni, quam unius poetae cogitatae imitationi tribuere. Omnes autem hae imitationes possunt concedi, nec necesse est negare artis monumentum descripsisse rhetorem. Etenim quis non nedum rhetor in describenda imagine nonnulla adiciet, quae neque in monumento efficta sunt neque effingi possunt, data occasione etiam lectionis memoriam ostentabit? (cf. etiam Carol. Nemitz: de Philóstr. imag., Vratisl. 1875 p. 36 sqq.).

Satius erit componere ea, quae non surripuit poetis Philostratus, omnino quaerere, quid noui neque per litterarum memoriam obuii in illa descriptione induxerit. Nusquam per litterarum reliquias Polyphemus proponitur fistulam gerens desidem ut ita dicamus, sed ubi inuenitur fistula uel alio instrumento musico instructus, cantat. Itaque si finxisset rhetor totam Cyclopis figuram, uix fistulam nondum sonantem commemorasset, cum ubiuis inueniret apud poetas Cyclopem fistula canentem. Hoc pro testimonio habemus fidei Philostrati. Addit *ᾄδει δὲ ὑπὸ πρίνῳ ταῦτα.* Artificis opus ostendit accuratior sedis Cyclopis enarratio, qui sub ilice sedens proponitur, ut in anaglyph. uillae Alb. (Zoega: Bassir. II, 57): huius arboris in poesi mentio nulla. Porro pictoris artem requirit, uix consociatur cum poetica iudicium de uisu Polyphemi: *καὶ βλέπειν μὲν ἥμερόν φησιν, ἐπειδὴ ἐρᾷ, ἄγριον δὲ ὁρᾷ καὶ ὑποκαθήμενον ἔτι, καθάπερ τὰ θηρία τὰ ἀνάγκης ἡττώμενα* (cf. Helbig. l. l. p. 371). Atque haec quidem comprobant non solum potuisse, sed etiam debuisse Philostratum in Polyphemi descriptione ante oculos habere ueram imaginem. Omni autem singularum rerum disquisitione supersedemus in Galateae effigie, quam e litterarum memoria repetendam non esse quouis pignore potest affirmari. Neque ipse Friederichsius ullum auctorem proferre potuit cf. de imagg. Phil. p. 31. annal. suppl. V p. 146. Patet autem opinamur ex tota hac commentatione proprium esse huius fabulae, ut Galateae pulchritudo et habitus numquam fere diligentius illustretur, sed longe emineat ceterarumque personarum studium oblitteret Polyphemi figura. Atque adeo unus ille flosculus saepius a poetis in depingenda nympha adhibitus, quo celebratur 'intemperatus candor' Gala-

teae, a rhetore praetermissus est, quoniam hic aperte ab imagine non recedit, tam aperte, ut ipse Friederichsius non dubitet una certe in re monumenti memoriam largiri cf. de imagg. Phil. p. 31 adnot. 3.

Itaque ut iudicium comprehendamus, cum ultima pars illius descriptionis ea, qua de Galatea agitur, certo e conspectu monumenti repetenda sit (cf. Matz. dissert. p. 102), Cyclopeae autem figurae enarrationis nonnulli certe colores e picturae memoria hausti, uniuersa denique compositio ea sit, quam in tabulis Campanis inuenire solemus, non dubitamus cum Brunnio consentire obuersatam esse ueram imaginem rhetori; quae utrum fuerit in pinacotheca Neapolitana an ex pristina aliqua recordatione inhaeserit menti, nihil nostram ad rem pertinet. Litterarum autem memoria non ita larga instructus erat Philostratus, quippe quem flosculos suos praecipue ex Homero et Theocrito collegisse uiderimus, ita ut ad poesis ueterum reliquias augendas nihil redundet ex Philostrati pingui nitidaque enarratione.

Longam et spinosam uiam emensi sumus: respicientibus quasi de montis cacumine multa se offerunt loca tenebris adhuc operta, quibus solem adspergat felicior dies. Fabulosi uiri indolem eruere, celeberrimae personae diuersissimis tractandi generibus acceptae typum definire, lepidae fabellae amatoriae expolitionem et uariationem enarrare uoluimus non id praecipue agentes, ut copiam reliquiarum et testimoniorum auctiorem exhiberemus, sed ut materiam Iahnii merito collectam melius digereremus, acrius interpretaremur, utiliorem redderemus ad litterarum perditarum memoriam redipiscendam et redintegrandam ante omnia diuersa tempora et diuersa tractationis genera distinguendo. Quae assecuti sumus difficile castigatis uerbis breuiter comprehendi possunt: comitati sumus Polyphemum ab Homeri formidulosa narratione per comoediae Siculae Atticaeque ueteris et mediae iocos, per fabulae satyricae hilaritatem, per dithyrambi tumorem et irrisionem usque ad Alexandrinorum nobilem subtilitatem, quam posteriores fru-

stra imitabantur, et mimi rudem exsultationem semperque noua lumina addita uariatamque figuram cognouimus. Quodsi quid fructuosi contulimus ad litterarum historiam illustrandam, non paenitet operae et olei consumpti, et libenter ualere iubemus pastorem Aetnaeum.

CAPITUM ELENCHUS.

Addenda.

p. 177. Respondit Hillero Susemihlius Burs. annal. 1882 I p. 83 sq. c. adn. 88 de sublimi Cyclopis delineatione sententiam paulum deflectens iniuria, ut nobis uidetur.

p. 205 sq. Laudare debuimus Conradum Bursian, qui eandem quam nos de Dorionis uerbis opinionem protulit iam in Zarnckii annal. litt. 1873 p. 1555 cf. Burs. annal. 1880 II p. 129 c. adnot. 1.

DE
FASTIS GRAECORUM ANTIQUIORIBUS.

SCRIPSIT

ERNESTUS BISCHOFF.

COMPENDIA.

C. I.: Corpus Inscriptionum Graecarum.
C. I. A.: Corpus Inscriptionum Atticarum.
Lebas: Voyage arch. en Grèce et en Asie-Mineure. Deuxième partie. Inscriptions grecques et latines. Deuxième uolume. Inscriptions de la Grèce et des Îles.
Lebas-Foucart: ib. Explications des Inscriptions grecques et latines recueillies en Grèce etc. Mégaride et Peloponnèse.
Lebas-Waddington: ib. Asie-Mineure.
Rang.: A. R. Rangabé, Antiquités Helléniques. Athènes I. 1842. II. 1855.
Eph. A.: *'Εφημερὶς 'Αρχαιολογική*. Athen. 1837 sqq.
Eph. A. Nou.: *'Αρχ. 'Εφ.* Athen. 1862 sqq.
Wescher et Foucart: Inscriptions recueillies à Delphes. Paris 1863.
Act. Inst. Arch.: Mittheilungen des deutschen arch. Instituts in Athen. 1876 sqq.
Bull.: Bulletin de correspondance hellénique. Paris et Athènes 1877 sqq.
Newton: The collection of ancient greek inscriptions in the british museum. part. II. Oxford 1883.

PROOEMIUM.

Cum ante hos[1]) sedecim menses ad perscrutandos titulos qui inde ab h. s. a. XLIV reperti sunt accederem, ut eos qui mensium nomina continent componerem, de fastis Graecis uberius scripserant uiri docti C. Fr. Hermann[2]), Theodorus Bergk[3]), Henricus Ahrens[4]); quorum post operas quoniam titulorum copiae in dies magis auctae sunt et nonnullae de singulis Graecorum fastis commentationes[5]) in lucem prodierant, non superuacaneum uidebatur in hanc materiam denuo inquirere, titulos nuper repertos ad fastos Graecos conficiendos adhibere, uirorum doctorum sententias dispersas et colligere et recensere[6]).

Hoc consilio ad propositum accesseram et titulis huc pertinentibus perquisitis iam maiorem huius opusculi partem con-

---

1) Scripsi superioris anni mense Iunio; tum confectam et absolutam esse hanc dissertationem moneo. Sed tamen omnes, quantum fieri potuit, titulos ante huius anni calendas Apriles editos examinaui, examinatos, quoad fieri debuit, plerumque in annotationibus curaui.

2) 'Griech. Monatskunde'. Göttingen 1844 in 'Abhandlungen d. hist.-philol. Classe d. kgl. Gesellschaft d. Wissensch. zu Göttingen' u. II.

3) 'Beiträgez. griech. Monatsk.' Giessen 1845.

4) 'Z. griech. Monatsk.' Mus. Rhen. XVII (1862) p. 329–367.

5) Quae suis locis erunt citandae.

6) Simile quid etiam Ch. Em. Ruellio, uiro Francogallo, propositum fuisse certe scio. Qui in Ch. Darembergii et Edm. Saglionis 'Dictionnaire des Antiquités Grecques et Romaines' etc. Sixième fascicule. Paris 1879 s. u. calendarium p. 822–832 uirorum doctorum sententias diligentissime conquisiuit. Sed cum uirorum doctorum commentationes omni titulorum copia exstructus examinare aut supplere supersederet, neque materiam exhausit et multas uirorum dd. sententias, quae non iam stare possunt, pro certis affirmauit.

feceram, cum exeunte anno superiore Clodii [1]) 'Fasti Ionici', ineunte hoc anno Latischewii [2]) de nonnullis fastis Aeolicis et Doricis liber Russorum [3]) lingua conscriptus in lucem prodierunt.

Uterque uir doctus idem potissimum studuit, ut Hermanni de Graecorum mensibus dissertationem titulis qui hodie suppetunt adhibitis emendaret et compleret. Et Clodius quidem summa cum diligentia materiam ad Ionicos fastos condendos in unum contulit, Latischewius non solum ad ea, quae accuratissime tractauit calendaria [4]) inscriptiones collegit, sed data occasione etiam titulos adscripsit, quibus tamquam fundamentis superstruantur ceterorum [5]) Graecorum fasti, ut titulorum copiam denuo colligere non iam uideatur operae pretium esse. Nihilominus ne hoc quidem tempore omnem materiam compositam denuo examinare inutile esse arbitror; primum quod omnium Graecorum fastorum facere summam quae adhuc desideratur tanti esse uidetur, tum quod Clodius et Latischewius saepius mea quidem sententia non recte indicauerunt ideoque nonnullae utriusque argumentationes erunt corrigendae [6]).

1) Arminius Clodius, Fasti Ionici. dissert. inaug. Halis Saxonum MDCCCXXXII.

2) Adscribo eum Latischewii libri titulum, quo usus bibliopola illum proscripserat 'Ueber einige aeolische und dorische Kalender' epigr. Unters. (Russ. Spr.) VIII no. 196 S. gr. 8°. St. Petersburg, Aug. Deubner. Newsky Pr. 10.

3) Theodori Lutheri Moscauiensis nunc Lipsiensis uiri humanissimi beneuolentia hunc librum in uernaculum sermonem ad usum meum traductum esse etiam hoc loco grato animo profiteor.

4) Thessalica, Perrhaebica, Lamiaca, Boeotia, Locrica, Phocica, Lacedaemonia, Theraea, Megarensia, Calchedonia, Byzantina, Chersonesia, Rhodia, Coa, Calymnia.

5) Velut Chiorum, Corcyraeorum, Deliorum, Eleorum, Halicarnassensium, Lesbiorum; ceterum Latischewius Clodii dissertationem nondum nouisse uidetur.

6) Clodii fastis Ionicis nonnulla mensium nomina, Latischewii calendariis unum, quantum memini (cf. infra capit. II, 3 a), addendum habui eaque suis locis annotaui; quae uero mensium nomina alterutri uiro docto debeo, ea asterisco notata sunt.

Quibus ex rationibus quam Clodii et Latischewii libris in lucem emissis sequi cogimur, excusetur quaeso, huius dissertationis sibi non constans natura et indoles; quae ex eo efficitur, quod non iam licebat singulas dissertationis partes ad nostrum arbitrium componere, sed utrum longus an breuis essem, pendebat ab eis quas uiri i. d. antea protulerant sententiis. Nam quo magis in nonnullis ab eis dissentimus, eo uberius disserendum erit; ubi autem cum eis consentimus, attulisse eorum locos, quibus nitimur, satis habere potuimus mensibus eo quem probauimus ordine compositis fontibusque subscriptis. Uberrime igitur erit exponendum de fastis Thessalicis, de quibus plane noua proferre posse mihi uideor; contra ad nonnulla Ionum calendaria, quae Clodium summa cum probabilitate condidisse arbitror, admodum pauca additurus sum.

Haec cum in uniuersum praemonuerim, pauca etiam de disponendis rebus praemittam. Atque ita quidem hanc commentationem instituendam esse putaui, ut dissererem:

I. de fastis Aeolicis,
II. de mediae Graeciae ciuitatum fastis, qui neque cum Aeolicis neque cum Doricis possunt coniungi,
III. de fastis Doricis,
IV. de fastis Ionicis.

Ad finem libri adieci indices duos: alterum ciuitatum quarum menses afferuntur, alterum et mensium adscriptis eis ubi deprehenduntur locis et partium, in quas anni diuidi solent. Postremo confeci tabulas quattuor, quibus omnium Graecorum menses certis — quoad fieri potest — locis collocati et inter se comparati uno in conspectu ponerentur.

Macedonum autem et ceterorum populorum, quorum menses ex hemerologiis quae dicuntur fluxerunt, fastos neglexi, quoniam non tam ex titulis quam ex hemerologiis hauriuntur itaque de his ad Hermanni [1]) commentationem relegare licet. Nihilominus ratio habebitur et eorum mensium, qui quamquam posteriorum temporum titulis traduntur uel ex Macedonum

1) Etiam Ruellius l. l. p. 829 sqq. materiam ad haec hemerologia spectantem accuratissime collegit.

fastis effluere potuerunt, tamen an iam antiquitus in usu fuerint nescimus [1]) et eorum, qui quamquam posterioribus demum temporibus usurpati tamen ad antiquiorum mensium formas accommodati sunt uelut *Δημητριών, Ἀδριανιών, Νεοκαισαρεών*.

Atque in singulorum fastorum tamquam familiis constituendis coniungemus fastos in coloniis Graecis usurpatos cum calendariis earum ciuitatum, a quibus illae conditae sunt. Sed ubi haec lex non satis acriter obseruari neque certius quidquam de cognatione ciuitatum aut de affinitate fastorum statui poterit, in uniuersum certum locorum ordinem sequar.

De mensium autem nominum formis, de eorum significatione, de annorum cardinibus, de diuersis intercalandi rationibus, de aliis rebus summatim disserere omisi, quia etiam his in rebus ad Hermanni dissertationem ideo relegare licet, quod eius maiore parte certum harum quaestionum fundamentum iactum esse exploratum habeo [2]). Ceterum etiam eum in quem fastos Graecorum tractandos redegimus ordinem in uniuersum quidem positum esse in Hermanni de fastorum Graecorum familiis sententia — quae nouis repertis titulis in dies magis confirmatur — periti facile ipsi intelligent.

Denique cum multum interesse uideatur certa et firma ab iis secerni, quae ueri quidem similia tamen non explorata uideantur, argumenta ad mensium sedes constituendas ex chronologicis rationibus malui repetere quam ex etymologicis et heortologicis [3]); ad quas tum demum confugiebam cum alia uia certam sedem effectum iri plane desperandum esset. Eadem de causa signum interrogationis praescribitur, si locus mensis, adscribitur, si nomen ipsum incertum est.

---

1) Cf. *Πάνημον* mensem ex Mysiae aliqua parte repetitum; infra cap. IV. B, 4 c et C, 7 b.

2) Ac ne Latischewium quidem, qui summatim de his rebus disseruit (p. 1—55), ab Hermanno in summis quidem rebus dissensisse uideo.

3) Quas tres rationes idem Hermannus (p. 10 sq.) discreuit.

Caput I.

De fastis Aeolicis.

A. De Thessaliae[1]) fastis.

1. De fastis Thessalicis.

a) De fastis Larisaeis.

Inscriptione Ussingiana[2]) octaua quattuor mensium Larisaeorum nomina eaque posterioris[3]) semestris traduntur hoc quidem ordine: *Λεσχανόριος*[4]), *Ἄφριος*[5]), *Βυ...*, *Ὁμολώιος*. Tertium nomen mutilatum ab Ussingio p. 21 quamuis dubitanter restituitur '*Βυσιος*' propter Delphicorum fastorum analogiam idemque probatur Osanno Philolog. u. VIII (1853) p. 181. Sed Bergades[6]) et Duchesnius[7]), qui eundem ediderunt titulum, praebent *Θυ..* scripturam, quae ab Heuzeyo Rev. Arch. nouv. série XXXI (1876) p. 259, 2[8]) probata confirmatur — siquidem opus est ullo argumento — titulo Duchesnii 162, ubi idem *Θῦος*, sicut in eo quem tractamus titulo, est inter Aphrium et Homoloïum, ut certa sit quattuor illorum mensium series.

1) Componam hoc loco calendaria eorum qui uulgo in Thessalis habentur populorum: Pelasgiotarum, Thessaliotarum, Hestiotarum, Phthiotarum; Perrhaeborum, Magnetum, Oetaeorum, aliorum; quamquam hos Thessaliae fastos et inter se discrepuisse et a calendario quod dicitur Thessalico longe diuersos fuisse statim apparebit.

2) Ussing, Inscriptiones Graecae ineditae. Hauniae 1847.

3) Certa de Thessalorum anni initio testimonia quamquam desunt, tamen facilem de eo coniecturam fieri paulo infra uidebimus.

4) Leschanorius mensis iterum comparet in titulo Larisaeo a Lollingio Act. Inst. Arch. VII (1882) p. 343 sq. edito.

5) Aphrius redit alio in titulo Larisaeo Ussing. 8b = Lebas. 1241 posteriori semestri adscriptus.

6) Pandorae uol. XIV (1864) p. 391 sq. Bergadem ante Duchesnium (uide annotationem proxime insequentem) ueram '*Θυ*' lectionem restituisse Latischewius pp. 69 et 79 monuit. 7) Archives des missions scientifiques. III. série. III. uol. (1876) p. 312 sqq. no. 163.

8) Cf. Comptes rendus de l'Académie des Inscriptions etc. IV. sér. IV. uol. (1876) p. 46 sqq. et Heuzey. et Daumet., Mission archéologique de Macédoine I (1876) p. 431 sqq.

Deinde Hippodromium [1]) et Itonium Larisaeos menses afferunt Duchesnii tituli 160 et 161; quamquam dolendum est, quod non apparet, utri semestri sint adscribendi. Unde iam patet apud Ussingium no. 7 (= Lebas 1239) u. 24 in titulo Larisae inuento *'Ἱπποδρομίου* quod legitur posse pro mense haberi; quamquam ne hoc quidem tempore plane diiudicari potest, utrum mensis hoc nomen sit an hominis, quam dubitationem iam indicauit Ussingius p. 17.

Denique Themistius et Panamus [2]) menses Larisaeis fastis adduntur inscriptione Larisaea, quam primus [3]) publici iuris fecit Lollingius Act. Inst. Arch. VII (1882) p. 61 sqq.; sed ne hi quidem prae se ferunt notam alterutrius semestris [4]).

---

1) Cur Duchesnii titulum 160, quem Larisaeum esse Duchesnius pro certo affirmauit, Perrhaebis potius asciscamus cum Heuzeyo (Rev. Arch. l. c. p. 260) et Paulo Monceaux (Bull. VII 1883 p. 41 sqq.) nulla est causa. Ad quam coniecturam Heuzeyum esse deductum praesumpta quadam sententia infra (hui. cap. A, 2) patebit. Ne Latischewius quidem (p. 87) uiri illius docti sententiam probauit.

2) Huius nominis syllabam paenultimam producendam esse, hoc titulo denuo comprobatur. Legitur enim duplex post 'α' 'μ' littera, quam relicta uocalis antecedentis productione euanuisse conicimus. Ceterum in titulis Deliis (cf. Bull. V p. 25 sqq.) saepius occurrit *'Πανημος'* forma; quare illud *Πανήμου* quod uersus Callimachi (ed. Schneider. I p. 89. XLVI) praebent, quin rectum sit, dubitare non licet (cf. R. Meister, Curtii Studd. IV p. 441 sq.).

3) Cf. C. Robert et Mommsen. Hermae u. XVII (1882) p. 467 sqq. et Blass. N. Jahrbb. CXXV (1882) p. 525 sqq.; quam inscriptionem Paulus Monceaux plane neglexit; ita ut propter unam hanc causam cadat Thessalorum calendarium, quod tamquam genuinum uerumque constituisse sibi uidebatur (p. 53).

4) Statim monendum quidem est de enuntiato quodam ad hoc tempus ignotum, quod huius tituli u. 40 exstat: *Θεμιστίοι τᾶ ὑστερομειννία*; cuius uocis significationem ii, qui hunc titulum ediderunt, non explicauerunt. Equidem puto coniungendam esse hanc uocem cum uerbo quod titulo Larisaeo ab Ussingio (no. 8) edito traditur '*ὀλ[οκυκλίου]*' — si modo probatur Duchesnii supplementum; ita quidem ut *ὑστερομειννία* dicatur de eo qui plenilunium sequitur die, ubi luna senescere coepit. Ut enim *νουμηνία* est dies, ubi luna *νέος* oritur, ita *ὑστερομειννία* fuisse uidetur is, quo luna *ὑστέρα* i. e. *ἐλάσσων* fit.

Ceterum talem mensium diuisionem apud Graecos in usu fuisse testatur scholiasta ad Pind. Ol. III, 33 his quidem uerbis: '*ὅτε δέ ἐστι ἡ*

Neque tamen prorsus desunt indicia, unde Hippodromii, Panami, Themistii sedes magna cum probabilitate constituamus. Primum Hippodromium et Panamum illum posteriori, hunc priori semestri insertum ponam septimo et octauo post brumam loco, quae sententia Perrhaeborum fastorum analogia commendata Boeotiorum similitudine probatur. Apud Perrhaebos enim Hippodromium posterioris esse semestris discimus comparatis titulis Ussing. 6 et Heuzey. 'Le mont Olympe et l'Acarnanie' p. 465 sqq. 14 (cf. infra hui. cap. A, 3). Et quamquam Perrhaeborum et Larisaeorum fasti aliis in rebus multum discrepant, tamen artioris coniunctionis nonnulla quidem exstant uestigia, uelut apud utrosque deprehenduntur Leschanorius et Homoloïus atque eidem posteriori quidem semestri adscripti; et Hermaeus potest sane apud utrosque eundem locum occupare, siquidem E. Curtii uerisimilis emendatio [1]) pro tradito ΕΡΝΟΥ (Heuzey. no. 13) ΕΡΜΑΙΟΥ reponentis et mea de Larisae et Pelasgiotidis fastorum aequabilitate sententia (cf. paulo infra c) probatur. Ceterum affinitas quaedam Larisaeorum et Perrhaeborum ab historiae fide minime abhorret [2]).

Accedit ad sedem Hippodromii et Panami constituendam aliud quiddam. In quo expediendo mihi liceat praesumere, id quod infra demum erit probandum: Thessalorum fastos ac Larisaeorum fuisse eosdem. Confertur [3]) enim Thessalorum Thyus cum Delphorum Endyspoetropio, quem mensem in idem anni tempus incidisse ac Boeotorum Thyium comprobant fasti Boeotii a Lipsio nuper instituti [4]). Quae Thessalicorum et Boeotiorum fastorum coniunctio confirmatur eo, quod apud utrumque populum Homoloïus Thyum sequitur et Hermaeus apud

---

σελήνη πανσέληνος, δίχα κόπτει τὸν μῆνα· ἐν γὰρ τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τοῦ μηνὸς τοῦτο γίνεται'; atque paucis ante dixit plenae lunae lucem esse '*ὁλόκληρον*', id quod fortasse illo in titulo pro Duchesnii '*ὁλοκυκλίου*' est restituendum. — De bipartitis apud Graecos mensibus cf. A. Mommsen. Heort. p. 374 ann.; Chronol. pp. 55. 59, 2; Ruellii p. 832; Latisch. p. 69, 39.

1) Gött. Gelehrt. Anz. II (1860) p. 1384.

2) Cf. Strabonis IX, 5, 19 p. 440. 3) Wescher et Foucart no. 55.

4) Studd. philol. Lips. u. III p. 207 sqq. IV p. 155 sq. cf. hui. cap. B.

utrosque usitatus potuit sane stare eadem anni tempestate. Quae cum ita se habeant, ueri uidetur simile apud Thessalos[1]) Hippodromium et Panamum septimum et octauum occupasse post brumam locum, ubi apud Boeotos eos stare uidemus. Hippodromium igitur mensem alterum Larisaeorum semestre conclusisse, Panamum prius putamus incepisse.

De Themistii autem loco res est magis dubia. Apud Halenses quidem titulo Heuzeyano Rev. Arch. l. l. tribuitur posteriori semestri; sed si ullum licet calendarium praeter Boeotium ad condendos Larisaeorum uel Thessalorum fastos adhibere, Perrhaeborum certe calendarium licet, quocum Thessalorum fastos aliquomodo cohaesisse uidimus. Contra inter Halensium et Thessalorum fastos nullum fere interfuisse uinculum infra apparebit.

Quibus de causis Halensium Themistius posteriori semestri adscriptus minime impedit, quominus Larisaeorum Themistium addicamus priori semestri; quin etiam fortasse licebit — siquidem licet rursus praesumere Thessalicos qui dicuntur fastos congruisse cum Larisaeis — ad certiorem sedem Themistii statuendam adhibere titulum a Wachsmuthio Mus. Rhen. uol. XVIII (1863) p. 540 sqq. editum; quamquam per ambages demum ad eum qui ante oculos obuersatur finem perueniemus. Comparatur enim Thessalorum Themistius cum Perrhaeborum Dio, quem priori[2]) semestri esse tribuendum infra elucebit, ut Themistius apud Larisaeos et Dius apud Perrhaebos fuisse uideantur eiusdem semestris. Et Aetolorum Dius in quod anni tempus ceciderit, accuratius intellegitur ex compluribus titulis, qui et apud Wescherum et Foucartum[3]) et in Bull. uol. V[4]) leguntur. Solet enim conferri cum Delphorum Poetropio. Videtur igitur, cum Perrhaeborum priore semestri Delphorum Poetropium

1) Praeterea Hippodromius et Panamus eodem quem apud *Boeotos* tenuere ordine steterunt apud Lamienses cf. hui. cap. A, 4.

2) Quod semestre idem fere anni tempus comprehendisse uidetur ac Larisaeorum cf. hui. cap. A, 3.

3) No. 124. 145. 188. 199. 252. 304. 319. 320. 324. 333. 385. 386.

4) P. 397 sqq. no. 17. 23. 27. 28. 31. 36.

comprehensum esse ueri simile sit, ut apud Aetolos, ita apud Perrhaebos Dius, quem uidemus cum Poetropio comparari, in idem anni tempus incidisse; sed de ipsa sede res est incerta. Animaduertendum autem est Dium eundem locum, quem apud Aetolos tenuit, posse occupare apud Perrhaebos, ut etiam Larisaeorum Themistio assignari possit duodecimus ille post brumam [1]) locus.

Itonium mensem posterioris quo apud Perrhaebos contineri uidetur fuisse opinamur semestris eumque collocamus, quamquam dubitanter, undecimo Thessalorum anni loco.

b) De Pelasgiotidis, Thessaliotidis, Hestiaeotidis [2]) fastis communibus.

Omnes quos habemus menses Pheraeos, Cierinos, Metropolitanos, alios uno excepto iam apud Larisaeos inuenimus; sunt enim hi:

apud Pheraeos:	apud Cierinos:	apud Metropolitas:
Ἑρμαῖος [3]) I. sem.	*Ἰτώνιος* [4])	*Ὁμολώιος* [5])
	Θῦος [4])	*Θεμίστιος* [6])
		Θῦος [7])
		Ἑρμαῖος [7])
		Ἰτώνιος [7])

Omitto titulum Ussing. 6 [8]), quem Lebasium secutus Duchesnius Metropolitanum esse dicit. Est enim inuentus prope Turnabum, quem uicum situm esse intra fines Perrhaeborum indicat Heuzeyus (cf. hui. cap. A, 3). Menses igitur quos praebet hic lapis

1) Pro primo post brumam mense habeo eum, qui Atheniensium Gamelioni et Delphorum Amalio respondet, pro duodecimo Posideonem et Poetropium.

2) Hestiaeotidis esse Metropolim oppidum demonstrat Bursian. Geogr. Griech. I, 53; id quod est monendum propter Pauli Monceaux sententiam, qui cum Lebasio censet id oppidum fuisse situm in Thessaliotide.

3) Ussing. 4 B = Lebas. 1217 B adscripta prioris semestris nota.

4) Lebas. 1188 sq., quem utrumque mensem iam nouerat Hermannus pp. 89. 118. 5) Heuzey. et Daumet. p. 437 no. 219. cf. Rev. Arch. p. 259, 3.

6) Ussing. 5 = Lbs. 1192; Monceaux l. l. 7) Monceaux l. l.

8) = Lebas. 1295.

Hippodromius, Phyllicus, Itonius, cuius nomen legi posse mihi uidetur, Perrhaebis potius fastis inserendi sunt et Wachsmuthii et Duchesnii sententiae corrigendae. Ne Crannoniae quidem inscriptionis a Lebas. no. 1211 a editae hoc loco ratio habetur. Neque enim ei ullius mensis nomen subesse putamus; siue cum Ahrente[1]) et Keilio[2]) u. 3 legimus '*Ἱππόδρομ[ος*' siue cum Fickio[3]) '*Ἱπποδρόμι[ος*', cum conexu uerborum hominis nomen requiratur.

Accedunt iam tria nomina quae titulis non certo quodam loco inuentis exhibentur haec:

Θεμίστιος et *Ἄφ[ριος*[4]); *Ἑρμαῖος*[5]).

Cum igitur nomina mensium sex apud Larisaeos inuenta redeant apud ceteros Pelasgiotas, Thessaliotas, Hestiaeotas, licet statuere omnium harum regionum incolas usos esse eodem calendario.

Ita eram argumentatus cum in lucem prodiit Pauli Monceaux noua inscriptio Metropolitana, cuius argumentum non consentit nostra cum ratione, quin etiam pugnat cum tituli Ussingiani 4B memoria (cf. hui. diss. p. 323). Traduntur enim titulo illo quattuor menses hoc ordine compositi: *Θῦος*, *Ἑρμαῖος*, *Ἰτώνιος*, *Θεμίστιος*, quos omnes fuisse ueri simillimum est eiusdem semestris, quoniam nulla intercedit alterius semestris nota. Sed quaeritur, utri semestri sint adscribendi, cum ne praescriptio quidem praebeat ullum alterutrius semestris indicium. Priori semestri ne attribuamus hos menses obstat Larisaeorum Thyus, quippe quem constet fuisse posterioris semestris (cf. p. 319). Si autem posteriori quod requirit Thyus semestri quattuor illos menses inserimus, refellitur Ussingiani quem modo diximus tituli memoria et cadunt Thessalorum fasti[6]), quos mihi uideor aliqua cum probabilitate condidisse.

1) De dial. dor. p. 528. 2) Inscriptt. Thessalicae tres. Numburgi 1857 no. 2. 3) Beitr. z. Kunde d. indogerm. Sprachen ed. A. Bezzenberger. V (1880) p. 16 sq. 4) In tit. inter Pharsalum et Crannona inuento Heuzey. et Daumet. p. 435 no. 215. 5) In lapide prope Metropolim effosso; apud eosdem no. 222 cf. Heuzey. Rev. Arch. l. l. p. 259, 3.

6) Ne cum eo quidem quem Latischewius instituit Thessalorum mensium ordine potest huius tituli mensium series consociari, nisi forte diuersa

Quibus ex angustiis[1]) quamquam qui effugiam non uideo, tamen censeo huius tituli auctoritatem non tantam esse, ut Hestiaeotas putemus menses quidem eosdem habuisse ac Pelasgiotas et Thessaliotas, sed ordine mensium non eodem esse usos. Nam si quis lapicidae erroribus laborare hanc inscriptionem contendat, eius sententiam arbitrer non carere fundamento. Sanandae enim erant Paulo Monceaux corruptae lectiones complures uelut u. 7 ΕΡΑΙΟΥ in ΕΡΜΑΙΟΥ; u. 9 ΕΘΥΤΥΧΟ[Σ in ΕΥΤΥΧΟΣ; u. 10 ΙΠΠΑΡΧΟΝΤΟΣ in ΙΠΠΑΡΧΕΟΝΤΟΣ; u. 11 ΕΔ in ΔΕ.

Praeterea ne ratio quidem menses significandi est sibi constans; legimus enim quattuor locis 'μηνος' uocabulum mensis nomini praemissum, semel u. 8 'Ιτωνίου solum, et hoc quidem loco deprehendimus adscriptam diei notam (κ'), id quod multo magis discedit a communi huius tituli usu. Hic igitur titulus, quoniam causa est, cur de eius genuina forma dubitemus, uidetur in praesentia quidem ad ordinandos Thessalorum fastos non esse adhibendus.

Quodsi haec quam commendaui sententia de horum fastorum aequabilitate probatur, fieri potest, ut Hermaeum prope

---

fuisse Thessaliae et Hestiaeotidis annorum initia et eos quos titulus Metropolitanus sine alterutrius semestris nota affert menses per utrumque semestre esse distribuendos statuitur. — Sed si quis tale quid statuit, me non habet assentientem. Neque enim uidetur ueri simile, Hestiaeotas menses quidem eosdem habuisse ac Thessaliotas, cardinem anni non habuisse eundem, quoniam etiam Halenses, quorum fasti ceteris in rebus multum discrepant ab omnium Thessalorum calendario, tamen eodem usos esse anni initio facile conicitur (uide paulo infra 2). Praeterea qui titulo Metropolitano enumerantur menses non prius uidentur posse per utrumque semestre distribui, quam aut certum sit per totum annum apud Metropolitas munere suo functum esse 'ταμίαν' qui dicitur magistratum, quem apud Halenses, Pelasgiotas, Perrhaebos fuisse scimus in officio unum per semestre, aut appareat illis mensium nominibus antecessisse praescriptionem, qua totum per annum 'ταμίαν' fuisse eundem indicaretur (uelut his quidem uerbis: 'ταμιείοντος δὲ ὅλον τὸν ἐνιαυτόν' cf. Heuzey. Rev. Arch. l. l. B).

1) Eas quas modo adumbrauimus difficultates Monceaux non nouisse neque Hermaeum mensem apud Pheraeos priori esse adscriptum semestri obseruasse uidetur.

Metropolim et Pheris inuentum addamus Larisaeis fastis; et percommode cadit, quod Hermaeus etiam his in fastis potest collocari priore semestri, quod apud Pheraeos eum occupasse scimus. Ceterum Mercurium honoratum esse apud Larisaeos e titulis sepulcralibus [1]) elucet, ubi legitur Ἑρμάου χθονίου. Quem mensem ad Boeotiorum fastorum rationem putamus ita collocandum esse, ut antepositus Leschanorio duobus mensibus a Thyo absit.

c) De calendario quod dicitur Thessalico.

Res ita comparatae sunt, ut credamus Pelasgiotidis, Thessaliotidis, Hestiaeotidis fastos communes esse dictos Thessalicos et enuntiatum 'ὡς Θεσσαλοὶ ἄγοντι', quod bis tantum adhuc legitur [2]), pertinuisse ad Thessalos [3]), qui incolebant Pelasgiotidem, Thessaliotidem, Hestiaeotidem. Quae sententia munitur duplici obseruatione. Primum enim uidemus Themistium, quem Wachsmuthii titulus praebet, et Thyum ex altero fonte sumptum inesse in Pelasgiotidis et Hestiaeotidis fastis. Deinde, quod multo grauius est, Pelasgiotarum Themistius et Thyus possunt — sicut uidimus — tenere eadem loca, quae Thessalorum Themistio et Thyo assignantur titulis extrema in pagina allatis [2]). De Thyo quidem res est admodum uerisimilis.

Quodsi probatur nostra sententia de Pelasgiotidis, Thessaliotidis, Hestiaeotidis et Thessalorum qui dicuntur fastorum

1) Cf. Duchesnii p. 321 t. 164 alios locos.

2) Wachsm. tit. l. l. p. 540; Wescher. et Foucart. no. 55.

3) Verba illa 'ὡς Θεσσαλοὶ ἄγοντι' euincunt unum calendarium ualuisse apud complures gentes Thessalicas, sed quarum gentium id commune fuerit quaeritur; quae quaestio est ad soluendum eo difficilior, quo latius apud ueteres patuisse uidemus Thessalorum nomen. Sed tamen in tabulis, ubi 'ἀμφικτίονες' enumerantur, Thessalis opponuntur Perrhaebi, Magnetes, Phthiotae (Aeschin. de f. l. § 116; Paus. X, 8, 2; C. Wescher. Mém. présentés par divers savants à l'Acad. des Inscript. I. sér. VIII. u. p. 1. cf. Foucart. Bull. VII 1883 p. 432); quorum populorum illos utrosque inter omnes constat suis ipsorum usos esse fastis. Quibus de causis non intellego, cur Latischewius (p. 87) uerba illa 'ὡς Θ. ἄγοντι' ita urserit, ut ratus ea esse dicta etiam de Halensibus et Phthiotis difficultates inde natas remouere studuerit coniecturis satis audacibus (cf. paulo infra 2).

congruentia, nouum accipimus ad componendum Thessalorum calendarium subsidium, unde conciliata Thessalicorum mensium quam finximus serie cum Delphorum fastis fiat conclusio de Thessalorum anni cardine. Quo fundamento [1]) iacto addo hanc tabulam:

Delphis:	apud Thessalos: I. sem.	Delphis:	apud Thessalos: II. sem.
Βουκάτιος	1. *Πάναμος*	*Βύσιος*	7. *Λεσχανόριος*
Βοαθόος	2. .	*Θεοξένιος*	8. *Ἄφριος*
Ἡραῖος	3. .	*Ἐνδυσποιτρόπιος*	9. *Θῦος*
Δαδαφόριος	4. .	*Ἡρακλεῖος*	10. *Ὁμολώιος*
Ποιτρόπιος	5. ? *Θεμίστιος*	*Ἰλαῖος*	11. ? *Ἰτώνιος*
Ἀμάλιος	6. *Ἑρμαῖος*	*Ἀπελλαῖος*	12. *Ἱπποδρόμιος*

2. *De fastis Halensibus.*

Titulo Halensi, quem edidit Heuzey. Rev. Arch. l. l., debemus mensium nomina octo, quorum quattuor inseruntur priori semestri, tria posteriori; accedit mensis intercalaris, qui utri semestri sit addicendus dubium est. Nomina sunt haec:

I. sem.	*Ἀδρόμιος*	II. sem.	*Μεγαλάρτιος* [2])
	Εὐώνιος		*Θεμίστιος*
	Πυθοῖος		*Ὁμολώιος*
	Ἁγναῖος		

mensis intercalaris *Γενέτιος ἐμβόλιμος*.

---

1) Quamquam non ignoro ex una hac Endyspoetropii et Thyi comparatione non debere colligi fuisse hanc responsionem constantem, tamen iacio hoc fundamentum, quoniam alia desunt subsidia et eae quae ex intercalandi uarietate existunt calendariorum discrepantiae non tam late patent. cf. Herm. p. 25 sqq. — Ab eodem loco post brumam octauo Locrorum annum cepisse initium infra cap. II, 3 a uidebimus.

2) Monceaux, qui titulo denuo inspecto hunc mensem assignat priori semestri, mihi non persuasit. Debebat enim afferre ea quae titulus praebet uerba eaque eo quo ipse cognouerat ordine disposita. Cum autem satis haberet ferre sententiam neque adnotaret, quid Heuzeyus in describendo titulo peccauisset, censeo etiam hoc die ab eo quod uir ille doctus publici iuris fecit apographo esse proficiscendum. Nam quamquam concedo Megalartii nomen non stare suo loco, sed exspectari post praescriptionem de-

Hoc igitur titulo duplex quoddam efficitur: primum enim distribuuntur menses per duo semestria; tum habemus ordinem, quo menses sese exceperunt; quamquam non constat eos eo quo traduntur ordine protinus sese consecutos esse. Attamen id concedendum erit Heuzeyo Adromium mensem, quippe qui bis primo exhibeatur post praescriptionem loco, primum mensem fuisse uideri prioris semestris.

Itaque his rebus, quae ex inscriptione ipsa iam ab Heuzeyo haustae sunt, nihil potest opponi. Sed in eo, quod uir ille doctus putat Genetium intercalarem appositum esse posteriori semestri, me non habet assentientem. Immo uero quoniam Adromius et Hagnaeus, qui proxime antecedunt, prioris semestris fuerunt, etiam Genetius intercalaris addendus esse uidetur priori semestri [1]. Quin etiam putamus, id quod infra erit probandum, Genetium communem esse Halensium mensem eumque sextum prioris semestris.

Ac ne illa quidem, quae Heuzeyus proposuit de mensibus ad anni tempora referendis aut de calendario Thessalico restituendo, hoc quidem tempore iam probari possunt, cum fundamenta, quibus usus est, aliis titulis nuper inuentis labefactata sint. Primum enim Halensium mensibus ordinandis lucem attulit titulus Melitaeus ab Haussoulliero [2] editus, quo Pythoeus mensis cum Delphorum Poetropio aequatur. Qua comparatione Heuzeyi cecidit sententia, qui Pythoeum cum nostro

---

mum 'ταμιεύοντος etc.', tamen malim perferre unam hanc inconstantiam quam exemplo hoc quidem scrupulo difficultates augere. Patet enim, si Megalartium ad praecedentia referamus, desiderari eum mensem, quo factas esse putemus manumissiones uu. 44—49 enumeratas. Quibus de causis non uideo, quomodo Pauli Monceaux sententia defendi possit. — Ceterum quod uir ille Francogallus huius tituli condicionem parum accurate exposuit, eo magis est dolendum, quoniam Latischewius, qui est a. 1881 profectus titulum Heuzeyanum de integro spectaturus in oppidum Armyro, ubi eum esse Heuzeyus spoponderat, rediit infectis rebus. Remotus enim erat suo loco lapis ille neque usquam potuit reperiri. cf. Lat. p. 88, 33.

1) Cf. Delphorum Poetropium alterum, quem in prioris semestris mensibus esse habitum docet tit. Wescher. et Foucart. 425.

2) Bull. V p. 423 sq. no. 37, quem titulum Monceaux plane neglexit.

septembri comparauerat. Ex hoc Pythoeo cum Delphorum Poetropio comparato sequitur, ut ceciderit Halensium prius semestre in idem fere anni tempus ac Thessalorum, apud quos p. 327 uidimus posterius semestre cepisse initium ab altero post brumam mense, unde colligere liceat illas ciuitates habuisse ut bipartitum annum, ita semestria ab eodem anni tempore incipientia [1]). Quam similitudinem, quoniam alia desunt ad Halensium anni initium constituendum subsidia, censeo ita esse premendam, ut negem illam Pythoei et Poetropii responsionem fuisse constantem [2]). Immo uero Pythoeus conuenisse plerum-

1) Hunc Halensium et Thessalorum anni cardinis consensum meram confiteor esse coniecturam; quin etiam statim uidebimus multum ceteris in rebus Halensium fastos a Thessalorum calendario discrepuisse. Tamen mea de communi Halensium et Thessalorum anni initio sententia eo excusetur quaeso, quod comparatis Heuzeyi et Haussoullieri titulis Halensium apparet anni initium a Thessalorum anni cardine potuisse non longius abesse quam uno mense. Ceterum idem ab octauo post brumam mense anni initium inuenitur apud Locros, quorum calendarium nullam prae se fert cum Thessalorum fastis similitudinem, ita, ut refutata artiore Halensium et Thessalorum fastorum coniunctione tamen idem statuere liceat utrorumque anni initium.

2) Ad eandem constituendam intercalandi discrepantiam inclinat Latischewius (p. 96). — Sed minime probatur eiusdem sententia de diuersis Thessalorum et Delphorum mensium initiis, ad quam putauit confugiendum esse, ut excusaretur ea quam proposuit Pythoei et Heraei comparatio. Immo uidetur semper esse tenendum, Graecorum menses cepisse initia a nouilunio (Ideleri Handb. der Chronolog. I pp. 266 sqq. 279 sq.; A. Mommsen. Chronolog. p. 59, 2). Et si quando usquam (cf. Herm. p. 26) mensium initia ab hoc cardine discesserunt, erat haec discrepantia certe non constans neque apud Thessalos, quippe quorum menses uideamus in duas partes esse diuisos per plenilunium (cf. p. 320, 4) neque apud Delphos, ad quorum fastorum exemplum alia Graecorum calendaria esse ordinata A. Mommsen probabiliter statuit (Delphik. p. 125 sqq.). Contra eum autem Plutarchi locum (Aristid. 19), cui tamquam fundamento Latischewius sententiam suam superstruxit, eiusdem Plutarchi uerba (de Herod. mal. XXVI; Moral. p. 861 EF Xyl.) sunt afferenda, quae citat Clodius luculenter disserens (p. 18 sq.) contra similem Homollii sententiam (cf. hui. cap. B et cap. IV. A, 1. 6) eisque, quoniam spectant ad antiquiora tempora, plus tribuam, quam illi loco, cuius auctoritatem iam pridem optimo iure imminuit Fréret (cf. Hermann. p. 26).

que uidetur cum Delphorum Dadaphorio, a quo Halensibus priore anno intercalantibus quam Delphis Pythoeum prodisse statuimus ad posteriorem Poetropium. Hoc si concludere licet, quamquam nulla alia re usque ad hoc tempus similitudo horum fastorum commendatur, euadit Halensium mensium ordo hic:

Delphis:	Hali: I. sem.	Delphis:	Hali: II. sem.
Βουκάτιος	1. *Ἀδρόμιος*	*Βύσιος*	7. ? *Μεγαλάρτιος*
Βοαθόος	2. } ? *Εὐώνιος*	*Θεοξένιος*	8. ? *Θεμίστιος*[1]
Ἡραῖος	3. }	*Ἐνδυσποιτρόπιος*	9. ? *Ὁμολώιος*[1]
Δαδαφόριος	4. *Πυθοῖος*	*Ἡρακλεῖος*	10. .
Ποιτρόπιος	5. *Ἀγναῖος*	*Ἰλαῖος*	11. .
Ἀμάλιος	6. *Γενέτιος*	*Ἀπελλαῖος*	12. .
	Γενέτιος ἐμβόλιμος, intercalaris m.		*Ἰτώνιος*? incertae sedis.

Denique quaeritur, num unum fuerit omnium Phthiotarum calendarium; quam quaestionem confiteor hoc quidem tempore non posse solui. Quamquam enim exemplis Pelasgiotidis, Thessaliotidis, Hestiaeotidis fastorum commendatur unum *omnium* Phthiotarum calendarium, cui sententiae fauet[2]) Pythoeus mensis, quem tenemus et apud Halenses et apud Melitaeos eumque eiusdem, ut uidetur, anni tempestatis, tamen propter tantam quam uidemus Graecorum fastorum discrepantiam adnotare satis habeo nihil in praesentia obstare, quominus unum Phthiotarum calendarium sumamus. Quam sententiam de Phthiotarum fastorum congruentia si quando ueram esse apparebit, licebit rationem habere etiam Thaumacorum Itonii[3]) mensis, quem nunc quidem summa cum dubitatione adscripsi Halensium fastis.

Iam redeundum est ad illam quaestionem supra significa-

1) Iniuria transposuit Heuzeyus menses Themistium et Homoloïum, ita, ut Homoloïus praecederet Themistio.

2) Ad hanc opinionem fulciendam nuperrime accessit Thaumacorum Adromius mensis, cuius nomen primo tituli a Lollingio Act. Inst. Arch. VIII p. 127 sqq. editi uersu latere uidetur.

3) P. Monceaux Bull. VII p. 44 sq.

tam, num cum Heuzeyo credere liceat Thessalicos et Halenses fastos ita fuisse eosdem, ut utrorumque menses conferamus in unum calendarium. At utrisque fastis collatis negamus hoc posse fieri. Habemus enim Thessalicos menses nouem et totidem Halenses, sed sex ab illis diuersos, ut fasti ex utriusque calendarii mensibus compositi abundent tribus mensibus. Quam difficultatem nemo uir doctus neque Heuzeyus neque Latischewius neque P. Monceaux remouere potuit nisi argutiis [1]).

Nam Hippodromium fuisse uere Larisaeum et Thessalicum mensem contra Heuzeyum p. 320, 1 exposui; neque mihi probatur comparatio Hippodromii cum Adromio, cum displiceat etymologia illa, quae ita faciat Adromium mensem eum, quo cursus non fiunt, ut eidem mensi apud eos, qui equiria agebant nomen Hippodromio, apud illos, qui talia non agebant, Adromio inditum esse putandum sit.

Iure igitur neutrum subsidium, quo Heuzeyus usus est ad unum constituendum Thessalorum et Halensium calendarium, probauit Latischewius. Sed cur remedia, quae ipse proposuit, accipiamus, non iustiores sunt causae. Suadet enim (p. 88 sq.), ut pro tradito '*Εὐωνίου*' nomine legatur *Ἰτ]ωνίου* (u. 9) et Adromius mensis putandus sit fuisse eiusdem significationis, cuius fuisse Panamum Ahrens aliqua cum probabilitate docet [2]), ita, ut arbitretur eiusdem mensis altero loco alterum nomen fuisse in usu. Sed quamuis Latischewio sit persuasum Heuzeyum neglegenter solere titulos describere, tamen hoc quidem loco ullius peccati ne minimum quidem uestigium depre-

1) Simile quid Lollingius (Act. Inst. Arch. VIII p. 210) spectasse uidetur, cum omnes negauerit in fastis Thessalicis constituendis difficultates esse sublatas a Wachsmuthio, Duchesnio, Heuzeyo, Paulo Monceaux. At dubitatio de calendario Thessalico a uiris i. d. instituto non pendet ab explendo ultimo tituli Lollingiani uersu. Ceterum si recte Lollingius ibi restituerit '*'Υπερ]β[ερε]τ[α]ίου*', Metropolitanam illam inscriptionem curare nostra prorsus non interfuerit; cf. hui. diss. prooemium.

2) Mus. Rhen. XVII (1862) p. 336 sqq., qui arbitratur 'Panamum' constare ex uerbis '*πᾶς*' et '*ἁμός*' (i. e. *ὁμός*). Adromius autem constat secundum Latischewium ex '*ἁδρός*' et '*ὁμός*', quare censet esse scribendum Hadromium.

hendimus. Nam cur desperemus de Euonii nomine, non est satis causae; quoniam ad id damnandum dubitatio de eius significatione nihil fere ualet. Sunt enim compluria [1]) mensium nomina, quae quid significent, nos nescire Latischewius p. 20 ipse concedat. Neque Adromii et Panami comparationi, quam ille uir doctus instituit, plus tribuerim quam Heuzeyi Hippodromii et Adromii explicationi. Ceterum si quis statuit Thessalorum et Halensium calendaria inter se discrepuisse uno quidem mense, is non debet negare hanc dissensionem potuisse etiam latius patere.

At ut omnes hae quas significauimus difficultates remoueantur, ne utrumque calendarium conflemus, impedit Genetius mensis, quem intercalarem tantum esse Heuzeyo persuasum est. Neque Latischewius ausus est eum in communium mensium numero habere, quamquam difficultatem huius sententiae ipse sensit. Quod enim putat Genetium esse praeter consuetudinem semel tantum intercalatum, ipse sibi uidetur praeter uerisimilitudinem statuisse (p. 86).

Denique Paulum Monceaux breui monemus et Thessalorum Hippodromium remouisse cum Heuzeyo et Panamum plane omisisse; praeterea nouauit [2]) Homoloïum mensem intercalarem, quae sententia contra ipsius tituli memoriam pugnat et ab eodem quem ceteri uiri docti non satis obseruauerunt Graecorum usu abhorret.

Contra equidem ex Genetio intercalari esse colligendum censeo, sexto anni Halensis mensi fuisse nomen Genetio (cf. p. 328), cum apud Graecos, quantum scio, omnes antiquioribus [3]) quidem temporibus mensi intercalari fuerit nomen praecedentis mensis; conferatur:

1) Velut Chaliensium *Κοούτιος*, Locrorum *Δινών*, Cymaeorum *Τερφεύς*; cf. cap. II, 3 c.

2) Miror, quod contra tituli fidem audet negare (p. 54) fuisse Genetium mensem intercalarem. Videtur titulum Heuzeyanum prorsus non inspexisse, quoniam sibi finxit Heuzeyum fuisse auctorem huius intercalaris mensis.

3) Posterioribus demum temporibus apud Athenienses mensi intercalari inditum est nomen Hadrianioni, cuius origo in promptu est; cf. A. Momm-

Atheniensium	*Ποσειδεὼν δεύτερος* (C. I. 270),
Boeotorum	*Ἀλαλκομένιος δεύτερος* (Bull. III p. 465 C),
Delphorum	*Ποιτρόπιος δεύτερος* (Wescher. et Foucart. 86),
Rhodiorum	*Πάναμος δεύτερος* (C. I. 5381 c. 5382.),
Tauromenitarum	*Ἀπελλαῖος δεύτερος* (C. I. 5640 tab. III, 1, 9).

Nam quamquam in his omnibus exemplis intercalaris mensis discernitur a communi eiusdem nominis addito adiectiuo '*δεύτερος*', tamen additum '*ἐμβόλιμος*' non minus uidetur indicare mensem fuisse communem, cui idem nomen fuerit Genetio, quocum ne commisceretur mensis intercalaris erat periculum; quod cognomen '*ἐμβόλιμος*' esset plane superuacaneum, si intercalari mensī fuisset suum ipsius nomen Genetio. Itaque suadeo, ut fastis Halensibus sexto quidem prioris semestris loco inseratur Genetius mensis; id quod nimirum non potest fieri, nisi Halensium fastos putamus a Thessalorum prorsus esse secernendos.

3. *De fastis Perrhaebis.*

Eis quos Wachsmuthius Mus. Rhen. XVIII (1863) p. 540 sqq. attulit mensibus Perrhaebis duos addimus nouos et emendamus eorum seriem ad exemplum aliorum fastorum nuperrime institutorum. Neque enim ad certum ullum locum spectat inscriptio Ussingiana 6 (cf. hui. diss. p. 323), quam Ussingius indicat esse inuentam prope Turnabum, quem uicum Heuzeyus [1]) longe discrepans a Lebasio demonstrat situm esse non procul a Phalanna [2]) intra fines Perrhaeborum. Quo titulo ad fastos Perrhaebos reuocato accedunt ad hos quorum Wachsmuthius habet rationem menses Hippodromius et Phyllicus, quos Wachsmuthius et Duchesnius tribuerunt fastis Thessalicis; et mea [3]) quidem sententia etiam Itonius mensis, quem censeo huius tituli

sen. Heort. pp. 47**. 318*** et infra cap. IV. A, 1a. Contra Genetius non habet talem excusationem. — De Macedonum Dioscuro res est controuersa cf. Herm. p. 102. Lat. p. 44.

1) Le mont Olympe etc. p. 486, 1 cf. Rev. Arch. l. l. p. 259.

2) Cf. Steph. Byz. s. u. *Φάλαννα*.

3) Video Latischewium (p. 101) item hoc loco reposuisse Itonium neque tamen animaduertisse eam quam indicaui difficultatem.

u. 33 esse restituendum, ubi legitur ΤΩΝΙΟΥ; quamquam Itonii sedes, quae Hippodromii et Phyllici conexu commendatur contra similitudinem pugnat, quae uidetur intercessisse inter fastos Perrhaebos et Thessalicos (cf. paulo infra). Singulorum igitur Perrhaeborum oppidorum menses traduntur hi:

Aeginii:	Cyretiis:	Oloossone:
ΙΛΙΟΥ 1)	Λεσχ[ανόριος 2)	Λεσχανόριος 4)
	Ὁμολώιος 3)	Ἄφριος 5)
Duclistae:	**Seli:**	**prope Turnabum:**
Λεσχανόριος 6)	ΑΙΟΣ 10)	Ἱπποδρόμιος 14)
Ὁμολώιος 7)	Λεσχανόριος 11)	Φυλλικός 15)
Ἀπολλώνιος 8)	Ἀπολλώνιος 12)	Ἴ]τώνιος 14)
Ἑρ[μαῖ]ος 9)	Ἱπποδρόμιος 13)	

1) Lebas. 1206 b; Latischewius legit ΑΙΟΥ et restituendum proposuit ΕΡΜΑΙΟΥ uel ΑΓΝΑΙΟΥ; illud uidetur praeferendum cf. Heuzeyi Le mont Olympe etc. p. 465 sqq. 4, 4.

2) Uss. 12 b = Lebas. 1309 a. — Latischewii coniectura, qui putat (p. 78) in tit. Uss. 12 e (= Lebas. 1307) latere Leschanorium, magnam habet probabilitatis speciem. — Contra quod in tit. Uss. 12 b u. 13 (= Lebas. 1309 b. 4) reponendum proposuit (p. 77) ΑΓΝΑΙΟΥ pro tradito ΑΓΑΓΥΑΙΟΥ, me non habet assentientem. De qua lectione eo magis dubito, quod hoc mensis nomen non redit nisi apud Halenses; apud quos nos quidem putamus calendarium ualuisse a ceteris Thessalicis diuersum. Ceterum sententiarum conexus obscurior est, quam ut fiat coniectura de ullius mensis nomine; et Latischewius cogitur expedire eas quae praecedunt litteras ΑΓ sumpto lapicidae errore.

3) Uss. 12 c = Lebas. 1308.

4) Heuzeyi Le mont Olympe etc. 3, 2.

5) Uss. 9 = Lebas. 1314.

6) Heuzeyi Le mont Olympe etc. 11, 1. 3. 4. 8. — Reicienda esse uidetur ea quam Latischewius (p. 88, 33) commendauit huius tit. u. 17 sq. emendatio, ubi pro tradito ΛΕϹΧΑ|ΠΑΡΓΕΙΟΥ scripsit ΛΕϹΧΑΝΟΡΓΕΙΟΥ. Contra ualde arridet Heuzeyi sententia scribentis Λεσχα[νορίου] στ(ρατηγοῦντος) Ἀργείου etc. Nam quamquam nullum exstat testimonium mensium nominum per compendium scriptorum, tamen hoc quidem loco facile cogitatur de lapicidae errore, qui omiserit illius nominis finem. Et simile aliquid legere mihi uideor in tit. Duchesnii 162, ubi exstat ΟΜ pro ΟΜΟΛΩΙΟΥ. — Praeterea Heuzeyi sententia nullam habet difficultatem, quoniam uix potest negari, latere in illa Π littera crebrum illud compendium uerbi 'στρατηγοῦντος', cuius uariae exstant in hoc titulo formae uelut u. 9 Π (cf. u. 38); u. 13 Ο, ubi Heuzeyus (p. 472, 4) restituit ς; u. 27 Π;

Quos singulos menses non dubito coniungere in unum calendarium Perrhaebum, quod exstitisse docent uerba '*καθὼς Περσαιβοὶ ἄγοντι*' titulo Wachsmuthiano tradita.

Ad ordinandos menses adiuuamur duplici quadam re: alii enim menses in ipsis quibus traduntur titulis habent alterius semestris notam; aliorum situs definitur fastorum Thessalicorum exemplo.

Priori semestri titulis adscribuntur *Ἀπολλώνιος* [1]) et *Ἑρμαῖος*, siquidem E. Curtius (cf. hui. dissert. p. 321) recte pro tradito ΜΝΟΣΕΡΝΟΥ scripsit ΜΗΝΟΣΕΡΜΑΙΟΥ, quam coniecturam Wachsmuthius et Latischewius sunt amplexi. Posteriori semestri certis testimoniis addnntur hi menses: *Λεσχανόριος* [2]), *Ὁμολώιος* [3]), *Φυλλικός* [4]). Posterioris semestris esse etiam Hippodromium et Itonium, quem restituimus, apparet ex ipso de quo sermo erat titulo, ubi menses Hippodromius, Phyllicus, Itonius hoc quidem ordine sese excipiunt. Quodsi Phyllicum fuisse posterioris semestris scimus, ceterorum mensium duos esse assignandos eidem semestri efficitur, cum nulla intercedat alterius semestris nota. Quod indicium Latischewius ita neglexit, ut Perrhaeborum et Thessalorum Hippodromium et Itonium tribueret (p. 99) priori semestri. Ceterum Duchesnius (Archives des missions etc. III. série. III. uol. p. 314) affirmat Hippodromium multis et certis testimoniis adscribi posteriori semestri, quamquam ut Latischewius (p. 85, 27) et Heuzeyus (Rev. Arch. l. l.), ita ne ego quidem ullum inuenirepotui certum huius rei testimonium.

Iam restat, ut conemur ceteros menses Aphrium, Dium, Apollonium certis locis collocare. Et quoniam mihi uideor ad fastorum Thessalicorum exemplum Aphrio mensi assignare posse certum quendam locum, breui monendum est de affini-

---

u. 40 ♯. 7) Heuzey. Le mont O. etc. 11, 5. 8) Ib. 11, 2. 13, 1. 9) Ib. 13, 2; E. Curtii emendatio. 10) Ib. 4, 4: '*Ἑρμ]αῖος* Latischewii facilis coniectura (p. 102). 11) Ib. 4, 3. 12) Ib. 4, 1. 11, 2. 13, 1. 13) Ib. 4, 5. 14) Uss. 6 = Lebas. 1295. 15) Ib. et Heuz. l. l. 14.

1) Heuzey. l. l. 11, 2. 13, 1. 2) Ib. 11, 1. 3. 4. 8. 3) Ib. 11, 5. 4) Ib. 14.

tate [1]), quam interfuisse credimus inter Thessalorum et Perrhaeborum fastos et res publicas.

Primum enim uidemus ex Thessalicis quos diximus fastis apud Perrhaebos redire menses sex Hermaeum, Leschanorium, Aphrium, Homoloïum, Hippodromium, Itonium, quorum quattuor Hermaeus, Leschanorius, Homoloïus, Hippodromius traduntur cecidisse in idem semestre, quo eos apud Thessalos stetisse uidimus [2]). Deinde discimus ex inscriptione Corcyraea a Wachsmuthio edita Thessalorum Themistium et Perrhaeborum Dium sibi ad diem respondisse; etenim uerba sunt haec: '[ὥς Θεσ]σαλοὶ ἄγοντι Θεμιστίου | [ἁμέρ]ᾳ τριακάδι — μηνός, καθὼς Περραιβοὶ | [ἄγον]τι, Δίου ἁμέρᾳ τριακάδι'.

Quae indicia artioris affinitatis inter Larisaeos uel Thessalos et Perrhaebos intercedentis comprobantur Strabonis memoria, qui IX, 5, 19; p. 440 testatur, Larisaeorum imperio Perrhaebos fuisse subiectos. Quibus de causis uidetur non esse audacius Perrhaeborum Aphrium ad calendarii Thessalici normam adscribere posteriori semestri aut statuere utrorumque menses homonymos fuisse eiusdem, quoad fieri potest, anni temporis; ita, ut posterius semestre apud utrumque populum incipiamus ab altero post brumam mense et prioris semestris et anni initium capiamus ab octauo post brumam mense.

Sed tamen Dio aut Apollonio mensibus collocandis subsidium nobis est plane nullum. Utrumque autem necesse est stetisse in priore semestri; quocum conuenit, quod etiam Thessalorum Themistius, quocum Dius comparatur, uidetur fuisse prioris semestris. Quin etiam p. 322 sq. demonstrare conati sumus Perrhaeborum Dium posse eundem locum post brumam

1) Latischewius et ipse (pp. 88. 102) statuit affinitatem quandam intercessisse inter Larisaeorum uel Thessalorum et Perrhaeborum fastos; quamquam quod similitudinem utriusque calendarii eam fuisse putat, ut ex Thessalorum fastis liceret inserere Perrhaeborum calendario Thyum et Panamum, mihi uidetur ultra modum progredi, quoniam utriusque calendarii discrepantiam satis late patuisse docent uerba tituli Wachsmuthiani 'καθὼς Π. ἄγοντι'.

2) Itonius unus abhorret, quantum uidemus, ab eo cuius apud Thessalos fuisse uidetur semestri.

duodecimum occupare, quem apud Aetolos eum tenuisse scimus; quam similitudinem etsi concedo esse parum tutam, non dubito tamen, quin plus ualeat ad fastos Perrhaebos instituendos quam Macedonum calendarii exemplum, quo ad collocandum Perrhaeborum Dium usus est Wachsmuthius. Neque enim ullum conspicitur huius similitudinis indicium; immo uero Perrhaebi uidentur fastos antiquitus usurpatos posterioribus tenuisse temporibus. Quibus de causis Latischewii sententia displicet, qui et Perrhaeborum et Aetolorum Dium repetitum esse a Macedonibus arbitratur; cf. infra cap. II, 4.

De Apollonii denique loco, quamquam constat eum fuisse prioris semestris, certius nihil licet statuere. Neque enim quidquam ualet Apollonii et Apellaei comparatio, quam Wachsmuthius et Latischewius (p. 103) instituunt, ut ad Lamiensium Apellaei exemplum Apollonio certum assignent locum.

His fundamentis iactis euadit Perrhaeborum mensium series haec:

Delphis:	apud Perrhaebos: I. sem.	Delphis:	apud Perrhaebos: II. sem.
Βουκάτιος	1. .	*Βύσιος*	7. *Λεσχανόριος*
Βοαθόος	2. .	*Θεοξένιος*	8. *Ἄφριος*
Ἡραῖος	3. .	*Ἐνδυσποιτρόπιος*	9. *Ὁμολώιος*
Δαδαφόριος	4. .	*Ἡρακλεῖος*	10. *Ἱπποδρόμιος*
Ποιτρόπιος	5. ? *Δῖος*	*Ἰλαῖος*	11. *Φυλλικός*
Ἀμάλιος	6. *Ἑρμαῖος*	*Ἀπελλαῖος*	12. *Ἰτώνιος*

incertae sedis *Ἀπολλώνιος*.

4. *De fastis Lamiacis.*

Ad eos quos Rhangabis [1]) et Hermannus nouerant Lamiacos menses quamquam unus accessit Thyus [2]), tamen titulos quibus uiri i. d. usi sunt, retractare mihi liceat, et quod uterque non satis curasse uidetur eum quem monumenta praebent mensium ordinem, et quod aliis fastis cum Doricis tum Aeolicis

1) Ephem. A. I (1838) p. 122 sq., iterum Ant. Hellén. II (1855) p. 659.

2) *Ἐφημ. τῶν φιλομαθῶν* (1864) no. 541, (1866) no. 617, nuperrime Act. Inst. Arch. VII p. 363 sqq.

nuperrime instauratis lux quaedam restituendo calendario Lamiaco affulsit. Lamiensium igitur menses eo ordine dispositi, quo exhibentur titulis Ephem. u. I editis, postea iterum a Rhangabe, nuperrime a Fickio [1]) repetitis, sunt hi:

I.[2])	II.	III.	IV.	V.	VI.[5])
Ephem. 68	69	71	72	73	74
Rang. 946	947	949	950	951	952
Βώμιος	*Βώμ[ιος*	.	.	.	*Β]ώ[μ]ιος*
.	*Ἄρεος*	*Θριξάλλιος*	*Γεῦ[σ]τος* [3])	.	*Γεῦστος*
Χρυτταῖος	*Χρυτταῖος*	.	*Λύκεος*	.	.
.	*Ἱπποδρόμιος*	.	*Ἱπποδρόμιος*	*Ἱπποδ[ρόμιος*	.
.	*Π[άν]α[μ]ος*	.	.	. . . . . . [4])	.
.	.	.	.	*Ἀπελλαῖος*	.
.	.	.	.	*Βου]κάτιος*	.

Itaque series facile euadunt hae:

Βώμιος	*Βώμιος*
Ἄρεος	*Γεῦστος*
Χρυτταῖος	*Λύκεος*
Ἱπποδρόμιος	*Ἱπποδρόμιος*
Πάναμος	.
	Ἀπελλαῖος
	Βουκάτιος.

---

1) 'Beitr. z. Kunde d. indog. Spr.' ed. A. Bezzenb. VI (1881) p. 322 sqq.

2) Itonius num et hoc in titulo et in Rhangabis titulo 948 (ubi quin sit restituendus Latischewius non dubitat [p. 106 sq.]) re uera fuerit, eo incertius est, quo magis mutilati sunt hi tituli imminetque periculum, ne pro mensium nominibus habeamus hominum nomina; altero enim loco legitur ΙΤΩΝΟΥ altero ΤΙΩΝΙΟΥ.

3) Ea quam Rhangabis I p. 659 induxit forma *Γεύστης* nulla adiuuatur re et abhorret ab omni mensium compositione. Finiuntur enim haec nomina per '*ών*', '*ος*', '*εύς*', non per '*ης*'. Itaque *Γεῦστος* censeo esse scribendum; cuius uocis priorem syllabam uelim circumflectere, quamquam Hermannus et Latischewius acuerunt posteriorem. Mecum enim faciunt cetera quae in '*ος*' exeunt mensium nomina.

4) Hoc quod excidit mensis nomen non per ΣΩ esse finitum, id quod credidit Fickius l. c. VI p. 325 sq. docet sententiarum conexus. Hae enim litterae pertinent ad hominis cuiusdam nomen.

5) Chryttaeus et Hippodromius, quos Latischewius (p. 106) hoc in titulo pro tradito ΑΙΟΥ et ΥΟ.ΓΡΟΝΟΥ (sic, non cum Hermanno ΓΡΟΝΟΥ est legendum) scripsit, prope accedunt ad litteras, quae leguntur.

Quas duas series congerere uelim in unam hanc:

	Βώμιος	
Ἄρεος		Γεῦστος
Χρυτταῖος		Λύκεος
	Ἱπποδρόμιος	
Πάναμος		
		Ἀπελλαῖος
		Βουκάτιος.

Iam patet Arei, Chryttaei, Geusti, Lycei ordinem, siquidem tenemus Areum Chryttaeo et Geustum Lyceo praecedere debere, ita permutari:

Ἄρεος	Γεῦστος	Ἄρεος	Γεῦστος
Χρυτταῖος	Λύκεος	Γεῦστος	Ἄρεος
Γεῦστος	Ἄρεος	Χρυτταῖος	Λύκεος
Λύκεος	Χρυτταῖος	Λύκεος	Χρυτταῖος.

Nunc quoniam non aperiuntur aliae uiae tollendis his de ordine mensium Lamiacorum dubitationibus neque ullo alio modo ei quos protulimus menses referuntur ad anni tempora, in comparationem, quoad fieri potest, adhibeamus aliorum populorum fastos, qui tamen num fuerint cum his fastis artius coniuncti non ita constat.

Primum enim propter fastos Chalienses et Phalicaeos Geustum, Lyceum, Areum, Chryttaeum hoc quidem ordine puto sese excepisse, quod apud Chalienses Lyceus cum Delphorum Bysio [1]), Areus apud Phalicaeos cum Delphorum Theoxenio [2]) consentit. Tum ad fastorum Boeotiorum exemplum uelim assignare Hippodromio et Panamo octauum et nonum anni locum et Thyo quintum. Similitudo enim fastorum Boeotiorum eo magis mihi uidetur urgeri posse, quod statim apparebit Lamienses ab eodem cardine annum incepisse, quo Boeotos usos esse scimus. Qua de causa fastorum Boeotiorum analogiae plus tribuimus quam Chaliensium et Phalicaeorum, quorum

1) Bull. V (1881) p. 429 no. 43.

2) Ib. p. 422 no. 35. — Ubi Phalica oppidum situm fuerit nescimus; uidetur Aetolorum interfuisse foederi cf. Wescher. et Foucart. no. 422; E. Curtius Gött. Nachr. 1864 p. 170; A. Mommsen. Philolog. 24 p. 8, 18.

exempla in uniuersum tantum adhibebamus ad mensium ordinem adumbrandum. Denique ad Oetaeorum Apellaei normam, quem tenemus cum Phocensium primo mense collatum [1]), Lamiensium Apellaeum undecimo anni loco posuerim.

De Lamiensium anni initio nihil aliud potest statui, nisi quod a Rhangabe est propositum; qui incepisse hunc annum arbitratur a Bomio mense, quippe qui in omnibus ubi comparet titulis primus sit et in titt. Ephem. 68. 69. 74 statim nominetur post praescriptos magistratus. Qua in sententia et Hermannus et Latischewius (p. 113) permanserunt. Sed etiam Thrixallium mensem ex simillima causa inter primos habendum esse censeo, quia legitur Eph. 71 statim post praescriptionem; quin etiam ante Geustum eum stetisse admodum probabile est, quonium tituli Eph. 71. 72. 73 artius cohaerent. Sunt enim uno in lapide quamuis in diuersis eius lateribus incisi et manumissiones, quae ibi afferuntur, factae esse uidentur uno illo anno, ad quem magistratus pertinet Thrixallio praescriptus.

Quae cum ita sint, instituo Lamiensium calendarium hoc:

Delphis:	Lamiae:	Delphis:	Lamiae:
Ποιτρόπιος	1. *Βώμιος*	*Ἰλαῖος*	7. *Χρυτταῖος*
Ἀμάλιος	2. *Θριξάλλιος*	*Ἀπελλαῖος*	8. *Ἱπποδρόμιος*
Βύσιος	3. *Γεῦστος*	*Βουκάτιος*	9. *Πάναμος*
Θεοξένιος	4. *Λύκεος*	*Βοαθόος*	10. .
Ἐνδυσποιτρόπιος	5. *Θῦος*	*Ἡραῖος*	11. *Ἀπελλαῖος*
Ἡρακλεῖος	6. *Ἄρεος*	*Δαδαφόριος*	12. *Βουκάτιος*.

Sed pauca monenda sunt de eo quem Latischewius instituit horum mensium ordine. Qui cum illa de Thrixallii sede obseruatione neglecta argumento uteretur ex Chaliensium et Phalicaeorum fastis sumpto, mensium Lamiacorum proposuit seriem hanc: *Βώμιος*, *Ἄρεος*, *Γευστός* (cf. hui. diss. p. 338, 3), *Θῦος*, *Λύκεος*, *Θριξάλλιος*, *Χρυτταῖος*, *Ἱπποδρόμιος*, *Πάναμος*, *Ἰτώνιος*, *Ἀπελλαῖος*, *Βουκάτιος*.

Itonium mensem, quem Latischewius decimo loco collo-

1) Bull. l. l. p. 139.

candum proposuit, p. 338, 2 refutauimus. Thyum autem, cui ad fastorum Boeotiorum analogiam assignauimus quintum anni locum, ille quarto posuit, quod aliter iudicauerat de condendis fastis Boeotiis quam nos iudicabimus.

5. Singularum Thessaliae ciuitatum menses.

a) Hypatae:

Ἀρτεμίσιος Eph. Arch. 823 = Rang. 748 = Lebas. 1115;

Ἀρνοκ[άριος restitutus a Keilio Inscriptt. Thess. tres. p. 15 in tit. Eph. Arch. 824 = Rang. 749 = Lebas. 1116; ubi traditur (u. 9 sqq.):

ΑΡΧΟΝΤΩΝΜΕΑΛΝ
ΜΗΝΟΣΑΡΝΟΚΛΙ
ΣΚΑΙΤΑΣΠΟΛΙΟΣ
ΙΟΧΟΣ

Quamquam hanc lectionem commendari concedo ea significatione, quam inesse uidemus in Locrorum et Boatarum Pocio, et Keilii emendationem propius ad traditas litteras accedere quam Latischewii '*Ἀρνοκόμνιος*', quod nomen hoc loco latere posse opinatur (p. 21), tamen ne nunc quidem Rhangabis dubitationes esse remotas fatendum est; qui utrum ΜΗΝΟΣ, quod traditur, sit '*μηνός*' an extremum hominis cuiusdam nomen ambigit. Constat enim titulum, ut est mutilatus, difficilem esse ad restituendum; et quamquam nequeo afferre hominis nomen, cuius genitiuus exeat in -*μηνος*, tamen scio exstare talia hominum nomina, quae in huius tituli litteris ΑΡΝΟΚΛΙ latere possint, uelut *Ἀρνοκλεῖος* [1]).

b) apud Oetaeos:

Ἀπελλαῖος cum primo Phocensium mense ligatus: Bull. V (1881) p. 139.

c) Heraclea Trachinia [2]):

Ἤατος cum Delphorum Ilaeo coniunctus: Wescher. et Foucart. 230.

---

1) Cf. R. Meister. Bezzenb. Beiträge etc. V p. 206, 13, 8 et 201, 3.

2) Locorum ordinem secutus affero statim unum, qui traditur Heracleae Trachiniae mensem. Nam quamquam a Lacedaemoniis hanc urbem

6. *De fastis Magnetibus.*

Propter locorum uiciniam de fastis Magnetibus statim disputandum esse censeo, quamquam ei non solum a ceteris Thessaliae calendariis admodum diuersi esse uidentur, sed etiam a ceterorum fastorum Aeolicorum consensu ita discedunt, ut praebeant mensium nomina quaedam in 'ών' exeuntia. Habemus enim in titulo a Lollingio Act. Inst. Arch. VII p. 71 sqq. edito trium mensium nomina haec: *Ἄρειος, Ἀφροδισιών, Ἀρτεμισιών* [1]); unde apparet apud Magnetes mensium nomina esse composita et ad Aeolum et ad Ionum normam; utrum autem mensium genus praeualuerit non potest discerni. Eadem perturbatio occurrit apud Amphissenses, Delios, Halicarnassenses, Locros, fortasse apud Aeoles Asiaticos.

Tres illi menses uidentur sese excepisse eodem quo lapide exhibentur ordine hoc *Ἄρειος, Ἀφροδισιών, Ἀρτεμισιών,* cum res, de quibus hoc titulo sermo est, actae sint eisdem magistratibus et quem diximus ordinem sententiarum commendetur conexu. Namque reapse patet illud de Apollinis templo ornando plebiscitum mense Areo factum antecessisse iuri iurando, quod ut Aphrodisione detur priore tituli parte imperatur. Deinde facile conicitur normas ad res illius templi administrandas et ornandas prius in uniuersum esse statutas quam de singulis fieret decretum, id quod fieri uidemus Artemisione mense. Itaque uidetur Aphrodision antecessisse Artemisioni.

Quodsi licet Artemisionem collocare quarto post brumam loco, quem Deliorum Artemisionem tenere infra uidebimus, et siquid ei tribuendum est rei quod et Artemision et Artemisius ubicumque fuerunt tertio stabant uel quarto post brumam loco (cf. Herm. p. 47), potest Areus collocari altero [2]) fere post bru-

esse conditam scimus (Thuc. III, 92; Diod. XII, 59), tamen certius nihil potest de huius calendarii affinitate statui.

1) Artemision Magnes traditur etiam titulo edito in libri qui inscribitur 'Archives des missions scientifiques etc.' 1853 p. 266 no. 4, quem Lollingius putat priori illius tituli parti esse adnectendum; cf. Latisch. p. 37.

2) Qui locus non ita dissentit cum eo, quem apud Phalicaeos Areum occupasse p. 339 uidimus.

mam loco et Aphrodision tertio, siquidem protinus hos menses sese esse consecutos sumimus.

B. De fastis Boeotiis.

Delphis:	Athenis:	apud Boeotos:
Ποιτρόπιος	*Ποσειδεών*	1. *Βουκάτιος*
Ἀμάλιος	*Γαμηλιών*	2. *Ἑρμαῖος*
Βύσιος	*Ἀνθεστηριών*	3. *Προστατήριος*
Θεοξένιος	*Ἐλαφηβολιών*	4. *Ἀγριώνιος*
Ἐνδυσποιτρόπιος	*Μουνιχιών*	5. *Θιούιος*
Ἡρακλεῖος	*Θαργηλιών*	6. *Ὁμολώιος*
Ἰλαῖος	*Σκιροφοριών*	7. *Θειλούθιος*
Ἀπελλαῖος	*Ἑκατομβαιών*	8. *Ἱπποδρόμιος*
Βουκάτιος	*Μεταγειτνιών*	9. *Πάναμος*
Βοαθόος	*Βοηδρομιών*	10. *Παμβοιώτιος*
Ἡραῖος	*Πυανοψιών*	11. *Δαμάτριος*
Δαδαφόριος	*Μαιμακτηριών*	12. *Ἀλαλκομένιος* I.
		13. *Ἀλαλκομένιος* II.

Hic quem probamus mensium Boeotiorum ordo institutus est a Lipsio Studd. philol. Lipsiens. u. III p. 207 sqq. et IV p. 155 sq. Testimonia sunt haec:

Βουκάτιος	est	Delphorum	*Ποιτρόπιος*, Wescher. et Foucart. 207; primus Boeotorum mensis Plut. Pelop. 24 sq.
Ἑρμαῖος	„	Atheniensium	*Γαμηλιών*, Proclus ad Hesiod. opp. et dd. 504.
Προστατήριος	„	„	*Ἀνθεστηριών* Plut. quaest. symp. III, 7, 1 cll. VIII, 10, 3 (Moral. p. 655 E. cll. 735 E. Xyl.).
Ἱπποδρόμιος	„	„	*Ἑκατομβαιών* } Plut. Cam. 19.
Πάναμος [1]	„	„	*Μεταγειτνιών* }

1) Panami et Boëdromionis comparationem (Plut. Arist. 19) per scriptoris errorem esse expediendam iam pridem exposuit Boeckhius Mondcycl. p. 67 et Kl. Schrift. IV, 88, 2. V, 197 sqq.; quam sententiam uiri docti

Δαμάτριος est Atheniensium *Πυανοψιών* Plut. de Isid. et Os. 69 (Moral. p. 378 E.).
Ἀλαλκομένιος „ „ *Μαιμακτηριών* Plut. Arist. 21.

Ceterorum mensium nomina, non sedes, traduntur titulis his:

Ἀγριώνιος, *Ἀθήναιον* IX (1880) pp. 319. 354, γ'). 356, γ') 1 et 2. 358, 55; Bull. VIII (1884) p. 53 sqq. I, 7 a.

Θιούιος, Bull. IV p. 1 sqq. u. 166; *Ἀθην.* IX, 354 sq. γ') u. 9; qua de forma conferas, quae adnotat R. Meister, Bezzenb. Beitr. VI p. 42. *Θούιος* *Ἀθην.* IV p. 210, 2; *Ἀθην.* IX, 355, 2) 6; *Θυῖος* *Ἀθην.* IX, 357, 6. 359, 3; *Θειούιος* Bull. VIII (1884) p. 53 sqq. I, 10[b].

Ὁμολώιος, C. I. 1563[a]. 1608[b]; *Ἀθην.* IV (1875) p. 210, 2 = Meister l. l. p. 233; *Ἀθην.* IX (1880) p. 353, 1. 355, 3) u. 15. 356, δ') 1. 359, 2) u. 4; Bull. VIII (1884) p. 53 sqq. I, 2, 8.

Θειλούθιος, C. I. 1569[a] = Newton no. CLVIII; *Θηλούθιος*[1]) C. I. 1608[d]. 1609.

Παμβοιώτιος, *Ἀθην.* IV (1875), 376 et C. I. 1608[a] (cf. Bergkii p. 10 sq.), ubi Lipsium (l. l. IV p. 156) recte restituisse hunc mensem Latischewius lapide denuo inspecto testatur (Act. Inst. Arch. VII. 32, 1).

Pamboeotio mensi decimum esse locum iam Lipsius (l. c. IV, 156) censuit et Latischewius accuratius interpretatus Orchomenium de Nicareta titulum Bull. III p. 459 sqq. et IV p. 1 sqq. editum nuperrime comprobauit[2]). Thiuium, Homoloïum, Theluthium hoc quidem ordine sese excepisse docent tit. Orchom. uu. 166—176; et Thiuium statim exceptum esse Homoloïo ap-

---

optimo iure sunt amplexi Ideler Handb. d. Chronol. I, 365; Lipsius l. l. III p. 213; Latischew. p. 62, 25.

1) Titulum Aegosthenis repertum (Muratori II. DXCI, 4), quo *Θηλούθιος* comparet quemque Corsinus (fasti Att. II p. 443 sq.) putauerat Delphis esse attribuendum, Boeotium esse nunc est probabile; cf. Boeckh Staatsh. II[1] p. 375 sq.

2) Act. Inst. Arch. VII (1882) p. 31 sqq.; libri sui p. 66 sqq.

paret [1]) ex tit. Ἀϑην. IV p. 210, 2. Theluthium autem etiam alterius quod dicitur 'τετραμείνου' fuisse Foucartus rectissime obseruauit [2]).

Unum dissentiunt uiri docti, quod Lipsius ad mensium Thessalicorum rationem Thiuio et Homoloïo assignat quintum et sextum anni locum, Latischewius (libri sui p. 64 sq.) profectus ab ea Theluthii et Thargelionis significationis similitudine, quam fuisse Boeckhius C. I. I p. 733, 2 demonstrare conatus est, Theluthium respondisse sumit Thargelioni. Unde fit, ut ille uir doctus Agrionium, qui unus restat, quarto, Latischewius septimo loco collocandum proposuerit. Etsi igitur certa de horum mensium sedibus testimonia desunt, tamen Lipsii sententiam praeferendam esse censeo, quod fastorum Boeotiorum et Thessalicorum similitudinem exploratam habemus et Theluthii sensus, quem Boeckhius uoluit, manet etiamsi septimo loco eum collocamus. Ceterum Papiae [3]) scholium, ubi Byzantinorum Agrantus (Herm. coni. Ἀγριάνιος) cum Augusto mense Iuliano comparatur, Latischewius non tam confidenter adhibere debuit ad collocandum Boeotorum Agrionium, quoniam fasti Dorici ad condendos fastos Aeolicos non multum ualent.

Denique quamquam de Boeotorum intercalandi ratione nihil certi constat, tamen sunt uestigia, ex quibus apparere uideatur Boeotos solitos esse intercalare priore quam Athenienses anno, ita, ut annis intercalaribus singulos Boeotorum menses a singulis quibus quemque respondere uidemus Atheniensium mensibus prodiisse ad posteriores putemus.

Talis autem qualem diximus mensium discrepantiae indicia e duobus ueterum scriptorum locis nouimus. Etenim ex Procli ad Hesiod. opp. et dd. u. 504 uerbis, ubi Plutarchus suadet, ut pro tradito Lenaeone, quem scimus apud Iones respondisse Atheniensium Gamelioni, scribatur aut Bucatius aut Hermaeus, et ex Plutarcho, qui Pelop. 24 memoriae tradit brumam aliquando incidisse in extremos dies ultimi Boeotorum

1) Cf. Lipsium l. l. III p. 214. 2) Cf. Foucart. Bull. IV p. 17 sq. et p. 20 adn.; C. I. 1569a. 3) Bröcker Philolog. II (1847) p. 248, II.

mensis, quem tamen nostra in tabula altero ante brumam loco stare uidemus.

Quam mensium discrepantiam positam esse in diuersis intercalandi rationibus ueri est simillimum. Contra Ruellii sententia, qui p. 828 illam ex diuersis mensium initiis explicare studet, eisdem de causis displicet, quas ad refutandam similem Latischewii sententiam p. 392, 2 protulimus. Quodsi quis hac de Boeotorum intercalandi ratione sententia probata ex C. I. 1569 a [1]) collegerit Boeotos intercalasse post Phocenses et si cum Mommseno (Delphik. p. 122; cf. infra cap. II, 2 extr.) Delphos atque Phocenses eandem intercalandi rationem esse secutos arbitratur, is posse uidetur concludere, Athenienses alio usos esse intercalandi cyclo quam Delphos.

C. De fastis Eleis.

Boeckhii sententiam, qui [2]) ex scholio ad Pind. Ol. III, 35 [3]) collegit Eleorum annum a solstitio aestiuo incepisse, abiciendam esse Ungerus [4]) optimo iure censet. Neque enim dubitare licet, quin scholiasta Eleorum Apollonium et Parthenium cum Aegyptiorum Thoth et Mesori non eo consilio copulauerit, ut mensium Aegyptiorum exemplo comprobaret alterum fuisse ultimum, alterum primum Eleorum mensem — id quod Boeckhius contra omnem quem cognouimus Graecorum usum sibi finxit —, sed ut anni tempus, in quod caderent Eleorum menses indicaret adscriptis illis Aegyptiorum mensibus. Contra summa cum probabilitate Ungerus ex scholio ad Pind. Ol. III, 33 [5])

1) Ubi Phocensium primus mensis, quem scimus consensisse cum Delphorum Heraeo i. e. cum Atheniensium Pyanopsione, coniungitur cum Boeotorum Alalcomenio i. e. cum Atheniensium Maemacterione.

2) Mondcyclen p. 15 sqq.

3) Verba sunt haec: *γίνεται δὲ ὁ ἀγὼν ποτὲ μὲν διὰ τεσσαράκοντα ἐννέα μηνῶν, ποτὲ δὲ διὰ πεντήκοντα. ὅθεν καί ποτε μὲν τῷ Ἀπολλωνίῳ μηνί, ποτὲ δὲ Παρθενίῳ παρ' Αἰγυπτίοις Μεσωρὶ ἢ Θὼθ ἐπιτελεῖται.* —

4) Philolog. uol. XXXIII (1874) p. 228 sq. cf. Momms. Delphik. p. 161, 2.

5) *Περὶ τοῦ χρόνου, καθ' ὃ ἄγεται τὰ Ὀλύμπια καθ' ἑκάστην Ὀλυμπιάδα Κικω μ̄ ὁ τὰ περὶ κλειων συγκατάξας φησὶν οὕτω* (cf. Sybel. Hermae

conclusisse uidetur Eleorum annum a primo post brumam nouilunio incepisse; quam sententiam Latischewium accepisse uideo.

Singuli autem quos nouimus menses Elei sunt hi:

Διόσθυος?, quae est Boeckhii (cf. C. I. II p. 370) emendatio, quam ad fastorum Doricorum exemplum proposuit pro '*Θωσυθιας*' uocabulo apud schol. ad Pind. Ol. III, 33 tradito; cf. Etymol. Magn. p. 278, 28; Callimach. ed. Schneider. II p. 688 no. 553; Hermann. p. 55 sq. Qua in coniectura quoniam melior non offertur [1]) acquiescendum esse censeo, quamquam si quis fastos Aeolicos constituere uelit ad fastorum Doricorum exemplum, ei summam esse adhibendam cautionem p. 345 monuimus. Ac ne Latischewii quidem sententia, qui p. 8, 5 scholiastam scripsisse '*Θῦος ἢ Θυῖος*' coniecit mihi placet, quoniam scholiastae nolim tribuere tam subtilem distinctionem, quae non tam auditur quam conspicitur. Mensem eum fuisse Eleorum primum et accidisse ad hiemale solstitium ex illo ipso scholio apparet.

Ἐλάφιος, Paus. V, 13, 5. VI, 20; cui tertiam fere anni sedem assignamus, cum eum fuisse sub aequinoctium uernum alter Pausaniae locus doceat.

Ἀπολλώνιος et *Παρθένιος*, schol. ad Pind. Ol. III, 35; qui menses cur abrogarentur ab Eleis nullam esse causam professus est contra Corsinum (fast. A. II, 445 sqq.) Boeckhius (Abh. d. berl. Ak. 1818 p. 97 = Kl. Schrift. V, 198) et persuasit Hermanno. De horum mensium sedibus iudicium pendet a quaestione, quae est de Olympiorum tempore; quae sollemnia his quidem mensibus esse acta ex illo scholio discimus. Sed de Olympiorum tempore uirorum doctorum sententiae ita discedunt, ut utrum Apollonius et Parthenius responderint Scirophorioni et Heca-

---

uol. V 1871 p. 203)· *πρῶτον μὲν οὖν παντός, περίοδον συνέθηκεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἄρχειν νουμηνίας μηνός, ὃς Θωσυθιὰς ἐν Ἤλιδι ὀνομάζεται, περὶ ὃν τροπαὶ ἡλίου γίνονται χειμεριναί* etc.

Statim obiter tangere mihi liceat eam quam Ungerus propius ad litteras, quae traduntur, accedere putat huius scholii emendationem '*Ἀριστόδημος ὁ τὰ περὶ Ἠλείων*' iam a Boeckhio esse propositam C. I. II p. 273, id quod effugisse uidetur Sybelium et Ungerum.

1) Cf. Herm. p. 94 et Bergk. p. 55.

tombaeoni an Hecatombaeoni et Metagitnioni exstet dubitatio. Tamen Ungeri illius scholii interpretatio summae probabilitatis speciem habet, qui censet Olympia celebrari solita esse octauo Eleorum mense i. e. Parthenio, quem ut cum Atheniensium Metagitnione comparemus suadet. Itaque Apollonio septimum, Parthenio octauum Eleorum anni locum assignare uelim.

Ἀλφιῶος, Inscriptt. Graec. antiquiss. ed. Roehl. p. 44 no. 121 cf. Kirchhoff, Archaeol. Ztg. 37, 158 et 38, 69, quem mensem in eam anni tempestatem incidisse, qua hordeum maturum et tritum erat, efficitur illo ipso titulo, ubi Eleorum, ut uidetur, ciuitati, quae agrum quendam collocauerat, cum duobus conductoribus de quibusdam hordei modiis hoc quidem mense conferendis conuenit. Quoniam reapse est ueri simile illam qua frumentum erat conferendum diem ita praestitutam esse, ut si non ea ipsa die, at prius potestas esset frumenti illius conferendi — quam cautionem in tabulis Heracleensibus [1]) adhibitam esse uidemus —, Alphioum mensem censeo eodem fere anni tempore stetisse atque Heracleensium Panamum i. e. nono Eleorum anni loco [2]).

Θυῖος, Archaeol. Ztg. 33 (1876) p. 183 sq. = Cauer. Delectus inscriptt. Graec.[2] no. 264, cui ut undecimus fere anni locus assignetur suadeo, siquidem eo ipso mense acta esse sumere licet Thyia Dionysii sacra et Mommseni sententia probatur, qui ea autumnali tempore celebrata esse putat [3]); quamquam enim hanc Thyi sedem plane ab ea quam ceterorum Aeolum Thyius occupat sede abhorrere confiteor (cf. pp. 327. 340. 343), tamen in hac discrepantia non ita offendo, quod nullum occurrit fastorum Eleorum et ceterorum Aeolum affinitatis uestigium.

Ὀλυμπικὸς μήν, qui Roehlii titulis 116 et 119 exhibetur, non pro nomine mensis habendus esse uidetur, sicut Latischewius uult, sed ad illum quo Olympia celebrabantur mensem eum spectare puto.

---

1) C. I. 5774 sq. I u. 100 sqq.; Hermann. p. 73 sq.

2) Cf. A. Mommsen. Heortol. p. 13*; Zur Kunde d. griech. Klimas p. 9; hui. diss. cap. III. A, 1 a.

3) Delphik. p. 263, 1.

Quae cum ita sint, nisus Ungeri potissimum de Parthenii et Metagitnionis responsione sententia comparo Eleorum et Atheniensium menses hoc quidem modo:

Athenis:	apud Eleos:	Athenis:	apud Eleos:
Γαμηλιών	1. *Διόσθυος?*	*Ἑκατομβαιών*	7. *Ἀπολλώνιος*
Ἀνθεστηριών	2. .	*Μεταγειτνιών*	8. *Παρθένιος*
Ἐλαφηβολιών	3. *Ἐλάφιος*	*Βοηδρομιών*	9. *Ἀλφιῶος*
Μουνιχιών	4. .	*Πυανοψιών*	10. .
Θαργηλιών	5. .	*Μαιμακτηριών*	11. *Θυῖος*
Σκιροφοριών	6. .	*Ποσειδεών*	12. .

D. Aeolum qui dicuntur Asiaticorum menses[1]).

1. Lesbii quos nouimus menses sunt hi:

Ἀπολλώνιος, cf. Conze Reise auf Lesbos p. 23 tab. XI, 2 = E. Pottier. Am. Hauvette-Besnault. Bull. IV p. 439.

Δεῖος
Ἰουλαῖος
Ἀπολλώνιος
Ἡφαίστιος
Ποσίδειος
} C. I. IV no. 6850 A, cf. Hermann. p. 14.

Ernesti Curtii sententiam de huius tituli origine Lesbia comprobari Apollonio mense, quem scimus fuisse Lesbium, obseruauerunt uiri illi Francogalli, qui titulum priore loco allatum ediderunt. Tamen eos qui titulus praebet menses praeter Dium et Apollonium non posse censeo attribui Lesbiis. Probabile enim est Dium et Apollonium — cum redeant apud Perrhaebos, Eleos, Aetolos, Tauromenitas — apud Lesbios antiquitus fuisse in usu. Cetera autem nomina recentioris temporis speciem prae se ferunt, quo de conferas Hermanni pp. 14. 75.

Πορνοπιών[2]), Strabo. XIII, 64 p. 613. Quamquam huius

1) Neque de Aeolum Asiaticorum anni initio neque de mensium, qui traduntur, locis quidquam statui potest.

2) Ad eundem Apollinem, cuius hoc mensis nomen erat sacrum, *Παρνοπία*, ille Nesiotarum uicus, qui commemoratur *Μουσεῖον καὶ Βιβλιοθήκης τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς* II (1875—76) p. 127 sqq. u. 48 sqq., spectare uidetur.

nominis terminatio contra eam quam ceterorum mensium Lesbiorum nomina produnt consuetudinem [1]) pugnat, tamen hanc discrepantiam forma Pornopii restituta mouere nolo, quoniam talis discriminis etiam aliis in fastis deprehenduntur uestigia (cf. p. 342). Verumtamen concedendum est Latischewium recte obseruasse librarios fuisse procliues ad substituendam terminationem Atheniensium mensium: cf. Athenaei VIII, 360[b]; Porphyrii de abst. II, 54; Boeckhii C. I. II p. 392[a].

Δα . . . . ., C. I. II p. 1038, quod fragmentum nondum bene restitutum esse mihi uidetur. Ahrentis [2]) enim coniectura '*Δα[ίσιος*' displicet, quod parum constat, num Daesius ille fuerit ex antiquioribus Graecorum mensibus, cum praeter apud Sicyonios ibique alio anni loco atque apud Macedones (cf. cap. III. A, 5 a) nusquam aliis in fastis occurrat. Macedonum autem mensium nomina apud Lesbios ualuisse eo quo titulus exaratus est tempore ueri non est simile, quoniam Lesbios magistratus Lesbiorum oppidis praefuisse et de suis rebus singulas ciuitates consuluisse uidemus. Neque tamen ex hoc titulo diuersos singulis Lesbiorum ciuitatibus colligam attribuendos esse menses. Immo uero mutilatum illud mensis nomen referendum esse uidetur ad omnes qui afferuntur populos: ad Mytilenaeos, Methymnaeos, Antissaeos, Eresios; et uocem '*Θελαισιω*' (u. 2), quam Lebasius pro mensis nomine habuerat, hominis nomen esse Boeckhius suo iure contendit. Quibus de causis neque F. Bechtel (Beiträge etc. ed. Bezzenberger. V p. 116) neque Latischewius (p. 18, 28), ut mensis nomen restituerent, pro tradito '*Θελαισιω*' scribere debuerunt '*Θεδαισιω*', id quod pro communi *Θεοδαισίῳ* usurpatum esse sumunt. Namque haec scribendi ratio ne C. I. add. 2183[b] quidem comprobatur, quoniam in litteris traditis ΘΕΛΑΙΣΙC latere mensis nomen conexus sententiarum tituli illius minime euincit. Verumtamen Theodaesium mensem apud Lesbios fuisse in usu facile potest

1) De hac consuetudine nunc iudicium ita fieri potest, ut contra Bergkii sententiam (p. 13 sq.) statuamus mensium nomina per *-ος* finita esse: ut a ceteris Aeolibus, ita ab Aeolibus Asiaticis.

2) De dial. Dor. p. 496.

conici ex Theodaesiis sollemnibus, quae ibi acta esse docet tit. Bull. IV p. 424 u. 8 sqq.

2. Cymaei qui traduntur menses sunt hi:

Φράτριος, C. I. 3524, 55 cf. Bechtel., Beiträge etc. ed. Bezzenberger V p. 160 sq.; Bergk. p. 14.

Τερφεύς, quem mensem apud Cymaeos ualuisse narrat Latischewius (p. 19) monitus a Reinachio, qui eum ex titulo nondum edito hausit.

Caput II.

De mediae Graeciae ciuitatum fastis, qui neque cum Aeolicis neque cum Doricis possunt coniungi.

1. De fastis Delphicis.

Cum calendarium Delphicum, ut erat a Kirchhoffio [1]) certis testimoniis restitutum, Mommseno [2]) probatum sit, satis esse uidetur paucis eam adumbrare uiam, qua quaestiones de condendis fastis Delphicis ad certum finem sunt perductae. Primum enim distribuuntur Delphorum menses in duo quae apud Delphos distinguuntur semestria. Priori semestri adscribuntur hi [3]):

Ἀπελλαῖος [4]) C. I. 1705; Wescher. et Foucart. 353.

Βουκάτιος C. I. 1688. 1702. 1703; W. et F. 428; B. Haussoullerier, Bull. V (1881) p. 397 sqq. no. 48.

---

1) Monatsber. d. preuss. Ak. Berlin 1864 p. 129 sqq.

2) Philolog. u. XXIV (1866) p. 1 sqq.; Delphik. p. 119 sqq.

3) Omisi titulos, quos edidit E. Curtius Anecd. Delph., cum eos C. F. Hermann disput. de anno Delphico (Gött. 1844) p. 3 sq. collegerit; neque omnes ubi exstant horum semestrium indicia titulos me adscripsisse spondeo.

4) Tit. W. et F. 266 legitur '*μηνὸς Ἀπόλλωνος*', quod lapicidae errore esse ortum Kirchhoffius p. 130 ann. suo iure putat. Attamen hoc enuntiatum redit apud Chalienses (Lebas. 960; cf. hui. cap. 3 c β), ita, ut illud dei nomen usurpatum esse pro Apellaeo liceat putare; ad quem usum spectant posterioris temporis exempla uelut Aphrodisiensium *Καῖσαρ*, alia; cf. Herm. Monatsk. pp. 65. 84 et Bergk. p. 18.

Βοαθόος W. et F. 387. 423; *Βοαθοῖος* ib. 179. 198.
Ἡραῖος W. et F. 28. 160; *Ηραπιος* C. I. 1706 quod corrigendum.
Δαδαφόριος Rang. 937 = Lebas. 930; Hauss. no. 40. 46 sq.
Ποιτρόπιος Rang. 923. 943 = Lebas. 935. 929; W. et F. 424. 434. 445; C. I. 1709 ubi *Ἀποτροπίου* in *Π.* est emendandum; cf. Herm. disp.
Ποιτρόπιος δεύτερος W. et F. 425.

Posterioris semestris menses sunt hi:

Ἀμάλιος W. et F. 426. 446 sq.
Βύσιος C. I. 1704; W. et F. 263. 421.
Θεοξένιος C. I. 1700; Rang. 922. 939. 942 = Lebas. 901. 926. 941; Lebas. 934; W. et F. 273. 427. 433; Hauss. no. 39.
Ἐνδυσποιτρόπιος W. et F. 21. 33. 159.
Ἡρακλεῖος C. I. 1699; Rang. 927 = Lebas. 924; W. et F. 32. 429. [431 '*τὴν πρώτην ἑξάμηνον*', id quod est corrigendum].
Ἰλαῖος Lebas. 928; W. et F. 27. 48. 368. 430.

Dehinc menses in certum ordinem rediguntur Phocensium mensibus in comparationem adhibitis; id quod eo facilius fit, quia Phocensium menses distinguebantur additis numeris. Menses, quibus sedes ex Phocensium ratione destinantur, sunt hi:

I. sem.	*Βουκάτιος*	est Phocensium	undecimus:	W. et F. 90.
	Ἡραῖος	„ „	primus:	Rang. 919 = Lbs. 899; W. et F. 62. 122.
	Δαδαφόριος	„ „	alter:	W. et F. 105.
	Ποιτρόπιος	„ „	tertius:	W. et F. 50.
II. sem.	*Βύσιος*	est Phocensium	quintus:	W. et F. 35.
	Θεοξένιος	„ „	sextus:	W. et F. 53.
	Ἐνδυσποιτρόπιος	„ „	septimus:	W. et F. 128.
	Ἡρακλεῖος	„ „	octauus:	W. et F. 82. 222.
	Ἰλαῖος	„ „	nonus:	W. et F. 47. 81.

Apellaeo, Boathoo, Amalio mensibus, cum non compareant collati cum Phocensium mensibus, certa loca non assignantur. Sed tamen Amalius titulis posteriori semestri adscriptus non potest nisi quarto Phocensium mensi respondere. Tum Kirch-

hoffius Apellaeum cum decimo Phocensium mense, Boathoum cum duodecimo consensisse satis acriter obseruauit, quam sententiam Mommsenus (Delphik. p. 123) nouo fulsit argumento. Sed horum uirorum doctorum argumentationem narrare longam esse uidetur; contra addo indicium, quo Kirchhoffii sententia de Apellaei sede denuo firmari uidetur. Aequatur enim tit. W. et F. 289 Tolophoniorum Apellaeus cum Locrorum duodecimo mense; cum autem hic Locrorum mensis respondeat Phocensium decimo[1]), ita, ut Tolophoniorum Apellaeus et Phocensium decimus mensis conueniant, ualde arridet eadem Delphorum Apellaei et Phocensium decimi mensis responsio, quamquam aliis uestigiis Tolophoniorum et Delphorum fastorum affinitas non munitur; cf. hui. cap. 3 b β. Iam uero cum hoc quem exposuimus Delphorum mensium ordine ad Phocensium exemplum restituto conuenit tit. W. et F. et 89 et 167, quorum illo Heracleus mensis post Poetropium, hoc Poetropius post Dadaphorium stetisse traditur.

Porro facile est cognoscere anni Delphici initium. Primum enim constat de primo prioris semestris mense. Accedit, quod inter Ilaeum et Apellaeum nouos magistratus imperia suscepisse docet tit. W. et F. 202; cf. Mommsen. Philolog. l. l. p. 43. Deinde mensium series ab hoc Apellaeo incipiens anni tempestati accommodatur tit. W. et F. 424, ubi Poetropius cum Atheniensium Posideone coniungitur; quacum comparatione concinit memoria schol. ad Ioannis Tzetzae Posthomeric. extr. (cf. Herm. disp. p. 1, 3) ‘‘Ἡρακλείου μηνὸς ὄντος ἐν Δελφοῖς, Ἀθήνησι δὲ Θαργηλιῶνος ..’, ita, ut Apellaeum mensem Atheniensium Hecatombaeoni respondisse et Delphorum annum a solstitio aestiuo incepisse appareat. Constat enim, quae in anni tempora Atheniensium menses ceciderint; cf. Ideleri Handb. d. Chronolog. I p. 292 sq.

Denique breui monendum est de mensibus et annis intercalaribus (cf. p. 346). Poetropius prior affertur titt. W. et F. 112. 164. 197. 243; alter 86. 154. 425; quorum titulorum 197

1) W. et F. 273. 236.

in annum a. Chr. 176/5 cadere docet Mommsenus Delphik. p. 122, 2. Praeterea equidem puto etiam eum cuius fuerit titulus 154 annum posse definiri; si quidem putamus, cui sententiae nihil obstare uideo, Emmenidam qui huic titulo praescribitur eundem esse, quem per annum ol. 145 quartum (ante Chr. 197/6) archontem fuisse docuit Mommsenus Philolog. l. l. p. 27. — Veri simile igitur est annos a. Chr. et 197/6 et 176/5 fuisse intercalares. Qui autem anni intercalares intercesserint, nescimus, quod intercalarium mensium notas saepius omittere soliti sunt, quem morem a Mommseno Delph. p. 122, 2 indicatum nonnullis exemplis confirmari puto.

Poetropium mensem, qui tit. W. et F. 163 commemoratur, fuisse priorem docet Poetropius prior, qui sequenti titulo legitur; quem utrumque titulum eiusdem fuisse anni testantur et Pyrrhus Delphorum archon et Theagenes Amphissensium archon, qui praescribuntur utrique titulo. Neque tamen ita constat de titulis W. et F. 129. 197 sq. 199. 203. 206, quibus praeest Xenochares archon; neque de titt. 71. 72. 73. 154. 155, quibus praescriptus est Emmenidas; possunt autem et hi et illi pertinere ad eundem annum; quam sententiam confirmare uidentur eadem testium nomina, quae in utrisque titulis saepius redeunt; uelut in his Aristion, Asander, in illis Andronicus, Dromoclidas.

2. *De fastis Phocicis.*

Instituamus calendarium, quod omnium, ut uidetur, Phocensium exceptis Delphis erat commune; ad quod componendum attinent tituli, qui aut uerba 'ὡς Φωκεῖς ἄγοντι' praebent aut Phocensium ducis cuiusdam nomen habent praescriptum. Ad fastorum Delphicorum exemplum constituimus mensium Phocicorum tabulam hanc:

Delphis:	apud Phocenses:	Delphis:	apud Phocenses:
Ἡραῖος	πρῶτος [1]	Ποιτρόπιος	τρίτος
Δαδαφόριος	δεύτερος	Ἀμάλιος	.
	Ἀμάλιος [2]	Βύσιος	πέμπτος

1) Tituli, quibus haec numeralia debentur, supra p. 352 sunt allati.

2) W. et F. 412; hunc Phocensium mensem Ruellius p. 827 plane ne-

Delphis:	apud Phocenses:	Delphis:	apud Phocenses:
Θεοξένιος	ἕκτος Λάφριος [1]	Ἰλαῖος	ἔνατος Ἀφάμιος [2]
Ἐνδυσποιτρόπιος	ἕβδομος	Ἀπελλαῖος	.
Ἡρακλεῖος	ὄγδοος	Βουκάτιος	ἐνδέκατος
		Βοαθόος	.

Dignus est, qui commemoretur, duplex ille usus menses significandi; inuenimus enim praeter numeralia, quibus uidemus singulos menses distingui tria mensium nomina propria: Laphrium, Amalium, Aphamium, quorum bini traduntur binis titulis. Et ut hunc usum etiam latius patuisse reapse ueri simile est, ita utramque menses distinguendi rationem eodem tempore fuisse in usu comprobant tituli W. et F.: 50. 122. 105. 90. 81, qui omnes exhibent menses ex numeris designatos quosque ueri est simile cadere in annos a. Chr. 181. 174. 173. 172. 169; et tituli 312. 368. 412, qui praeferunt propria mensium nomina et uidentur cadere in annos 178 et 177; quos annos accuratius definire conatus sum ex Delphorum archontum tabulis, quas instituit A. Mommsen Philolog. u. 24 p. 1 sqq.

Contra unius calendarii proprium fuisse hunc usum duplicem negat Latischewius (p. 118), ita, ut ad Phocensium calendarium commune morem menses ex numeris designandi pertinere doceat, ad Lilaeensium autem fastos eos [3]) reuocet titulos, qui propria mensium nomina praebent, quoniam ei, qui his titulis seruos manumisisse traduntur, erant Lilaenses. Sed huic Latischewii sententiae haec obstant. Primum sunt tituli, ubi quamquam ei, qui seruos quosdam manumiserunt, erant Lilaeenses, tamen menses ex numeris designentur: W. et F. 35. 50. 53. 81 sq. 90. 128. 222. Deinde nullum aliud singularis Lilaeensium calendarii deprehenditur uestigium neque in cetero-

---

glexit; contra hoc quidem loco iniuria fastis Phocicis 'Tethronium', quod nomen ipse nouauit, inseruit, inductus, ut uidetur, falsa tituli alicuius interpretatione; cf. Latisch. p. 115 ann., qui putat eum tit. 312 male usum esse.

1) W. et F. 63. 212; quem mensem Ruellius attribuit Charadraeorum fastis. 2) W. et F. 312. 368. Aphamium Ruellius falso inseruit Aetolorum fastis. 3) W. et F. 63. 212. 312. 368. 412.

rum [1]), quantum scimus, oppidorum Phocicorum calendariis inerant propria mensium nomina, id quod statim apparebit. Denique tit. W. et F. 368 uerba: 'ὡς Φωκεῖς ἄγοντι Ἀφαμίου' euincere mihi uidentur ad Phocensium fastos communes ut hoc nomen, ita cetera propria mensium nomina spectare; cf. E. Curtium Götting. Nachr. 1864 p. 174.

At praeter illos titulos, quorum menses propter praescriptum Phocensium magistratum fuisse putamus Phocensium fastorum communium, exstant tituli, qui quoniam praebent archontes singularum ciuitatum, exhibere uidentur singularum ciuitatum menses.

Sed uidentur tantum. Singula oppida, quibus proprii menses quos adscripsimus fuisse uidentur, sunt haec:

Ambryssus;	δεύτερος	est Delphorum Dadaphorius W. et F. 274. 437; Hauss. Bull. V p. 397 sqq. no. 46.
Charadra;	ὄγδοος	est Delphorum Heracleus W. et F. 429.
Daulis;	δεύτερος	est Delphorum Dadaphorius Hauss. no. 47.
	ἕβ]δομος	C. I. 1725.
	δωδέκατος	C. I. 1732ᵇ.
Stiris;	τέταρτος	Lebas. 993; Bull. V p. 447.
Tithora;	τρίτος	Eph. A. III, 783 sq.; cf. Lebas. 823 sq.
	τέταρτος	„ 786; „ 825.
	πέμπτος	„ 783; „ 823.
	ἑνδέκατος	„ 785; „ 826.
	δωδέκατος	„ 783; „ 823.
Elatea;	πρᾶτος	est Boeotorum Alalcomenius C. I. 1569.

Apparet morem menses ex numeris designandi fuisse communem horum oppidorum et Phocensium fastis; contra ne

1) Ex diuersa fastorum Delphicorum ratione Latischewius (p. 127) non debuit colligere etiam ceteras Phocensium ciuitates suis ipsarum fastis usos esse. Scimus enim Delphos usos esse cum propriis fastis tum suis ipsorum legibus et institutis; cf. Schömanni Griech. Alterth. II, 77 et Hermanni Griech. Antiquit. I, 12, 15.

unum quidem tenemus propriorum mensium nominum exemplum.

Porro uidemus Delphorum Heraeum fuisse primum [1]) mensem et apud Phocenses et apud Ambryssenses, Charadraeos, Daulios, ut concludere liceat, ab eodem cardine etiam ceterarum Phocensium ciuitatum annos incepisse et idem anni initium omnium Phocensium fuisse commune. Quae cum ita sint, singulas quas attulimus ciuitates quamquam habuerant suos magistratus, tamen non propriis, sed Phocensium fastis communibus esse usas elucet; quin etiam propria illa mensium nomina quae attribuimus Phocensium fastis communibus unius esse indicia Phocensium calendarii, quod prius fuerat in usu quam menses ex numeris designarentur [2]) ueri simile est.

Ab illo autem qui uidetur constans fuisse consensu mensium Phocicorum et Delphicorum abhorret comparatio primi Elatensium mensis et Boeotorum Alalcomenii, quoniam Alalcomenius respondere solitus est Atheniensium Maemacterioni [3]), primus autem Phocensium mensis consentiebat cum Delphorum Heraeo i. e. cum Atheniensium Pyanopsione. Quam dissensionem ex intercalandi uarietate explicandam esse consentiunt uiri docti uelut Boeckhius ad C. I. 1569; Lipsius Studd. philol. Lips. u. III p. 213 sq.; Latisch. p. 51; et ipse ex hac mensium discrepantia p. 346 collegi Phocenses — et fortasse Delphos, siquidem probatur Mommseni sententia [4]) de utrorumque in intercalandis mensibus consensu, cui nihil obstare confiteor — intercalasse priore quam Boeotos anno.

1) Etiam Achaeos pro primo mense habuisse Delphorum Heraeum docet tit. W. et F. 109; unde patet ueram esse Nisseni de anni Achaeorum initio sententiam (kritische Unters. üb. die Quellen d. IV. et V. Dekade d. Livius p. 137); cf. A. Mommsen Philolog. 24, 17.

2) Latischewium (p. 11) secutus a Mommseno (Delphik. pp. 67. 79 sq. 263, 1) ita dissentio, ut arbitrer recentioribus demum temporibus menses ex numeris designatos esse; quoniam huius usus testimonia non ante alterum, quantum scio; a. Chr. saeculum inueniuntur; cf. Lebas.-Foucart. ad tit. 12; hui. diss. cap. III. A, 4 a.

3) Plut. Arist. 21; cf. hui. diss. p. 343 sq.

4) Delphik. p. 122.

3. *De Locrorum qui dicuntur Ozolarum fastis.*

a) De Locrorum fastis communibus.

Delphis:	apud Locros:	Delphis:	apud Locros:
Βουκάτιος	1. .	*Βύσιος*	7. . [5])
Βοαθόος	2. .	*Θεοξένιος*	8. *ὄγδοος* [6]) *Ποιτρόπιος* [7])
Ἡραῖος	3. .		
Δαδαφόριος	4. *τέταρτος* [1])	*Ἐνδυσποιτρόπ.*	9. *Πόκιος* [8])
Ποιτρόπιος	5. *Διονύσιος* [2])	*Ἡρακλεῖος*	10. *δέκατος* [9]) *Ἀγύειος* [10])
Ποιτρόπιος I.	? *Δινών* [3])		
Ἀμάλιος	6. *ἕκτος* [4])	*Ἰλαῖος*	11. .
		Ἀπελλαῖος	12. *Δωδέκατος* [11])

Apud Locros inuenimus eundem quem apud Phocenses obseruauimus duplicem menses distinguendi usum et eodem fere tempore eum ualuisse apparet ex titulis W. et. F. 354 et 363, quorum altero Pocius, altero mensis octauus exhibetur, quamquam utrique inscriptioni eidem et Locrorum et Delphorum magistratus praescripti sunt. Quem duplicem usum similiter atque eandem Phocensium consuetudinem Latischewius ita explicare studet (p. 117 sqq.), ut ea quae attulimus propria mensium nomina Physcensium fastis esse uindicanda censeat. Quae tamen sententia meo quidem iudicio stare non potest. Quamquam enim ii qui titt. W. et F. 186 et 354 seruos manumittunt, sunt Physcenses, tamen illam Latischewii legem non probo nisus titulo W. et F. 405 [12]), ubi qui manumisit is quidem est homo Amphissensis, sed Locrorum tamen affertur mensis, non Amphissensium; similiter titt. W. et F. 236 et 363 Tritenses

1) W. et F. 236. 432. 2) Ib. 186. 3) Ib. 243; Ruellius p. 527 censet Dinonem esse alteram Aetolorum Dii formam. 4) W. et F. 213.

5) Septimum locum E. Curtius Götting. Nachr. 1864 p. 176 assignauit Hermaeo mensi, non adscripto fonte, unde eum hausit; cf. Latisch. p. 127.

6) W. et F. 363. 7) Hauss. no. 39. 8) W. et F. 354.

9) Ib. 177. 10) Ib. 405. 11) Ib. 289.

12) Quem titulum Latischewius p. 114 sqq. plane neglexit. Scire uellem, quam patriam uir ille doctus assignaret Agyeo mensi, qui huic titulo debetur; ne Physcensibus attribuatur impedit, quod is quem tenet locus apud Physcenses Hychaeo est occupatus.

habent non Tritensium, sed Locrorum menses. Ceterum non constantem fuisse hunc conexum, quem inter mensis et eius qui manumisit patriam intercessisse putauit, Latischewius ipse sensisse uidetur; reuocat enim Locrorum Dinonem ad patriam magistratus qui dicitur eponymi, quem hominem Physcensem fuisse conicit, ita, ut etiam Dinonem attribuat Physcensium fastis.

Deinde ne unus quidem mensis ex illis quos [1]) Latischewius Physcensibus adscripsit, traditur fuisse Physcensis. Immo uero nusquam alibi redire eos quos Physcenses fuisse scimus infra patebit.

Denique ea quae titt. W. et F. 186. 243. 354. 405 praescripta sunt uerba 'ἀγωνοθετέοντος τῶν Λοκρῶν', 'ἐν δὲ Λοκροῖς ἀγωνοθετέοντος', 'βουλαρχέοντος τοῦ Λοκρικοῦ τέλεος ..' ad omnes Locros spectare apparet neque ullo modo fieri potest — id quod Latischewius uult —, ut haec permisceantur cum illis quae ad singulas Locrorum ciuitates pertinent, quoniam inter utrumque praescriptionum genus fit oppositio uelut titt. W. et F. 177. 432. 289. 243. Quibus de causis nego fieri posse, ut illa propria mensium nomina titt. W. et F. 186. 243. 354. 405 Locrorum fastis communibus abrogentur; quamquam quomodo illud quod inter Locros commune fuisse uidimus calendarium cum singularum Locrorum ciuitatum fastis consociari possit, non perspicio.

Ad hanc quam modo adumbrauimus difficultatem altera accedit de Dinonis sede dubitatio; qui mensis Delphorum Poetropio priori respondisse tit. W. et F. 243 traditur; exspectamus autem cum hoc mense consensisse Dionysium, qui in tit. W. et F. 186 cum Poetropio coniungatur. Nihilominus ut quaestio de Dinonis loco soluatur, de diuersis intercalandi cyclis potest ita cogitari, ut Dinonem aut Dionysium communi loco motum esse putemus; quas tamen in intercalandi rationes propter tantam de his rebus testimoniorum penuriam non potest accuratius inquiri. Ceterum similes de Laphriaei sede dubitationes eodem excitari qui hunc Dinonem continet titulo

1) Dinonem, Dionysium, Poetropium, Pocium.

in condendis fastis Aetolicis paulo infra uidebimus. Ad quas tollendas diuersae cum non suppeditent intercalandi rationes, in hoc titulo adhibendo summa opus esse uidetur cautione.

b) Physcensium et Tolophoniorum fastis.

apud Locros:	α) Physci: β) Tolophone:	apud Locros:	α) Physci β) Tolophone:
1.	.	7.	.
2.	.	8.	.
3.	.	9.	.
4.	α) Ἀράτνος [1]	10.	α) Ὑχαῖος [2]
5.	.	11.	.
6.	.	12.	β) Ἀπελλαῖος [3]

Physcenses et Tolophonios et ceteras Locrorum ciuitates habuisse idem anni initium, quod in Locrorum fastis communibus in usu fuisse uidimus, cum Latischewio (pp. 54. 121) conicio. Pro tradito Hychaei nomine ideo *Ὑλαῖος* scribit Latischewius (p. 126), quod nullum exstat Graecorum uerbum a litteris ΥΧ incipiens; et illud quod restituit mensis nomen interpretari conatur his Stephani Byz. s. u. *ὕλη·* uerbis: *"Ὕλη· ἔστι καὶ πόλις Λοκρῶν τῶν Ὀζολῶν ἧς τὸ ἐθνικὸν ὑλαῖος*; ita, ut de huius oppidi nomine Apollinis cognomen quoddam *Ὑλαῖος* [4]) originem duxisse fingat, de quo illud quod proposuit mensis nomen repetendum esse censet. Quae coniectura quamuis sit per se facilis, tamen uix potest probari, quod de illo Apollinis cognomine plane nihil constat. Alteram autem quam pro tradito Hychaeo proposuit scripturam [5]), parum probabilem esse Latischewius ipse sensit. Equidem traditum Hychaei nomen mutare eo minus audeo, quo plura Locrorum mensium nomina singularem prae se ferunt indolem et naturam uelut *Κοούτιος, Ἀμών, Δινών, Ἀράτνος*.

1) W. et F. 432. 2) Ib. 177. 3) Ib. 289.

4) Ut in uniuersum talem originem comprobet, affert Latischewius Apollinis cognomina haec: *Ἀκραίφιος, Γεργίθιος, Γρύνειος, Κύνθιος*, alia.

5) *Ἰλαῖος.*

c) De Amphissensium, Chaliensium, Tritensium, Oeanthensium, Anticyrensium fastis.

Delphis:	α) Amphissae:	β) Chalei:	γ) Tritaeae:	δ) Oeantheae:	ε) Anticyrae:
Βουκάτιος	1. *Ἀγραστυών* [1])	*Κάρειος* [11])	.	.	.
Βοαθόος	2. .	.	.	.	.
Ἡραῖος	3. .	*Κοούτιος* [12])	.	.	.
Δαδαφόριος	4. [*Βουκά*]*τιος* [2])	.	.	.	.
Ποιτρόπιος	5. *Παναγύριος* [3])	.	*Γιγάντιος* [17])	.	.
Ποιτρόπιος I.	*Παναγύριος* [4])	.	.	*Ἀπελλαῖος* [19])	.
Ἀμάλιος	6. *Γιγάντιος* [5])	.	. [18])	.	*Διονύσιος* [20])
Βύσιος	7. .	*Λύκειος* [13])	.	.	.
Θεοξένιος	8. *Ποιτρόπιος* [6])	*Ποιτρόπιος* [14])	.	.	.
Ἐνδυσποιτρόπ.	9. *Ποιτρόπιος* [7])	.	.	.	.
Ἡρακλεῖος	10. *Πόκιος* [8])	.	.	.	.
Ἰλαῖος	11. *Ἀμών* [9])	*μὴν Ἀπόλλωνος* [15])	.	.	.
Ἀπελλαῖος	12. *Πάναμος* [10])	*Ἀπελλαῖος* [16])	.	.	.

Ad Locrorum fastorum communium exemplum harum Locrorum ciuitatum annos a Delphorum Bucatio incipientes facio (cf. supra b), Bergkii sententiam de Amphissensium anni initio (p. 59) correcturus.

α) C. I. 1607 memoriam '*Αἰραστυών*' Wescheri et Foucarti titulis, quorum consensu *Ἀγραστυών* comprobatur, refelli E. Curtius (Gött. Nachr. 1864 p. 177) et Latischewius (p. 122) recte iudicauerunt; quamquam Airastyonis, de qua Hermannus (p. 44) et Bergkius cogitauerunt significatio propter Hesychii uerba '*αἰρασταὶ τινὲς ἄρχοντες*' eo commendari uidetur, quod Amphissensium primum hunc mensem fuisse aliqua cum probabilitate statuimus. Iam memorabilis est duplex illa sedes Amphissensium Poetropii cum Delphorum Theoxenio et Endyspoetropio comparati; quam duplicem responsionem ex uitio

1) W. et F. 247 sq. *Ἀγρεστ.* ib. 92. 428; *Ἀγροστ.* 215; *Ἀγρυστυεών* 256.
2) Hauss. Bull. V p. 397 sqq. no. 40. 3) W. et F. 163. 209; Hauss. no. 15. 41 sq. 4) W. et F. 164. 5) Ib. 426. 6) Ib. 360. 7) Ib. 224.
8) C. I. 1707. 9) W. et F. 19. 257. 10) Lebas. 959; a Ruellio omissus. 11) C. I. 1607. 12) W. et F. 69; cf. Hauss. no. 45. 13) Hauss. no. 43. 14) Ib. no. 44. 15) Lebas. 960; a Ruellio omissus. 16) W. et F. 262. 17) Ib. 148. 18) Tritensium fastis Ruellius p. 827 nescio quo iure inseruit Aratyum. 19) Ib. 243. 20) Ib. 442.

nescio cuius ducendam esse inconsiderate iudicat Mommsenus Delphik. p. 8, 1. Neque uero placet Latischewii opinio, qui p. 120 hanc discrepantiam ita explicare studet, ut singulos Amphissensium et Locrorum menses respondisse statuat binorum Delphorum mensium posteriori et priori parti, quam sententiam pugnare contra Graecorum consuetudinem menses a nouilunio incipiendi p. 329, 2 exposuimus. Immo uero hanc discrepantiam intercalandi uarietatis uestigium esse arbitror; cui discrimini indicio esse possunt etiam Chaliensium Apellaeus et Apollinis qui dicitur mensis, quorum ille cum Delphorum Apellaeo, hic cum eorundem Ilaeo comparatur, siquidem sumere licet ad eundem mensem spectare utramque notionem; cf. Latisch. p. 120 et hui. diss. p. 351, 4. Contra cetera exempla quae ad confirmandam sententiam de diuersis mensium Delphicorum et Locricorum initiis congessit Latischewius prorsus esse procul habenda censeo haec:

I.	Locrorum	Pocius	est	Delphorum	Endyspoetropius
	Amphissensium	„	„	„	Heracleus;
II.	Tritensium	Gigantius	„	„	Poetropius
	Amphissensium	„	„	„	Amalius;
III.	Locrorum	Dionysius	„	„	Poetropius
	Anticyrensium	„	„	„	Amalius;

quoniam incautius iudicare uidetur, si quis in tanta [1]) quantam inter singularum Locrorum ciuitatum fastos intercedere uidemus discrepantia, tamen apud omnes has ciuitates homonymos menses sibi respondisse sumit. Porro pro tradita lectione ΑΜΩΝ quamquam duplici titulo munita Latischewius (p. 124) propter obscuram huius nominis significationem scripsit ΑΛΙΩΝ, quod nomen sicut Cretensium Haliaeum ad Solis cultum spectare arbitratur. Neque uero cur contra duplicis tituli memoriam Latischewio adstipulemur, satis causae esse uidetur, praesertim cum id quod uir ille doctus restituit nomen non ita

1) Praeter nominum diuersitatem conferas Oeanthensium Apellaeum, qui est Delphorum Poetropius et Chaliensium Apellaeum, qui est Delphorum Apellaeus.

tutum sit; qua de re traditam scripturam quamuis obscuram seruandam esse censeo; cf. p. 332.

Atque hac data occasione monere liceat Dinonis et Amonis nominum posteriorem syllabam esse acuendam, id quod euincit analogia ceterorum quae in 'ών' exeunt mensium nominum.

β) Iudicium de Chaliensium Carei loco pendet ab illa quam p. 361 exposuimus sententia de Amphissensium Airastyonis forma, quocum mense Careus coniungitur tit. C. I. 1607; atque ut Chaliensium Apellaeum comparemus cum Delphorum Apellaeo non cum Amalio, id quod Curtius et Ruellius faciunt, suadet Chaliensium Apollinis qui dicitur mensis cum Delphorum Ilaeo collatus et Tolophoniorum Apellaeus cum Locrorum mense duodecimo i. e. Delphorum Apellaeo aequatus. De Chaliensium denique Apellaei sede inde monetur dubitatio, quod is Delphorum mensis, quocum confertur, euanuit praeter primam A litteram.

4. *Aetolorum, Callipolitarum, Naupactiorum fasti.*

Delphis:	α) apud Aetolos:	Delphis:	α) apud Aetolos: β) Callipoli: γ) Naupacti:
Βοαθόος	1. *Προκύκλιος* 1)	*Θεοξένιος*	7. *Ἑρμαῖος* 8)
Ἡραῖος	2. *Ἀθαναῖος* 2)	*Ἐνδυσποιτρόπιος*	8. *Διονύσιος* 9) β) γ)
Δαδαφόριος	3. *Βουκάτιος* 3)	*Ἡρακλεῖος*	9. *Ἀγύειος* 10)
Ποιτρόπιος	4. *Δῖος* 4)	*Ἰλαῖος*	10. *Ἱπποδρόμιος* 11) β)
Ποιτρόπιος I.	*Λαφριαῖος* 5)	*Ἀπελλαῖος*	11. .
Ἀμάλιος	5. *Εὐθυαῖος* 6)	*Βουκάτιος*	12. *Πάναμος* 12)
Βύσιος	6. *Ὁμολώιος* 7)		

1) W. et F. 179. 198. 316. 323; Hauss. Bull. V p. 397 sqq. no. 26.

2) W. et F. 318. 337. 376. 403. 417; Hauss. no. 16. 3) W. et F. 130. 321. 4) W. et F. 124. 145. 188. 199. 252. 304 (*Δεῖος*). 319 sq. 324. 333. 385 sq. 408.; Hauss. no. 15. 17. 23. 27 sqq. 31. 36. 5) W. et F. 243. 6) Ib. 285 sq. 329. 339. 362. 372. 407. 409; Hauss. no. 24. 30. 7) W. et F. 189. 330. 345 sq. 384. 404. 8) Ib. 80. 190. 377 sq. 388. 394. 422; Hauss. no. 18 sq.

9) W. et F. 204. 287; Hauss. no. 20. 32; apud Callipolitas W. et F. 100; apud Naupactios C. I. 1756. 10) W. et F. 64 (*Ἀγύεος*). 178. 294. 310. 313. 325. 328. 371. 379; Hauss. no. 21. 25. 11) W. et F. 322. 380. 382. 393. 411; apud Callipolitas Rang. 918 = Lebas. 908a. 12) W. et F. 74 sq. 91. 191. 223. 284. 335 sq. 359. 410. 416; Hauss. no. 22. 33 sq.; C. I. 1702.

Aetolorum annum facit summa cum probabilitate A. Mommsen a Procyclio incipientem. Idem uir doctus propter constantem quam uidemus Delphorum et Aetolorum mensium responsionem utrosque eodem usos esse intercalandi cyclo Delphik. p. 122 optimo iure docet. Sed tamen una quam plane praetermisit restat difficultas. Quid enim faciamus Laphriaeo mense, qui cum Delphorum Poetropio priore coniungitur, quamquam exspectamus cum eo consensisse Aetolorum Dium, quippe quem respondisse Delphorum Poetropio doceant uiginti tituli? Quibus ex angustiis qua uia effugiamus, non uideo (cf. p. 359 sq.), quoniam consensu ceterorum titulorum de intercalandi uarietate cogitare uetamur. Latischewii autem sententia (pp. 37. 41) certo caret fundamento, qui eiusdem fuisse mensis utrumque nomen arbitratur, ita, ut Macedonum Dius in Aetolorum calendarium irrepsisse et genuinus Laphriaeus paulatim obsoleuisse putandus sit. Nam ne unum quidem eiusmodi duplicis usus uestigium traditur memoriae; neque usquam alibi Macedonum mensium transitus in calendaria Graecorum genuina certis comprobatur testimoniis. Nam illam sententiam de Thessalorum et Halensium Panamo et Hadromio Latischewius suo Marte temptauit (cf. hui. diss. p. 332) et de Macedonibus Perrhaeborum Dium esse repetitum mera eiusdem uiri docti est coniectura [1]). Ceterum si quando Macedonum fasti superauerunt calendaria Graecorum genuina, certe nondum potest cogitari de principatu Macedonum mensium altero [2]) a. Chr. saeculo, quo exarati sunt tituli qui continent Aetolorum et Perrhaeborum Dium; traduntur [3]) enim menses Graecorum antiquitus proprii

1) Ut sit Dius repetendus de Macedonum fastis, sed unde diuersam hanc Aetolorum et Macedonum Dii sedem explicemus dubium est. Respondet enim Macedonum Dius Atheniensium Pyanopsioni, Aetolorum Dius Atheniensium Posideoni; cf. Ideleri Handb. d. Chronol. I p. 396; Herm. p. 101 sq.

2) Cf. A. Mommsen Philolog. XXIV p. 15; Wachsmuth. Mus. Rhen. XVIII (1863) p. 540 sq.

3) Cf. Ἀθήν. X (1881) p. 406 sq., ubi exstat titulus, qui Boeotorum Bucatium continet quemque in alterum uel tertium p. Chr. saeculum cecidisse Cumanudes docet; Act. Inst. Arch. VI (1881) p. 40 sqq.; cf. hui. diss. cap. IV. B, 1 c et f; Bull. V (1881) p. 70 sqq.; Lat. pp. 74. 149, 42.

etiam primi et alterius p. Chr. saeculi titulis. Denique Ruellius p. 827 unde hauserit Bomium mensem, quem quamquam dubitans undecimo loco inseruit, plane ignoro.

5. *De Doridis fastis.*

Delphis:	α) Erinei: β) Boei [1]):	Delphis:	α) Erinei: β) Boei:
Βοαθόος	α) *Ἀρχοστάσιος* [2])	*Θεοξένιος*	α) *Λάφριος* [3])
Ἡραῖος		*Ἐνδυσποιτρόπιος*	β) *Πόκιος* [4])
Δαδαφόριος		*Ἡρακλεῖος*	
Ποιτρόπιος		*Ἰλαῖος*	
Ἀμάλιος		*Ἀπελλαῖος*	
Βύσιος		*Βουκάτιος*	α) *Βουκάτιος* [5])

α) Erinensium annum ab Archostasio mense incepisse conicio cum Latischewio (p. 127), quamquam non tam confidenter profero hanc sententiam, quia nulla commendatur re nisi Archostasii nominis etymologia per se non ita certa. Neque enim ad hanc Archostasii etymologiam comprobandam multum ualet exemplum Cretum Metarchii [6]), quem mensem uir ille doctus in comparationem adhibet; praesertim cum num hoc quidem mense magistratus initi sint nesciamus. Ceterum nullum conspicitur fastorum Erinensium et Aetolorum similitudinis uestigium, unde utrosque idem habuisse anni initium concludi possit. Sed cum aliud subsidium constituendo Erinensium anni initio sit nullum, assentior quamuis dubitans Latischewio. Denique

1) '*Βοιόν*' scribitur a Stephano Byz. (ed. Meineke p. 172) ab aliis; cf. Bursian. Geogr. v. Griechenl. I p. 155; titulus autem, quem edidit Rhangabis no. 945, praebet '*ἐν δὲ Βοαῖς*', quam discrepantiam iam Rhangabis adnotauit. 2) W. et F. 365. 3) Ib. 54; Rang. 931 = Lebas. 920.

4) Rang. 945. 5) Hauss. Bull. V p. 397 sqq. no. 48.

6) Vide Ideleri Handb. d. Chronol. I, 426; Hermann. p. 98; conferatur nunc Dittenbergeri de Archostasii significatione sententia; qui Syllog. inscriptt. Graec. no. 294 ann. 5 censet mensem Archostasium esse 'eum sine dubio quo magistratuum comitia (*ἀρχαιρεσίαι*) haberi solent'. Quae etymologia si uera sit, Archostasius non tam pro primo anni mense quam inter ultimos sit habendus; cf. hui. diss. cap. III. A, 3 e.

Hermanni sententia, qui putat Laphrium esse Aetolorum mensem, non iam defenditur. Apud Phocenses enim, non apud Aetolos inuenimus Laphrium. Ruellii autem coniectura p. 827 arbitrantis Erinenses eosdem habuisse fastos ac Phocenses, parum ueri uidetur similis, cum nulla in re posita sit nisi in Laphrii nomine et sede.

6. *Acarnanum*

restat unus mensis

Κουροτρόπος tit. Cumanudis *Ἀθην.* I (1872) p. 253 sq.; cf. Lebas-Foucart p. 144 no. 194[d], Cauer.[2] no. 240; quo titulo nisus Cumanudes C. I. 1793[a] lectionem *Κουροπος* correxit; quam coniecturam probauerunt Cauer (no. 241), Ruellius (p. 832), Latischewius (p. 19).

Praeterea exstat mensis cuiusdam fragmentum tit. Lebas. 1041 *μηνὸς Βο . . . .*; fortasse *Βο[υκατίου.*

Caput III.

De fastis Doricis.

A. Ciuitates Peloponnesiacae cum coloniis.

1. *De Lacedaemoniorum, Heracleensium, Theraeorum, Cnidiorum fastis.*

Athenis:	a) Lacedaemone[1]:	b) Heracleae:	c) Therae:	d) Cnidi:
Πυανοψιών	1. .	? *Ἀπελλαῖος*[8]	.	.
Μαιμακτηριών	2. .	.	.	? *Βαδρόμιος*[14]
Ποσειδεών	3. .	.	? *Διόσθυος*[10]	.
Γαμηλιών	4. .	.	*Ἐλευσίνιος*[11]	.
Ἀνθεστηριών	5. .	.	*Δελφίνιος*[12]	.
Ἐλαφηβολιών	6. *Ἀρτεμίσιος*[2]	.	*Ἀρτεμίσιος*[13]	*Ἀρταμίτιος*[15]
Μουνιχιών	7. *Γεράστιος*[3]	.	.	.
Θαργηλιών	8. *Φλιάσιος*[4]	.	.	.
Σκιροφοριών	9. *Ἑκατομβεύς*[5]	.	*Ὑακίνθιος*[13]	.
Ἑκατομβαιών	10. *Ἡράσιος*[6]	.	.	.
Μεταγειτνιών	11. *Καρνεῖος*[7]	.	.	.
Βοηδρομιών	12. .	*Πάναμος*[9]	.	.

1)—15) Vide p. 367.

a) Lacedaemoniorum ephoros iniisse magistratus annique initium intercessisse inter Elaphebolionem exeuntem et hiemem aduenientem apparet e Thucydidis l. V c. 19 et 36. Sed utrum eorum annus habuerit initium a solstitio aestiuo an ab aequinoctio autumnali, res est controuersa; cf. Rinckii Religion d. Hellenen II, 47, Boeckhii Zur Gesch. d. Mondcyclen p. 87, Ungeri 'att. Kalend.' (Sitzungsber. d. bayr. Akad. ph.-ph. Cl. 1875 II) p. 62 ann.; 'Zeitrechn. d. Thuc.' (ib. 1875 I) p. 59 sq. ann. Ab Atheniensium autem Pyanopsione i. e. ab aequinoctio autumnali [1]) Lacedaemoniorum annum incepisse ueri est simillimum.

Scimus enim Carneum mensem ut apud Lacedaemonios, ita apud omnes fere Dores fuisse in usu et eum quidem, ubi-

1) *Λάφριος* mensis, qui exstat in Gytheatarum titulo a Newtone CXLIII edito, in Lacedaemoniorum fastis, quibus eum inseri Newton uult, uix habet locum. Occupatus enim est tertius quem Laphrius, ubicumque inuenitur, obtinet post brumam locus (cf. supra cap. II, 2 et 5). Gytheatarum igitur mensis ille fuisse uidetur uel Eleutherolaconum qui dicuntur, quorum temporibus decretum titulo illi inscriptum esse Newton iudicauit. — Aphrii formam per Duchesnii errorem e Laphrio esse ortam Newtonis at minime probanda est sententia. Aphrii enim nomen non uno Duchesnii comprobatur titulo, sed tribus Ussingii inscriptionibus, quae et a Bergade et a Duchesnio iterum sunt descriptae (cf. hui. diss. pp. 319. 334).

2) Thuc. V, 19. 3) Thuc. IV, 118 sq.; cf. Boeckhii Zur Gesch. d. Mondcyclen p. 86 sqq. 4) Steph. Byz. s. u. *Φλιοῦς*; Hes. s. u. *Φλυήσιος*. 5) Hesych. s. u. 6) Hesych. s. u. 7) Thuc. V, 54, 2; cf. Plut. Nic. 28 et Unger. Philolog. u. XXXIII p. 231. 8) C. I. 5774 sq. tab. I, 2 et 95. 9) Ib. u. 101. 10) C. I. 2448. IV, 1. VIII, 19. 11) Ib. II, 8. III, 4. 12) Ib. II, 32. IV, 26. 13) C. I. II p. 1086 no. 2465 f. 14) Newton, Halicarnassus, Cnidus and Branchidae p. 758 no. 44. 15) Lebas-Waddington no. 79; cf. C. I. 3052.

1) Latischewius quod p. 52 sqq. eos, qui Atheniensium Pyanopsionem pro primo mense habuissent, annum non ab aequinoctio autumnali (i. e. anno a. Chr. 381. 27/28 Sept.; cf. Boeckhii Sonnenkreise p. 388), sed ab occasu uergiliarum matutino (i. e. eodem anno 13/14 nou.; cf. Boeckh. l. l.) incepisse docet, me non habet assentientem. Est enim ueri simillimum annum non ab ipso cardinis die incepisse, sed a proximo eum insequente nouilunio, ita, ut primus mensis anni ab aequinoctio autumnali incipientis responderet Pyanopsioni, primus autem anni a matutino uergiliarum occasu incipientis Maemacterioni.

cumque fuerit, in idem anni tempus incidisse et Atheniensium Metagitnioni respondisse consentiunt uiri docti [1]) Thucydidis [2]) l. V c. 54 uerbis 'Καρνεῖος δ' ἦν μὴν ἱερομήνια Δωριεῦσι' nisi. Iam eis, qui hanc sententiam probant, colligendum est omnes qui Carnea celebrarent Dores eundem habuisse intercalandi cyclum. Cum autem constet Rhodios pro intercalari mense habuisse Panamum alterum, quem mensem etiam Lacedaemoniorum fuisse docent Heracleensium fasti, concludo [3]) ut a Rhodiis, ita a Lacedaemoniis et ceteris Doribus pro intercalari mense habitum esse Panamum alterum. Sed tabulae Heracleenses, quae dicuntur, non solum fuisse Panamum tradunt Heracleensium mensem, sed etiam suadent, ut eum collocemus iis temporibus, ubi frumentum et maturum et tritum erat [4]); ita, ut Hermanno assentiar, qui p. 124 ei assignat locum Carneo proximum. Quodsi Panamum alterum a Lacedaemoniis esse habitum pro intercalari mense eumque stetisse statim post Carneum et respondisse Atheniensium Boëdromioni sumimus, sextum aut duodecimum Lacedaemoniorum mensem fuisse Panamum sequitur, quoniam Graeci intercalares menses mensi sexto aut duodecimo addere solebant. Duodecimum autem fuisse eum mensem intellegitur ex Thucydidis locis supra laudatis. Quocum optime consentit duorum titulorum memoria, quorum altero (C. I. 5475) Gelensium Carneus fuisse traditur posterioris semestris, altero (C. I. 5491) Agrigentinorum Carneus adscribitur sexto bimestri.

Cum autem non solum Lacedaemoniorum, Gelensium, Agrigentinorum, Rhodiorum, sed etiam Cretum annum incepisse uideamus ab aequinoctio autumnali, concludere uelim inter Dores communia fuisse ut intercalandi cyclum, ita anni

---

1) Grote, Gesch. Griechenlands V² p. 258, 55; Unger, Philolog. l. c.; Latisch. p. 145. 2) Cf. Pausan. III, 5, 8 p. 216 Bekk.

3) His quidem causis adducor ad alterum mensem Panamum intercalandum; contra certa desidero de hac re testimonia; quae tamen exstare Schmittius auctor dissertationis Lipsiensis a. 1882 'quaestiones chronologicae ad Thucydidem pertinentes' p. 48 sibi finxit.

4) C. I. 5774 I u. 100 sqq.; Hermann. p. 73 sq.; cf. hui. diss. p. 348.

initium, praesertim cum plurimi fasti Dorici hunc anni cardinem admittant neque ulli obstent nisi Corcyraei et Tauromenitani, quos etiam aliis rebus a ceterorum Dorum calendariis discrepant. — Quibus de causis omnium Dorum quoad fieri potest fastos incipientes faciemus ab aequinoctio autumnali.

Porro facile potest consociari nostra de Lacedaemoniorum anni initio sententia cum Plutarchi loco (Agidis c. 13 sqq.), quem Latischewius primus, quantum scio, adhibuit ad statuendum Lacedaemoniorum anni initium. Ibi enim scriptor narrat eodem tempore autumnali Agesilaum et contra intercalandi cyclum anno addidisse mensem intercalarem et contra leges id studuisse, ut iterum ephorus crearetur. Verumtamen minime perspicio, quo iure Latischewius Carneo assignauerit duodecimum locum, Panamo primum. Cui sententiae primum obstat ceterorum fastorum Doricorum similitudo; tum displicet, quod uir ille doctus ad Dodwelli [1]) sententiam recurrens sibi sumit Lacedaemonios intercalare solitos esse alterum Carneum; ueri enim uidetur dissimile hunc mensem, quem Dores habebant pro sacro, duplicatum ac profanatum esse.

Iam Phliasii, Hecatombei, Herasii ordinem probo eum, quem Latischewius (p. 133 sqq.) proposuit; qui cum Ungero [2]) consentit de collocando Herasio [3]); ita autem dissentit ab eodem uiro docto, ut Hecatombei et Phliasii ordinem quem ille probauerat inuertat, eo potissimum usus argumento, quod Hyacinthia, quae mense Hecatombeo celebrata esse accepimus [4]), sibi persuasit Scirophorione acta esse, non Thargelione, id quod Ungerus demonstrasse sibi uisus est. Sed hanc de Hya-

1) Cf. Ungeri 'Zeitr. d. Thuc.' p. 59 ann. Sitzungsber. d. Münchn. Ak. 1875 I; Dodwellius ad alterum mensem Carneum intercalandum confugit, Thuc. (V, 76) locum explicans, ubi legimus statim post Carnea hiemem accidisse. Attamen haec quam proposuimus intercalandi ratio optime quadrat ad illum locum interpretandum, siquidem licet cum Ungero (cf. l. c.) statuere singulos illius anni menses uno loco propterea processisse, quod priore anno mensis intercalaris erat interpositus. Neque enim statuendum est anni et hiemis initia consensisse.

2) Philolog. u. XXXVII (1877) p. 18. 3) Cf. Droysenum Hermae u. XIV (1879) p. 1 sqq. 4) Hesych. s. u. Ἑκατομβεύς.

cinthiorum tempore quaestionem tractare longum est, praesertim cum Latischewius demonstrauerit inter eos locos, quos Ungerus attulerat ad suam sententiam firmandam, esse nullum, qui suae ipsius sententiae obstaret. Contra ad comprobandam illam Hecatombei sedem affero duo argumenta aliunde repetita.

Primum enim apparet ex Voemelii dissertatione 'de quo anni tempore in Attica *ἀκμάζοντος τοῦ σίτου* dicatur' apud Athenienses eum quo '*οἱ τῆς γῆς καρποὶ ἀκμάζουσιν*' mensem fuisse Thargelionem; cui respondisse ueri est simile Lacedaemoniorum Phliasium, quo fruges maturuisse Stephanus Byz. s. u. testatur his quidem uerbis: '*ἐν ᾧ τοὺς τῆς γῆς καρποὺς ἀκμάζειν συμβέβηκε*'. Tum Theraeorum titulus C. I. II p. 1086 no. 2465 f, ubi Artemisio et Hyacinthio mensibus primitiae quaedam illo ut uidetur aliae, hoc hordei et tritici modii quidam imperantur, Phliasium Hyacinthio ut anteponamus suadet; unde siquidem Hecatombeum respondisse Hyacinthio [1]) ponimus, Phliasium praecessisse Hecatombeo fit conclusio.

b) Latischewius cum Heracleensium menses ad condendos Lacedaemoniorum fastos non adhiberet, factum est, ut Lacedaemoniorum mensibus Rhodiorum adderet Thesmophorium pro Apellaeo, quem eis adscribendum esse censemus. Sed tamen ante omnia ad conficiendos Lacedaemoniorum fastos adhibendos esse Heracleensium menses persuasum habeo, quia a Tarentinis, Lacedaemoniorum colonis, eos duxisse originem scimus. Namque Apellaeum aut Panamum repetere a Thurinis, qui simul cum Tarentinis coloniam deduxerunt Heracleam, Apellaei terminatione et Panami tempestate, in quam eum incidisse uidimus, uetamur. Apud Iones enim, qui erant Thurini, Apellaeonis usurpatur forma et Panamus respondet Atheniensium Scirophorioni.

Heracleensium porro Apellaeus — siquidem Lacedaemonios, Heracleenses, Theraeos, Cnidios idem habuisse anni initium sumere licet, id quod hoc loco in uniuersum moneo — inter primos menses uel pro primo habendus uidetur esse.

---

1) Cf. Herm. p. 79 sq.

Nam aliquam probabilitatis speciem habet agros esse locatos iis ipsis temporibus, ubi arua cessarent et adesset sementis faciendae opportunitas; quam tempestatem incepisse a uergiliarum occasu matutino i. e. ab altero fere Heracleensium mense discimus ex Hesiodi opp. et dd. u. 383 sq.; cf. Ideleri Handb. d. Chronol. I p. 242 [1]). Quo conexu inter Apellaeum et anni tempora statuto utraque pars prioris tabulae Heracleensis cur eodem confecta sit Apellaeo mense apparet. Maxime enim erat haec anni tempestas locandis agris idonea.

c) Diosthyum, Eleusinium, Delphinium menses in uniuersum quidem eo sese excepisse quem cum Boeckhio, Hermanno (p. 117 sq.), Latischewio (p. 175 sqq.) dedimus ordine apparet ex C. I. 2448 argumento; sed alium post alium stetisse Latischewii probabilis est coniectura. Ut enim Delphinium statim post Eleusinium stetisse putemus, sententiarum conexus C. I. 2448, II suadet; cf. Bergk. p. 12 et hui. cap. B, 1 a; continuus autem commendatur Diosthyi et Eleusinii successus uerbis eiusdem tituli IV, 21 'ἀπὸ τοῦ πράτου πλείμματος', quippe quae cum acumine quodam dicta esse uideantur et illos sacrificiorum dies testamento praestitutos obseruari non potuisse prodant nisi summa adhibita festinatione. Ad quam sententiam confirmandam accedit, quod primus consanguineorum conuentus, qui quae opus essent ante omnia constitueret conuocatus est eodem Diosthyo, quo 'lex sodalium eius qui instituitur thiasi siue collegii' est facta; cf. tit. IV, 1 et VIII, 18 sq. Ad certum autem anni tempus hi menses referri possunt, siquidem Διόσθυος apud Eleos pro tradito 'Θωσυθιας' a Boeckhio recte est restitutus (cf. hui. diss. p. 347). Ceterum ad comprobanda haec Eleusinii et Delphinii loca nouum Latischewius sibi comparauit (p. 177) argumentum Oluntiorum fastis in comparationem adhibitis, ubi uterque sibi proximus deprehenditur (cf. cap. III. B, 3 c), quamquam sexto et septimo demum anni loco.

d) Badromio mensi alterum apud Coos ceterosque Dores anni locum attribuit Latischewius p. 168, Atheniensium Mae-

1) Eundem anni locum occupasse uidetur Oluntiorum Apellaeus; cf. hui. cap. B, 3 c.

macterioni eum respondisse ratus. Equidem deesse confiteor certa de Badromii loco testimonia. Si autem eosdem fuisse Lacedaemoniorum, Heracleensium, Theraeorum, Cnidiorum fastos probabitur, ut secundus qui unus restat anni locus assignetur Badromio facile poterit fieri.

Denique in duo semestria Cnidiorum annum esse diuisum ex C. I. tit. 2654 discimus.

2. *De Corinthiorum, Corcyraeorum, Syracusanorum, Tauromenitarum fastis.*

Athenis:	a) Corinthi:	b) Corcyrae:	c) Syracusis:	d) Tauromenii:
Πυανοψιών	1. .	.	.	10. *Δά*[*λιος*][5]
Μαιμακτηριών	2. .	.	.	11. *Ἀπολλώνιος*[6]
Ποσειδεών	3. .	.	.	12. *Δυωδεκαταῖος*[7]
Γαμηλιών	4. .	11. *Μαχανεύς*[2]	.	1. *Ἀρτε*[*μίσιος*][8]
Ἀνθεστηριών	5. .	12. *Εὔκλειος*[2]	.	2. *Διονύσιος*[9]
Ἐλαφηβολιών	6. .	1. *Ἀρτεμίτιος*[2]	.	3. .
Μουνιχιών	7. .	.	.	4. .
Θαργηλιών	8. .	.	.	5. .
Σκιροφοριών	9. .	.	.	6. *Ἀπελλαῖος α′*[10]
	.	.	.	*Ἀπελλαῖος β′*[10]
Ἑκατομβαιών	10. .	.	.	7. *Ἰ*]*τάνιος*[11]
Μεταγειτνιών	11. .	.	*Καρνεῖος*[4]	8. *Καρνεῖος*[12]
Βοηδρομιών	12. *Πάναμος*[1]	.	.	9. .
Incertae sedis:		*Ψυδρεύς*[3]		*Εὔκλειος*[13]

a) De Corinthiorum anni initio quamquam nihil constat, tamen nulla impedimur re, quominus idem arbitremur apud eos atque apud Lacedaemonios ualuisse anni principium; cf.

1) Ps.-Dem. de cor. 157. 2) C. I. 1845 uu. 1 sq. 48 sqq. 57. 59. 62. 98 sqq.; cf. Kirchneri de Andocidea quae fertur tertia oratione. dissert. inaug. Berol. 1861 p. 9 et Goetz. Act. soc. philol. Ritsch. II p. 342.

3) Vischeri Kl. Schr. II p. 13 sqq.; Newton. no. CLXVI. 4) Plut. Nic. 28; cf. hui. diss. p. 366, 8. 5) Wachsm. Mus. Rhen. XXIV p. 452 sqq. col. II, 1; *Δα*[*ρομίου*] Camarda; *Δαλ*[*ίου*] D. Comparetti N. Jahrbb. f. class. Philolog. IC 1869 p. 305 sqq.; cf. C. I. 5640 III, 2, 3 ΛΑΛΙΟΥ. 6) C. I. 5640 III, 2, 13; Wachsm. II, 18. 7) Ib. II, 33. 8) C. I. 5640 I, 1, 1. 9) Ib. I, 2, 1. 10) Ib. III, 1, 1 et 9 (*δεύτερος*). 11) Wachsm. l. l. I, 8; *Ταμίου* Camarda, D. Comparetti; cf. ΤΩΝΙΟΥ C. I. l. l. II, 1, 20; 7ϹΥΛΙΟΥ ib. III, 1, 17. 12) Ib. III, 1, 26; Wachsm. I, 23. 13) C. I. l. c. IV, 2, 9.

p. 368 sq. Atque ut ueniam ad Corinthiorum Panamum, etsi certum est[1]) illam qua is continetur mensis epistulam non esse genuinam, tamen eius de Panami tempore memoria non abhorret ab historiae fide, quoniam Panamum apud omnes, quantum scio, Dores respondisse uidimus (p. 368) Atheniensium Boëdromioni. Hermannus autem eum Panamum, qui schol. ad Pind. Nem. p. 426 ed. Boeckh. traditur, esse Corinthium ratus me non habet assentientem. Macedonicum[2]) enim mensem a scholiasta esse dictum multo ueri similius est, praesertim cum uirorum doctorum de Nemeorum tempore sententiae[3]) non tam cum ea cuius erat apud Dores Panamus tempestate, quam cum Macedonum Panamo Atheniensium Scirophorioni respondente[4]) possint consociari. Difficultates[5]) autem quae remanent tollere mea nunc non interest.

b) Deinde Corcyraeorum Artemitium, Machaneum, Eucleum hoc quidem ordine sese excepisse et illum fuisse primum, hos autem undecimum et duodecimum anni menses Corsinus demonstrauit (fast. att. II p. 415 sqq.) et probauit Hermanno. Porro ad Lacedaemoniorum Artemisii exemplum hos menses referendos esse ad certum anni tempus cum eodem Hermanno censeo; quamquam de anni initio illarum gentium fasti ualde inter se dissentiunt. Contra Tauromenitarum fasti ad Corcyraeorum aut aliorum populorum fastos condendos nihil fere ualent, quoniam singularis fuisse uidetur eorum natura ac ne Eucleus quidem occupare potest apud Tauromenitas eandem sedem, quam apud Corcyraeos eum habuisse accepimus.

Quo autem loco Psydreus mensis steterit, prorsus nescimus. Ac ne Vischeri quidem sententia, qui eum cum Argiuorum et Boeotorum Hermaeo i. e. cum Atheniensium Game-

1) Cf. Droyseni Hellenism. I², 2, 346.

2) Cf. schol. ad Pind. Olymp. VII, 147; Gorpiaeum, qui ibi legitur, esse mensem Macedonicum, non Rhodium primus uidit Boeckhius C. I. II p. 392ᵉ. Tum Droysenus (Hermae uol. XIV p. 7 sq.) contra Ungerum (Philolog. uol. XXXIV, 61) disserens hunc mensem denuo abrogauit Rhodiis.

3) Cf. Unger., Philolog. XXXIV p. 50 sqq.; Droysen. Hermae l. c.

4) Cf. Ideleri Handb. d. Chronol. I, 396; Herm. p. 101 sq.

5) Cf. Unger. Philolog. u. XXXIV pp. 52. 64 et Droysen. l. c.

lione comparandum proposuit, probata Roschero [1]) certis nititur testimoniis neque cum eo quem probauimus mensium ordine potest conciliari.

d) Iam Tauromenitarum mensium ordinem probo eum, quem Wachsmuthius (altera tabula) et Comparetti instituerunt. Priori Wachsmuthii tabulae hanc mensium seriem praeferendam esse censeo, quod Apellaeus, cum duplicatus sit, sextum sibi postulat anni locum; cf. p. 368.

ΛΑΛΙΟΥ denique uocabulum in C. I. 5640 III, 2, 3 et Λα apud Wachsmuthium II, 1 legi — ita, ut Dalii nomen facili coniectura reponatur — contra Latischewium est monendum; qui (p. 155, 51) Dalium a Tauromenitarum fastis remotum esse idcirco sibi finxit, quod ΛΑΛΙΟΥ uocabulum C. I. 5640 II, 1, 18 traditum in ΧΑΛΚΟΥ esse mutandum Franzius concesserat.

3. *De Megarensium, Calchedoniorum, Byzantinorum, Chersonesitarum, Astypalaeensium fastis.*

Athenis:	a) Megaris:	b) Calchedone: c) Chersonesi:	d) Byzantii:	e) Astypalaeae:
Πυανοψιών	.	.	*Μαλοφόριος* [6])	.
Μαιμακτηριών	.	b) *Μαχανεύς* [4])	*Μαχανεύς* [7])	.
Ποσειδεών	*τρίτος* [2])	b) *Πεταγείτνιος* [4])	.	.
Γαμηλιών	.	c) *Διονύσιος* [5])	*Διονύσιος* [8])	? *Ληναιοβάκχιος* [13])
Ἀνθεστηριών	.	.	*Εὔκλειος* [9])	*Ἰοβάκχιος* [14])
Ἐλαφηβολιών	.	.	*Ἀρτεμίσιος* [10])	*Ἀρταμίτιος* [14])
Μουνιχιών	.	.	*Λύκειος* [8])	.
Θαργηλιών	.	.	.	.
Σκιροφοριών	.	.	*Ὑακίνθιος* [11])	.
Ἑκατομβαιών	.	.	*Ἀγριάνιος* [12])	} ? *Εὔκ[λει]ος* ? [14])
Μεταγειτνιών	.	.	*Καρνεῖος* [8])	}
Βοηδρομιών	*Πάν[αμος]* [3])	.	.	.

1) 'Hermes der Windgott' p. 48. 2) Lebas.-Foucart. no. 12 = Rang. 704. 3) Ib. no. 17. 4) *Στ. Α. Κουμανούδης*, *Ἀθην.* VII (1878) p. 207 no. 2; cf. Dittenberger. Hermae u. XVI (1881) p. 164 sqq.; Sylloge inscriptt. Graec. no. 369; Latisch. p. 194 sq. 5) C. I. 3794; Cumanudes l. l. u. 20; apud Chersonesitas P. Foucart. Bull. V (1881) p. 71 sqq. 6) Maleforus est September: Papiae schol.; cf. Bröcker. Philolog. u. II 1847 p. 246 sqq.; C. F. Herm. Philolog. l. c. p. 262 sq.; Lat. p. 130 sq. 7) Machamus est December, Bröcker. p. 259; Herm. p. 263. 8) Papiae schol. l. c. 9) Eidios glossar. Portense; cf. Herm., Monatsk. p. 89; Philolog. l. l. p. 267; 'manuscrr. fortasse Eiclios' Lat. p. 129, 4. 10) Artemeisios Papiae sch. 11) Iatheos Papiae sch. 12) Agrantus, Papiae sch. 13) C. I. 2483 sq.; cf. Boeckh. ad h. t. 14) *Στ. Α. Κουμανούδης* Bull. VIII (1884) p. 22 sqq. *B.*

Unde horum fastorum anni ceperint initia nescimus; tamen propter causas p. 368 sq. expositas eo inclinat sententia, ut etiam harum ciuitatum annos incipiamus ab Atheniensium Pyanopsione. Cui sententiae ne Byzantinorum quidem fasti obstant, quos ab Artemisio i. e. ab Atheniensium Elaphebolione incepisse Latischewius propter fastorum Corcyraeorum similitudinem sumit. Neque enim de artiore utrorumque fastorum affinitate mihi est exploratum.

b) Eum Petagitnii, Dionysii, Machanei ordinem quem Dittenberger instituit ita inuertendum esse cum Latischewio censeo, ut Petagitnio et Dionysio anteponatur Machaneus. Cuius inuersionis cardo in explicanda 'πόϑοδος' notione uertitur; quod uerbum Dittenberger idem ualere atque reditum [1]), Latischewius autem idem atque aditum i. e. supplicationem uel pompam [2]) opinatur. Quam interpretationem sententiarum conexu commendatam idcirco censemus praeferendam esse, quod uerba 'πόϑοδος' (u. 27) et 'ἀνάϑεσις' (u. 22) sibi opponuntur et ut 'πόϑοδος' statim post uenditum sacerdotium accidisse uidetur, ita 'ἀνάϑεσις' instituta est post totum pretium solutum, cuius altera pars erat soluenda Petagitnio, altera Dionysio mense. Per complures enim menses illud sacerdotium fuisse uacuum propter tituli uersus 23 sq., unde cottidie fuisse apparet ornandum sacerdoti templum, parum est ueri simile. Accedit ad hunc Calchedoniorum mensium ordinem confirmandum Byzantinorum fastorum similitudo, qua haec commendatur mensium series. Ceterum eorundem exemplo assignatur Calchedoniorum mensibus certa anni tempestas.

d) Omnes Byzantinorum menses eo quo Papiae scholiis traduntur ordine affero, ita tamen, ut singulos Byzantinorum menses cum eis comparem Atheniensium mensibus, quos scimus desiisse singulis mensibus iulianis a Papia in comparationem adhibitis. Quam legem a Latischewio (p. 133) obseruatam fulciri uideo Artemisio, Hyacinthio, Eucleo mensibus,

1) 'Nequedum se eius interpretationis paenitere' Dittenberger Syll. inscriptt. Graec. p. 534, 18 profitetur. 2) Cf. Aristoph. Nub. 308; Pac. 396; Xenoph. Exp. Cyri VI, 1, 11; saepius.

quorum sedes Lacedaemoniorum et Corcyraeorum constituuntur exemplis. Quamquam igitur Papias in instituendis fastis suis leges quasdam uidetur secutus esse, tamen magnam in his scholiis adhibendam esse cautionem docet Carinus mensis cum Nouembri iuliano i. e. cum Atheniensium Pyanopsione comparatus; in Carino enim Carnei nomen latere Latischewius negare non debuit (p. 145), praesertim cum ipse dubitet ad comprobandum Carinum adhibere Pausaniae locum (I, 44, 2) uiris doctis iam pridem dubium, ubi Apollini inditur cognomen Carino. Cum autem Carneum contra omnium (cf. p. 367 sq.) fere Dorum consensum a Papia cum Pyanopsione collatum esse uideamus, de eis mensibus, qui non ferunt tam manifestam certi temporis notam, Papiae eo minor habenda erit fides; nisi forte eius memoria certis quibusdam comprobatur testimoniis aliunde repetitis. Quodsi quis Carneum eumque undecimo loco — ut seruetur illa de hoc mense lex — Byzantinorum fastis inserere uult, ei Malophorius[1]) est mouendus eo quem Papias praescripsit loco et collocandus prima, ut uidetur, anni sede, quae ab eo qui uiris doctis placuit Malophorii sensu[2]) non plane abhorret.

Qui denique mensis octauo steterit Byzantinorum anni loco nescimus neque satis commendantur Dalius aut Hermaeus, quorum alterum inserendum Latischewius p. 154 proposuit. Hermaeus nullam fere habet probabilitatem; Dalius autem, quamquam apud Rhodios et Coos inuenitur[3]), fastis Byzantinis uix potest attribui, quoniam parum similitudinis inter utrosque fastos intercedit; ceterum ne Tauromenitarum quidem Dalii quam p. 372 statuimus sedes Latischewii fauet sententiae.

e) Iam uero Astypalaeensium Artamitio tertiam quam apud

---

1) De hac Carnei et Malophorii inuersione cogitauit etiam Latischewius (p. 146).

2) 'Μαλοφόρος' esse Cereri mala praebenti cognomen consentiunt uiri docti: uelut Herm. Philolog. II, 262 sq.; Preller, Griech. Mythol. I, 633, 2; R. Meister, Griech. Dial. I, 222; Latisch. p. 130 sq.; alii. — De tempore quo mala maturescunt cf. Ungerum, Philolog. XXXIII p. 232.

3) Et ibi quidem Thargelioni respondisse uidetur; cf. hui. cap. B, 1.

ceteros Dores occupat post brumam sedem attribuo, etsi cum Amorginorum Anthesterione, quem homonymo Atheniensium mensi respondisse ueri est simile, Cumanudis titulo comparatur. Neque enim satis causae esse uidetur, cur uulgarem quem inuenimus Anthesterionis et Artamitii ordinem perturbemus, praesertim cum haec quam tenemus discrepantia diuersis Astypalaeensium et Amorginorum intercalandi rationibus facile potuit effici. Deinde Iobachchium mensem proximo ante Artamitium stetisse loco ex tituli argumento apparet. Astypalaeenses enim pecuniam aliquam certam Amorginis ea quidem condicione minore quam solebant faenore dant mutuam, ut proximi anni Iobachchio mense debitum soluatur. Si illo quidem mense non reddatur pecunia, grandius praestituitur faenus a proximi anni Artamitio soluendum [1]. Ita cum res se habeant, quis est qui ullum inter Iobachchium et Artamitium interfuisse mensem statuat? Contra de Euc[arp]i, quem restituit Cumanudes, forma et sede dubito. Quin etiam quoniam unde uir ille doctus hoc supplementum petiuerit nescio et nomen illud omni, quantum scio, exemplo caret, Euclei nomen malim restituere, qui mensis apud Byzantinos, Corcyraeos, Tauromenitas inuenitur. Sed etiam Eucleus restitutus habet difficultatem. Ille enim mensis, cuius nomen primo Cumanudis tituli uersu euanuit, eodem quo Eucleus apud Byzantinos et Corcyraeos stetisse uidetur loco non potest collocari. Nam inter illum et Iobachchium, quem altero post brumam loco collocandum proposuimus, Astypalaeensium anni cardinem intercessisse ex titulo apparet; apud Amorginos autem etiam Anthesterione cum Astypalaeensium Artamitio collato idem erat in officio magistratus, quem illi

1) Cumanudis tituli uersus 6—8, in quibus hunc quem adumbraui sensum inesse puto, a Ricardo Meistero monitus ita sumo esse restituendos: *ἐὰν δὲ μὴ ἀποδῶσιν Ἀρκεσινεῖς ἐμ μηνὶ Ἰοβαχχίῳ ἔ[τους τοῦ]* (Cumanudes scripsit *ε[ἰς]*) *μετὰ Χαρι|γένη δαμιοργὸν τόκον φερόντων* (quod uerbum R. Meister lapidi incisum esse his quidem litteris fingit: ΦΕΡΟΝΤΩΝ, ut deleta T littera facile exstet Cumanudis lectio ΦΕΡΟΝΙΣΟΝ) *Ἀρκεσινεῖς πέντε ὀβολοὺς ἐπὶ μνᾶ ἀπὸ μηνὸς Ἀρταμιτίου* | *[ἐπὶ]* (Cumanudes *καί;*) *δαμιοργοῦ ὃς ἂν μετὰ Χαριγένην δαμιοργῆι κ. τ. λ.*

Astypalaeensium mensi, cuius nominis fragmentum legitur, adscriptum uidemus. Non priore igitur loco ille Cumanudis Eucarpus stare potest, quam undecimo ante Artamitium i. e. quarto post brumam loco. Contra apud Corcyraeos et Byzantinos [1]) Eucleo alteram post brumam sedem magna cum probabilitate assignasse mihi uideor.

Quin etiam locus illius Astypalaeensium mensis corrupto nomine ita accuratius definiendus esse uidetur, ut is non priore quam septima nec posteriore quam nona post brumam sede collocandus sit, siquidem ut Dorum, ita Astypalaeensium annum a decimo et Amorginorum, sicut Atheniensium a septimo post brumam loco initium cepisse sumere licet [2]). Et quod proximi anni ʻδαμιοργός' qui dicitur magistratus nondum erat designatus Eucleo mense (quem restituere uelim), quo Astypalaeensibus de collocanda pecunia illa cum Amorginis conuenit, ueri est similius Astypalaeensium Eucleum, quem fingimus, Atheniensium Hecatombaeoni uel Metagitnioni quam Boëdromioni respondisse. Hic autem Euclei locus ualde abhorret ab eo loco, quem apud Corcyraeos et Byzantinos homonymo mensi assignandum esse putauimus. Certum igitur neque de nomine neque de mensis illius sede fieri potest iudicium.

---

1) De Tauromenitarum Euclei sede aliter est iudicandum. Sed tamen fasti Tauromenitani nullam habent comparationem, quoniam singularis fuisse uidetur eorum natura; cf. p. 373.

2) Astypalaeensium annum non ab Artamitio, sicut Corcyraeorum et Amorginorum annum non a primo post brumam mense, quo cardine complura calendaria Ionica utebantur, cepisse initium ex titulo apparet. Itaque nobis optio datur, utrum Amorginorum annum incipiamus a septimo, quo cardine Athenienses utebantur, an a nono post brumam mense, quem posterioribus quidem temporibus complures Iones habebant pro primo. Illud autem anni initium a solstitio aestiuo praeferendum esse censeo, quod non nisi grauissimis de causis ad alterum posteriorum temporum anni cardinem confugere uelim. Ceterum probato Amorginorum anni ab Atheniensium Boëdromione initio Astypalaeensium ultimum mensem fuisse Eucleum statuere dubito, quod duodecimo anni mense proximi anni magistratum nondum esse designatum ueri est non simile; cf. de creandorum magistratuum apud Athenienses temporibus Koehlerum i. Monatsber. d. Ak. d. W. 1866 p. 343 et Schoemanni Gr. Alterth. I^3 p. 414.

4. *De Argolidis et Aeginae fastis.*

Athenis:	a) Argi:	b) Troezenae:	c) Calauriae:	d) Aeginae:
Πυανοψιών	.	.	.	.
Μαιμακτηριών	.	.	.	.
Ποσειδεών	.	.	.	.
Γαμηλιών	*Ἑρμαῖος*[1])	.	.	.
Ἀνθεστηριών	.	.	.	*Δελφίνιος*[5])
Ἐλαφηβολιών	.	.	*Ἀρτεμίσιος*[4])	.
Μουνιχιών	.	*Γεραίστιος*[3])	.	.
Θαργηλιών	.	.	.	.
Σκιροφοριών	.	.	.	.
Ἑκατομβαιών	*Ἀρνεῖος*[2])	.	.	.
Μεταγειτνιών	.	.	.	.
Βοηδρομιών	.	.	.	.

a) Ab Atheniensium Pyanopsione incepisse Argiuorum annum mera est coniectura; cf. p. 368 sq. Contra Dodwelli sententia qui (cf. Herm. p. 85) ab aequinoctio uerno eum cepisse initium docet, etsi a Ruellio (p. 829) probata, minime placet. Porro de Hermaei sede ualde ambigitur; nam quamquam Plutarchi temporibus quartum anni locum tenebat, tamen Boeckhius recte monuit facile potuisse fieri, ut simul cum more menses nominibus designandi in obliuionem ueniret antiquum anni initium. Nihilominus acquiescimus in Hermanni sententia, qui Hermaeum cum Atheniensium Gamelione comparauit, quod [6]) Argiuorum annus antiquitus uidetur coeptus esse ab aequinoctio autumnali idemque anni principium in usu erat apud Achaeos, a quibus illum morem menses ex numeris significandi repetitum esse Latischewius [7]) p. 143, 28 optimo iure statuit.

---

1) Plut. de mul. uirt. c. 4 (Moral. ed. Duebner I p. 303, 50) *νουμηνίᾳ .. τοῦ νῦν μὲν τετάρτου, πάλαι δὲ Ἑρμαίου*; cf. Polyaen. strategem. VIII, 33; Boeckh., kl. Schriften V p. 193 sqq.

2) Phot. bibl. cod. 186 p. 134 Bekker.; cf. A. Schöll. N. Jenaische Allgem. Literatur-Ztg. IV 1845 no. 74 p. 294 sqq.; C. Fr. Hermann. Nachtrag z. d. Abhandl. üb. griech. Monatsk. p. 131; Bergk. p. 9 sq.

3) Athenaei l. XIV, 44. 4) Lebas. nó. 1754 u. 9; cf. Keil. Philolog. II Suppl. (1863) p. 622 sqq. 5) Schol. Pind. Nem. V, 81.

6) Ceterum cf. Vischeri Kl. Schr. II, 13 sq. et Roscheri Hermes der Windgott p. 48. 7) Cf. Dittenbergeri Syllog. inscriptt. Graec. p. 568, 7.

Quibus de causis ueri est simile Argiuorum menses occupasse easdem quas antea tenuerant sedes etiam illis quibus Achaeorum fasti praeualebant temporibus. Quamquam denique dies caniculares [1]) in Arneum incidisse Bergkio concedendum uidetur esse, tamen eum mensem ceterorum Dorum Carneo respondisse parum ueri simile est. Immo uero etiam apud Argiuos Carneum ualuisse eamque quam solebat sedem tenuisse admodum est probabile. Itaque Arneum comparare uelim cum Atheniensium Hecatombaeone, quo matutinum Sirii ortum accidisse scimus [2]).

c) Artemisium esse uere Calaureatarum mensem primus uidit Ahrens [3]), tum monuit Keilius [4]) contra Hermannum Lebasii inscriptionem aliter interpretantem.

d) Delphinium mensem ad Theraeorum fastorum analogiam quinto pono anni loco; ad cuius mensis sedem statuendam scholiastae ad Pind. Nem. V, 81 annotatio 'ἐν ᾧ ἴσως φησὶ γεγενῆσθαι τὰ Νέμεα', ut est summa cum cautione prolata, ne tum quidem faceret, si quo tempore Nemea acta essent sciremus [5]).

5. *De Sicyoniorum, Arcadum, Messeniorum fastis.*

Athenis:	a) Sicyone:	b) apud Arcades:	c) apud Messenios:
Πυανοψιών	.	.	.
Μαιμακτηριών	.	.	.
Ποσειδεών	.	*τρίτος* [7])	.
Γαμηλιών	.	.	.
Ἀνθεστηριών	*Δαίσιος* [6])	*πέμπτος* [8])	.
Ἐλαφηβολιών	.	.	*ἕκτος* [10])
Μουνιχιών	.	.	.
Θαργηλιών	.	*ὄγδοος* [9])	.
Σκιροφοριών	.	.	.

1) Cf. Athenaei l. III p. 99e; A. Schöll. l. l. 2) Cf. Boeckhii Sonnenkreise p. 412 sqq.; Mommseni Heort. p. 103; Delphik. pp. 134. 160.
3) De dialectt. II p. 555. 4) L. c. 5) Cf. Unger., Philolog. XXXIV p. 50 sqq.; Droysen., Hermae uol. XIV p. 1 sqq. 6) Plut. Arat. c. 53; cf. Ideleri Handb. d. Chronologie I p. 402, 2; Herm. p. 52 sq.
7) Lebas.-Foucart. no. 352 n. 8) Ib. no. 352 j u. 19.
9) A. Milchhoefer. Act. Inst. Arch. VI (1881) p. 304 II u. 5.
10) Lebas.-Foucart. no. 326a uu. 11. 116.

Athenis:	a) Sicyone:	b) apud Arcades:	c) apud Messenios:
Ἑκατομβαιών	.	.	.
Μεταγειτνιών	.	.	*ἐνδέκατος* 2)
Βοηδρομιών	.	*δωδέκατος* 1)	.

a) Sicyoniorum anni initium secundum Lacedaemoniorum fastorum exemplum instituimus; cf. p. 368 sq.

b) c) Quoniam anni in quos cadunt tituli huc pertinentes computantur 3) ex Achaeorum ratione, ab eorundem anni cardine i. e. ab aequinoctio autumnali (cf. p. 357, 1) etiam Arcadum et Messeniorum annos incipere licet.

B. Ciuitates maris Aegaei, Carpathii, Cretici.

1. *De Coorum, Nisyriorum, Calymniorum fastis.*

Athenis:	a) Coi:	b) Nisyri:	c*) Calymnae 15):
Πυανοψιών	1. *Ἄλσειος* 4)	.	*Ἄλσειος*
Μαιμακτηριών	2. *Βαδρόμιος* 5)	.	*Βαδρόμιος*
Ποσειδεών	3.* *Καφίσιος* 6)	.	*Καφίσιος*
Γαμηλιών	4. *Θευδαίσιος* 7)	.	*Θευδαίσιος*
Ἀνθεστηριών	5. *Πεταγείτνυος* 8)	.	*Πεταγείτνιος*
Ἐλαφηβολιών	6. *Ἀρταμίτιος* 9)	.	*Ἀρταμίτιος*
Μουνιχιών	7.* *Γεράστιος* 10)	.	*Γεράστιος*
Θαργηλιών	8.* *Δάλιος* 11)	.	*Δάλιος*
Σκιροφοριών	9.* *Ὑακίνθιος* 11)	.	*Ὑακίνθιος*
Ἑκατομβαιών	10. *Ἀγριάνιος* 12)	.	*Ἀγριάνιος*
Μεταγειτνιών	11. .	*Καρνεῖος* 14)	*Καρνεῖος*
Βοηδρομιών	12. *Πάναμος* 13)	.	*Πάναμος*

1) A. Milchhoefer. Act. Inst. Arch. VI (1881) p. 304 II uu. 14. 19.
2) Lebas.-Foucart. no. 326 a uu. 11. 116. 3) Ib. p. 164. 4) Hauvette-Besnault. Dubois Bull. V (1881) p. 222 sq.; cf. A. Papadopoulos-Kérameus ib. p. 338 sq.; Dubois Bull. VII (1883) p. 478 sq. u. 8. 5) Hauvette-Besnault. Dubois l. c. 6) Titulus ineditus, de cuius mensibus Latischewius (p. 160) litteris a Duboisio est certior factus; Newton CCXCIX u. 27.
7) Ross Inscriptt. Graec. Ined. III no. 311; cf. Bergk. p. 11 sqq.
8) Ross l. l.; cf. Hermann. Nachtrag z. d. Abhandl. üb. die griech. Monatsk. p. 131 sq. 9) Ross. no. 175; Hauv.-Besn. Dubois l. c. p. 238.
10) Titulus ined. cf. 6); nunc Bull. VII (1883) p. 478 sq. u. 15. 11) Tit. ined. cf. 6); O. Rayet. Annuaire de l'Association pour l'encouragement des études grecques IX (1875) p. 266 sqq. no. 10 col. VIII, 42. 12) Biograph. ed. Westermann. p. 450 (codd. *Ἀγριανός*; Hermann., Westermann. *Ἀγριάνιος*. 13) Hauv.-Besn. Dubois l. c.; fortasse Ross. tit. 311 A u. 22; Newton CCCXXXVIII. 14) Ross l. c. II p. 54 no. 166. 15) Dubois Bull.

a) c) De Coorum et Calymniorum anni initio aeque ac de Lacedaemoniorum anni cardine iudico; cf. p. 368 sq. Is autem quem praescripsimus ordo Coorum et Calymniorum mensium institutus est a Latischewio; cui assentior, quamquam aliis hic illic causis adductus ad eandem de mensium ordine sententiam.

Etenim Artamitio, Gerastio, Hyacinthio, Agrianio, Carneo, Panamo certa assignantur loca ad fastorum Lacedaemoniorum et Byzantinorum exempla. Deinde Theudaesio et Petagitnio mensibus, quippe qui incidere debeant in eam anni tempestatem, qua de hortorum quibusdam herbis [1]) potest cogitari quosque sese statim excepisse Bergkius rectissime censuerit, quarta relinquitur et quinta anni sedes [2]). Atque Badromio mensi apud Cnidios alterum anni locum cum probabilitate quadam posse attribui p. 371 sq. demonstrauimus. Iam Alseum mensem praecessisse Badromio ex inscriptione Bull. V p. 222 sq. apparet [3]) et Caphisium fuisse Badromio proximum ex inedito [4]) Newtonis titulo, quo Coorum Caphisius cum Calymniorum Badromio confertur, rectissime a Latischewio (p. 168) colligitur. Cum enim eosdem fuisse uideamus utriusque ciuitatis fastos et Calymniorum Badromium consensisse sumendum sit cum Coorum Badromio, illa quam Newtonis titulus prodit discrepantia non potest expediri nisi statuta intercalandi diuersitate. Sed tamen ea fasti non solent ita perturbari, ut bini menses separentur plus uno loco. Ceterum quodsi Alseo primus et

VIII (1884) p. 28 sqq.; qui uir d. olim litteris de huius tituli inediti mensibus Latischewium (p. 160 sq.) certiorem fecerat. Alii Calymniorum tituli, qui praeter hos quos attulimus Calymniorum menses — exceptis Caphisio, Gerastio, Dalio — Elaphrium, Caesarem Sebastum, Tiberium praebent, apud Newtonem 'The collection etc.' CCXLV—CCCXXII exstant; ad quos iam in 'Journal of hellenic studies' II p. 362 sqq., quem librum inspicere nobis non licuit, Newton prouocauit; cf. Latisch. p. 160.

1) Quas Theudaesio mense exstitisse ex Rossii tit. 311 A u. 14 discimus.

2) Cf. Mommseni Delphik. p. 77.

3) Siquidem ponere licet (cui sententiae nihil obstat) omnes tres menses, qui hic afferuntur, fuisse eiusdem anni.

4) Nunc apud Newtonem 'The collection etc.' no. CCXCIX u. 26 sq.

Caphisio tertius assignatur anni locus, unus restat octauus Dalio mensi.

c) Eorum denique qui supersunt Newtonis tituli mensium (cf. p. 381, 10) *Καῖσαρ Σεβαστός* et *Τιβέριος*, cum posterioris prae se ferant temporis notam procul habendi sunt; quid autem Elaphrio mense faciendum sit non liquet: eum in Calymniorum quales nunc sunt fastis non habere locum constat (cf. Latisch. p. 161).

2. De Rhodiorum eorumque coloniarum fastis.

Athenis:	a) Rhodi[1]: b) Gelae: c) Agrigenti:
Πυανοψιών	1. *Θεσμοφόριος*[2])
Μαιμακτηριών	2. *Βαδρόμιος*[3])
Ποσειδεών	3. *Διόσθυος*[4])
Γαμηλιών	4. *Θευδαίσιος*[5])
Ἀνθεστηριών	5. *Πεδαγείτνυος*[6])
Ἐλαφηβολιών	6. *Ἀρταμίτιος*[7])
Μουνιχιών	7. *Σμίνθιος*[8])

1) In uniuersum addo ex infinita figlinorum copia pauca me sumpsisse exempla; plura testimonia hauriuntur ex C. I. indice VI, B p. 47, 34 et ex his commentationibus: Th. Mommsen. Ztschr. f. Alterthumsw. 1846 no. 97 sq. — L. Stephani. Index Schol. in Uniuers. litterarum Caesarea Dorpat. per semestre II a. MDCCCXLVIII hab. — I. L. Stoddart. Transactions of the Royal Society of Literature sec. ser. u. III (1850) p. 1 sqq. IV p. 1 sqq. — Io. Franz. Philolog. u. VI (1851) p. 278 sqq.; C. I. III praef. — P. Bekker. Mélanges Gréco-Romains I p. 416 sqq.; N. Jahrbb. f. class. Philol. Suppl. IV p. 451 sqq. V p. 445 sqq. X pp. 3 sqq. et 207 sqq. — E. Miller. Rev. Archéol. XXII (1870/71) p. 94 sqq. XXIX (1875) p. 374 sqq. — Dumont. Archives des Missions scientifiques II. sér. VI (1871) p. 76; quo libro uti mihi non licuit; Rev. Arch. XXV (1873) p. 317 sqq. — *Τάσσος. Δ. Νέρουτσος. Ἀθην.* III (1874) pp. 213 sqq. et 441 sqq.

2) C. I. 8518, 4 etc.; A. Papadopoulos-Kérameus. Bull. V (1881) p. 338; Max. Collignon, ib. VII (1883) p. 96 sq. 3) C. I. 8518, 33 etc.

4) C. I. 2525 C. u. 1; C. I. 8518, 83 etc.; Ross. Hellenika p. 113 sqq. no. 47. 5) C. I. 8518, 5; Iules Martha, Bull. II (1878) p. 615 sqq.

6) C. I. 8518, 14 etc.; cf. Dittenberger. Hermae u. XVI (1881) p. 165, 1.

7) C. I. 8518, 3 etc.; Max Collignon l. l. u. 1. 8) C. I. 3656. 8518, 9 etc.; Papadopoulos l. l. p. 339.

Athenis:	a) Rhodi: b) Gelae: c) Agrigenti:
Θαργηλιών	8. *Δάλιος* [1])
Σκιροφοριών	9. *Ὑακίνθιος* [2])
Ἑκατομβαιών	10. *Ἀγριάνιος* [3])
Μεταγειτνιών	11. *Καρνεῖος* [4]) b) c)
Βοηδρομιών	12. *Πάναμος* [5])
	Πάναμος β' [6])

De Rhodiorum anni initio conferas p. 368. Ad Coorum autem et Calymniorum fastorum normam illam statuit Rhodiorum mensium seriem Latischewius [7]) (p. 168 sq.) et mihi probauit. Porro Diosthyo non sine aliqua probabilitate assignatur tertius quem apud Theraeos occupasse uidetur locus, et primus Thesmophorio quem primo apud Cretes stetisse anni loco statim uidebimus; ita, ut Sminthio mensi septimus relinquatur locus. Quae cum ita sint, eo facilius Stoddarti (l. c. III p. 38) repudiatur argumentatio, qui ex singulorum mensium in figlinis frequentia de eo quo steterint anni tempore posse conclusionem fieri putat, quoniam Vitruuius (II, 3) et Plinius (nat. hist. XXXV, 49) optime tempore autumnali et uernali lateres fingi docent. Quam argumentationem fallacissimam esse censeo, cum Rhodiorum diotae quamquam satis multae exstant, tamen ad talem conclusionem non suppeditent. Paucis denique monendum est cum hoc quem proposuimus Rhodiorum mensium ordine titulum facile posse conciliari nuperrime a Collignone editum, ubi Artemisius et Thesmophorius ita exhibentur, ut inter utrumque intercessisse appareat anni initium.

1) C. I. 8518, 8 etc. 2) C. I. 2525 C. uu. 68. 85. 8518, 7 etc.; Ross. Hellen. p. 112 no. 45; A. Papadopoulos l. l. pp. 332. 339. 3) C. I. 8518, 18 etc.; Lebas-Waddington 2789 B. 4) C. I. 8518, 6 etc.; Papadopoulos l. l. p. 338; apud Gelenses C. I. 5475: '*ἁλίασμα τᾶς δευτέρας ἑξαμήνου, Καρνείου κ. τ. λ.*'; apud Agrigentinos C. I. 5491: '*ἁλίασμα ἕκτας διμήνου Καρνείου κ. τ. λ.*'. 5) C. I. 5379. 5380 ef. 8518, 34 etc.; Lebas-Waddington. 2789 A. 6) C. I. 5381 c. 5382. 5654. 5658. 7) Ruellium p. 832 cum Dumontio tulisse Franzianum mensium ordinem pro Stoddartiano Latischewius primus uidit.

Posidonium, ut hoc addam, quem mensem esse Hermannus p. 76 uoluit, remouit Stephani p. 17 et neque Schoellii[1]) 'Diodotos' ad Hermanni Posidonii exemplum excogitatus, neque Hermanni 'Lycius', quem ex Doruilli Sicul. p. 579 no. 14 ΝΕΙΚΙΑΛΥΚΙΟΝ repetendum proposuit[2]), potest defendi; quippe quae locutio conferenda esse uideatur cum his, quibus praecedere solet magistratus cuiusdam nomen, '*Κνιδίων, Θασίων, Παρίων, Ἰκίων, Μαμερτίνων*'[3]), quae ubi confecta sint illa in quibus incisae sunt figlina designant. Cnidium denique mensem, quem coniecerat, Franzius ipse rectissime deleuit[4]).

3. *De Cretum fastis.*

Athenis:		a) Lati:	b) Cnosi:	c) Olunte:	d) Hierapytnae: e) Bianni:	f) Priansi: g) Dreri:
Πυανοψιών	1.	*Θεσμοφόριος*[5])	*Νεκύσιος*[5])	*Ἀπελλαῖος*[5])	.	? *Κομνοκάριος* g)[13])
Μαιμακτηριών	2.	*Θερμολαῖος* ?[6])	.	*Ἡραῖος*[6])	.	? *Ἁλιαῖος* g)[13])
Ποσειδεών	3.	.	.	.	.	.
Γαμηλιών	4.	.	.	.	.	.
Ἀνθεστηριών	5.	.	.	.	.	.
Ἐλαφηβολιών	6.	*Θιοδαίσιος*[7])	*Σπέρμιος*[7])	*Ἐλευσύνιος*[7])	*Ἐλ[ευσύνιος]* ? e)[10])	.
Μουνιχιών	7.	...*αρ..ωβιαριος* ?[8])	*Καρ.νιος* ?[9])	*Δελφίνιος*[8])	.	.
Θαργηλιών	8.	.	.	.	.	.
Σκιροφοριών	9.	.	.	.	.	.
Ἑκατομβαιών	10.	.	.	.	? *Ἱμάλιος* d)[11])	? *Δρομήιος* f)[11])
Μεταγειτνιών	11.	.	.	.	.	.
Βοηδρομιών	12.	.	.	.	.	.
Incertae sedis:		.	.	.	...*δάκιος* d)[12])	.

1) N. Jenaische Allg. Literatur-Ztg. 1845 p. 295. 2) Philolog. uol. II (1847) p. 263; G. A.[2] 68, 37. 3) C. I. III p. II sq. IV, 8518. 4) C. I. III p. 1251, P 675b. 5) Homolle Bull. III (1879) p. 290 sqq. u. 56 sqq.

6) C. I. 2554 u. 206 sqq.; pro traditis uerbis ΕΤΕΩΘΕΡΜΟΛΑΙΩ Boeckhius *ἐ[ν Λα]τ[ῷ] Θερμολαίῳ*; cf. Herm. p. 62; Bergk. 55. 7) C. I. 2554 u. 4 sqq.; Homolle l. l. u. 6 sqq., quo ex loco in C. I. titulo modo citato Thiodaesii nomen restituit (p. 303 ann.), ut Hermanni coniectura '*Θαλλόσιος, Θαλύσιος, Θειλούθιος*' (Gottesd. Alterth.[2] 67, 36) caderet.

8) Homolle l. c. u. 20 sqq. 9) Ib.; *Καρώνιος* coniecit Homollius.

10) ΕΛΓ Lebas-Waddington 77; *Ἐλ[ευσύνιος* satis probabiliter Latischewius p. 177. 11) C. I. 2556 u. 2 sqq. 12) C. I. 2562 u. 20; fortasse *Θεοδαίσιος*: Hermannus p. 96. 13) Hermann. Philolog. IX (1854) p. 694 sqq.; Papasliotis, Archaeol. Ztg. XIII (1855) p. 57 sqq.; Rang. no. 2477; W. Vischer Mus. Rhen. X (1856) p. 393 sqq. et Kl. Schr. II p. 104 sqq.

a)b)c) Thesmophorium, Necysium, Apellaeum fuisse primos Latiorum, Cnosiorum, Oluntiorum menses Homollius satis acriter collegit ex titulo, quem l. l. edidit. Et cum hos menses Atheniensium Pyanopsioni respondisse ex eiusdem tituli uersibus 43 sq. discamus, nouum accedit argumentum ad comprobandam nostram de Lacedaemoniorum et ceterorum Dorum anni initio communi sententiam; cf. p. 368 sq. Neque enim illos Cretum menses Atheniensium Pyanopsioni praecurrisse nec siquidem praecurrerunt, eos plus paucis diebus et illo quidem anno praecurrisse cum Latischewio statuere cogimur; quam discrepantiam fuisse constantem minime habemus exploratum. Immo illam Latischewii sententiam de annorum ab aequinoctio autumnali incipientium cardine supra p. 367, 1 impugnauimus. Ac ne hemerologium quidem Florentinum [1], quod facit Thesmophorionem [2] a. d. 23 m. Septembris incipientem, Thesmophorium antiquioribus temporibus respondisse Atheniensium Boëdromioni euincit. Neque enim ulla erit huic hemerologio fides habenda, quamquam Homollius eius auctoritate aliquantum nisus est. Nam recentiorum temporum fuisse illud calendarium ex eo apparet, quod antiquioribus temporibus non uno eodemque calendario, sed suis ipsarum fastis singulas Cretum ciuitates uidemus esse usas; quorum ex mensibus hemerologii calendarium uidetur ita esse contextum, ut singuli menses antea sibi respondentes — quoniam erant diuersorum fastorum — postea separarentur et compluribus quidem locis uelut Thesmophorius et Necysius [3]). Praeterea illa uicissitudine, quam prodit hemerologium triginta et triginta unius dierum mensium, ad unam eandemque normam Romanam illud calendarium esse institutum demonstratur.

Oluntiorum porro Delphinium eosque qui illi respondent Latiorum et Cnosiorum menses septimo collocandos esse anni loco Homollius rectissime ex tituli uersibus 20 sqq. conclusit; idemque uir doctus, quod Thiodaesio, Spermio, Eleusinio sex-

1) Ideleri Handb. d. Chronol. I, 426; Herm. p. 98. 2) Ut ea quam hemerologium praebet forma utar. 3) Hemerologii Thesmophorion incipit a. d. 23 m. Septembris, Necysius a. d. 24 m. Iulii.

tum attribuit anni locum, propter uersus 5 sqq. cum uersibus 15 sqq. collatos me habet assentientem.

a) Contra Homollium, qui refutata Boeckhii C. I. 2554 uersus 208 emendatione (cf. hui. diss. p. 385, 6), Eteothermolaeum quod traditur seruari uult, Boeckhii emendationem satis commendari moneo. Nam et oppositione 'ἐν Λατῷ' notio, quam Boeckhius restituit requiritur et quid syllabae illae mensis nomini praemissae sibi uelint eo minus perspicitur, quod Thermolaei nomen sanam habet significationem [1]). De ea enim oppositione quam inter hunc Eteo-Thermolaeum et Thermolaeum intercessisse Hermannus putauit, ne Homollius quidem cogitasse uidetur. Profecto Hermanni sententia non potest defendi; neque enim Graecorum fuisse uidetur mos, ut communem mensem discernerent ab intercalari hoc quidem additamento; neque usquam, quantum scio, ubi tale quid [2]) conspicitur, id mensis nomini praemissum est. Ceterum pro intercalari a Cretibus esse habitum Thermolaeum mènsem eo quem huic mensi cum Homollio assignauimus loco putare uetamur; cf. hui. diss. p. 368). Hermanni autem et Homollii dubitationes de Boeckhii emendatione non grauiores uidentur esse. Nam ea quam Hermannus sensit uerborum ordinis inconcinnitas facilius toleratur, quam uerba 'ἐν Λατῷ' desiderantur. Et si quis huius [3]) condicionis 'in quam describentium incuria titulus deprauatus est' [4]) rationem habuerit, is Boeckhii emendationem facile probabit.

d) Himalius et Dromeus Atheniensium aut Thargelioni aut Scirophorioni aut Hecatombaeoni respondisse uidentur, siquidem Himalium 'non posteriorem fuisse quam fere decimum' anni mensem Boeckhius C. I. II p. 406 recte docet et Hermanni probatur sententia, qui p. 64 hunc mensem in id anni tempus, quo messis fiebat, incidisse putat. Himalii autem nomen latere in corrupta hemerologii florentini lectione 'Eiman' idem Her-

1) Cf. Bergk. p. 55 sq. 2) Velut πρότερος — δεύτερος, ἐμβόλιμος; cf. C. I. 5640 III. 5654. 5658; Rev. Arch. XXXI (1876) p. 253 sqq.; Bull. III (1879) p. 462, 95. 3) Cf. Boeckh. C. I. II p. 406 sqq. ad uu. 7. 10. 30 sqq. 208. 4) Cauer. delectus¹ p. 53.

mannus summa cum probabilitate coniecit[1]); quam coniecturam ad traditas litteras propius accedere quam Heraeum, quem reponere uoluit Homollius (l. c. p. 306), per se patet. Theodaesii denique nomen in C. I. 2562 u. 20 cum Hermanno restituere idcirco ualde dubito, quod teste Boeckhio Constantino Magno recentior hic titulus est et uerba πρὸ [γ̄ Καλανδῶν] u. 18 ab eodem uiro docto reposita de Romanorum mense quodam, qui exciderit, intellegenda uidentur esse.

g) Comnocarium et Haliaeum Dreri oppidi fuisse menses mihi quidem certum est; quoniam ne alterum fuisse alterius oppidi et utrumque secum consensisse cum Vischero putemus, 'ἢ' particula impedit inter utrumque mensis nomen interposita. Quamquam autem de utriusque sedibus ambigitur, tamen Comnocarium ab Haliaeo esse statim exceptum contra Hermannum[2]) cum Papasliote[3]) indicare uelim. Et fortasse ita progrediendum est, ut Comnocarium putemus fuisse primum, Haliaeum alterum anni mensem. Apparet enim ex tituli uersibus 20 sq. illos menses protinus cosmorum qui dicuntur abdicationem esse consecutos; quam ultimo Dreriorum mense accidisse ueri est simile, siquidem ut ceterorum Cretum[4]), ita Dreriorum magistratus ciuitati praeerant per unum annum. Quodsi Dreriorum annum incepisse sumimus ab eodem quem ceteri Cretes adhibebant cardine, Comnocarium cum Atheniensium Pyanopsione, Haliaeum cum Maemacterione comparare licet. Quae de Comnocarii loco sententia si probabitur, Latischewii cadet coniectura Comnocario eandem significationem et sedem[5]) attribuentis (p. 21) atque Amphissensium Pocio mensi. Neque tamen incertam hanc de horum mensium sedibus sententiam tamquam exploratam profero, sed scholiastae ad Pind. Ol. 7, 147 adnotationem de Haliorum sollemnium tempore contra hunc quem attribuimus Haliaeo locum pugnare concedo. Cum enim illa Halia acta esse ueri sit simillimum

1) G. A.[2] 67, 35; cf. Dittenb. Hermae u. XVI p. 168, 1. 2) Philolog. u. IX p. 696. 3) Archaeol. Ztg. XIII (1855) p. 64. 4) Polyb. VI, 46; cf. Homollium l. c. ad u. 56. 5) Amphissensium Pocius respondet Delphorum Heracleo i. e. Ath. Thargelioni cf. p. 361.

ipso Haliaeo mense, Macedonum Gorpiaeum, in quem incidisse illa sollemnia scholiasta docet, consensisse exspectamus cum Haliaeo, id quod ex nostra argumentatione minime efficitur. Attamen in quod anni tempus singuli Macedonum menses posterioribus quidem saeculis inciderint parum [1]) constat, quam ut illud scholiastae testimonium ad statuendum certum Haliaei locum adhiberi possit. Itaque in ea de Comnocarii et Haliaei sedibus sententia, quam hausimus ex tituli argumento et ex ceterorum Cretum fastorum analogia perstare cautius erit, quoad certiora suppeditent ad hanc quaestionem soluendam testimonia.

Vischer quod in tituli uersu 6 latere suspicatus est Bisionem mensem, falsus esse uidetur; et ipse difficultatem quam haec habet interpretatio tetigit; ceteri autem uiri docti '*Βισιωνος*' quod traditur uocabulum habent pro hominis nomine.

C. Singulorum oppidorum menses.

1. Dodonae:

**Γαμίλιος*, Carapanos 'Dodone et ses ruines' I p. 114 [2]); cf. Latisch. p. 15.

2. Rhegii:

**Ἵππιος*, Cosimo Stornaiuolo Bulletino dell' Instituto di corrispondenza archeologica. 1878. p. 125 sqq.; cf. Latisch. p. 30.

3. Zeleae:

Ἡραῖος et *Ἀ[π]ατ[ούρι]ος*, Lolling. Act. Inst. Arch. VI p. 229 uu. 16 sq. 23 sq.

Lollingii de horum mensium sedibus sententia aliquam habet probabilitatem. Qui Heraeum fuisse putat unum ex primis anni mensibus et Apaturium post Heraeum proximum. Quodsi hunc Apaturium incidisse sumimus in idem anni tempus atque Ionum Apaturionem, Heraeus Atheniensium Pyanopsioni et Apaturius eorundem Maemacterioni respondet.

---

1) Cf. Ideleri Handb. d. Chronol. I p. 405 sq.; Hermann. p. 102 sq.

2) Titulus incipientis alterius a. Chr. saeculi.

Caput IV.

De fastis Ionicis.

A. Athenae cum Cycladibus.

1. De Atheniensium, Deliorum, Teniorum fastis.

a) Athenis [1]:	b) Deli [6]:	c) Teni:
1. Ἑκατομβαιών [2])	7. Ἑκατομβαιών	? Ἀπελλαιών [12])
2. Μεταγειτνιών	8. Μεταγειτνιών	Ἡραιών [13])
3. Βοηδρομιών	9. Βουφονιών [7])	Βουφονιών [14])
4. Πυανοψιών [3])	10. Ἀπατουριών	[Κυανοψιών]
5. Μαιμακτηριών	11. Ἀρησιών	? Ἀπατουριών [15])
6. Ποσειδεών	12. Ποσειδεών	Ποσειδεών [16])
6ª. Ποσειδεών β' [4])		
7. Γαμηλιών	1. Ληναιών	[Ληναιών]
8. Ἀνθεστηριών	2. Ἱερός [8])	Ἀνθεστηριών [17])
9. Ἐλαφηβολιών	3. Γαλαξιών [9])	[Ταυρεών]
10. Μουνιχιών [5])	4. Ἀρτεμισιών	Ἀρτεμισιών [18])
11. Θαργηλιών	5. Ταργηλιών [10])	Ταργηλιών [19])
12. Σκιροφοριών	6. Πάνημος [11])	? Ἐλειθυαιών [20])
incertae sedis:		πρώτη ἑξάμηνος [21])

1) Cf. C. Bötticher Philolog. u. XXII (1865) p. 385 sqq.

2) '*Κρονίων* (!) *πρῶτον καλούμενος*' Etym. M. s. u. *Ἑκατομβαιών*; cf. Plut. Thes. 12; Herm. p. 66. Intercalatum aliquando esse Hecatombaeonem apparet e titulo quem ediderunt Eustratiades, *Ἀθην.* VIII p. 405 sqq. et Foucartus, Bull. IV p. 225 sqq.; cf. Lipsium Studd. philol. Lips. III (1880) p. 207 sqq. et Sauppium Indicis schol. acad. Gotting. per semestre hiemale 1880/81 hab. p. 3 sqq. Etiam apud Imbrios deprehenditur Hecatombaeon (Bull. VII 1883 p. 154); id quod hoc quidem loco addo, quia ciues Athenienses, qui ibi agros publice diuisos possiderent, usos esse Atheniensium fastis ueri est simile.

3) Pyanopsionis formam esse praeferendam multifariam docent tituli; cf. Bergkii p. 64 sqq.; Ahrentem Mus. Rhen. XVII (1862) p. 366; Cauerum Curtii Studd. u. VIII p. 276. 4) Altero post Christum saeculo *Ἀδριανιών*; cf. Bergk. N. Jahrbb. f. class. Philol. 79 (1859) p. 193 sq. et A. Mommsen Heortolog. p. 318***. 5) Exeunte quarto a. Chr. saeculo Munichioni erat nomen *Δημητριών*; Plut. u. Demetrii c. 12; cf. Bergk. l. c. p. 194.

6)—21) Vide p. 391.

b) Quod Homollius et Latischewius (p. 35) arbitrantur Deliorum et Atheniensium menses sibi non plane respondisse, sed omnes Atheniensium menses quindecim diebus menses Delios praecurrisse, falsi [1]) esse uidentur. Immo uero Clodio assentior, qui intercalandi uarietate explicandas esse censet illas Atheniensium et Deliorum mensium comparationes secum pugnantes, ad quas excusandas uiri illi docti excogitauerunt miram illam utriusque ciuitatis mensium rationem. Manifestum enim est ol. 86 anno tertio, quo Deliorum Buphonionem rediisse uidemus ad Atheniensium Metagitnionem, Athenienses iam intercalasse; Delios non item.

Contra annis ol. 100, 4 et 101, 2 utriusque ciuitatis menses eo quem exspectamus ordine sibi respondebant; unde quaestio fit, utrum his quidem temporibus Delii amplexi sint eandem quam Athenienses intercalandi rationem an obtinuerint suum ipsorum intercalandi cyclum, quo antea eos usos esse uidimus. Quam quaestionem etsi solui non posse confiteor, tamen resisto Clodio sentienti Delios amplexos esse Metonis undeuiginti

---

6) Omnes Deliorum menses comparent titulo Homollii (Bull. V 1881 p. 25 sqq.) eo quem damus ordine. 7) C. I. A. I, 283 (Boeckh. kl. Schr. p. 453 sqq.), tit. a. ol. 86, 3 (434/3), Buphonion = Metageitnion.

8) Huius mensis nomen addita uoce 'μήν' (cf. Clodii p. 21) explicandum esse uidetur (cf. hui. diss. p. 348), ita ut Latischewius (p. 18) non debuerit hoc nomen numerare in illis, quorum formae pugnant cum ceterorum eiusdem ciuitatis mensium nominibus (cf. hui. diss. p. 342).

9) Idem mensis nomen occurrere uidetur in C. I. 2953^b titulo incertae originis, quem Delium esse nunc consentiunt uiri docti; cf. Homollium, Bull. II p. 333 sq. II; Clod. p. 22. 10) C. I. 158 tit. anni olymp. 100, 4 (377/76): Θαργηλιών = Ath. Θαργηλιών; Ioseph. Antiquit. XIV, 10, 14.

11) Panamus = Ath. Scirophorion, tit. anni ol. 101, 2 (375/4) ined., ad quem relegat Homollius l. c. 12) C. I. 2338 nuperrime a Newtone no. CCCLXXVII descripti u. 15. 13) Ib. uu. 22. 28. 14) Ib. uu. 35. 103. 109. 113, quem uersum uu. dd. uariis temptauerunt coniecturis; cf. Boeckhium, Hermannum, Ahrentem. 15) Ib. uu. 38. 40. 101. 16) Ib. uu. 43. 45. 17) Ib. 48; facilis Ahrentis coniectura Newtonis apographo comprobata. 18) Ib. uu. 2. 48. 65. 67. 19) Ib. 69. 20) Ib. u. 75 Ahrentis ΕΛΕΙΟΥΛΙΩΝ. 21) Lebas. 1839. 1841. 1843 sq.

1) Cf. supra pp. 329, 2. 346.

annorum cyclum, quamquam non ab eodem anno atque Athenienses. Nam cum etiam posterioribus illis annis Delios suis ipsorum fastis et suo anni initio usos esse uideamus, nulla re cogimur idem atque Clodius sentire. Ceterum patet — siquidem sumimus Delios uno anno post Athenienses solitos esse intercalare et cum Boeckhio [1]) habemus a. ol. 101, 1 pro Atheniensium anno intercalari — fieri potuisse, ut discrepantia mensium Deliorum et Atheniensium, quam ex Atheniensium duplicato Posideone a. ol. 101, 1 accidisse ponimus, proximo anno plane compensaretur duplicato Deliorum Posideone et Deliorum Panamus cum Atheniensium Sciro'phorione consentiret, quam responsionem communis mensium ordo tulit. Quam ad rationem intercalandi illustrandam adscribo has tabulas:

Athenis:	Deli:	Athenis:	Deli:
a. ol. 100, 4.			
11. *Θαργηλιών*	5. *Ταργηλιών*	9. *Ἐλαφηβολιών*	4. *Ἀρτεμισιών*
12. *Σκιροφοριών*	6. *Πάνημος*	10. *Μουνιχιών*	5. *Ταργηλιών*
a. ol. 101, 1.		11. *Θαργηλιών*	6. *Πάνημος*
1. *Ἑκατομβαιών*	7. *Ἑκατομβαιών*	12. *Σκιροφοριών*	7. *Ἑκατομβαιών*
2. *Μεταγειτνιών*	8. *Μεταγειτνιών*	a. ol. 101, 2.	
3. *Βοηδρομιών*	9. *Βουφονιών*	1. *Ἑκατομβαιών*	8. *Μεταγειτνιών*
4. *Πυανοψιών*	10. *Ἀπατουριών*	2. *Μεταγειτνιών*	9. *Βουφονιών*
5. *Μαιμακτηριών*	11. *Ἀρησιών*	3. *Βοηδρομιών*	10. *Ἀπατουριών*
6. *Ποσειδεών α'*	12. *Ποσειδεών*	4. *Πυανοψιών*	11. *Ἀρησιών*
6a. *Ποσειδεών β'*	1. *Ληναιών*	5. *Μαιμακτηριών*	12. *Ποσειδεών α'*
7. *Γαμηλιών*	2. *Ἱερός*	6. *Ποσειδεών*	12a. *Ποσειδεών β'*
8. *Ἀνθεστηριών*	3. *Γαλαξιών*	7. *Γαμηλιών*	1. *Ληναιών*
		etc. cf. supra p. 390.	
		12. *Σκιροφοριών*	6. *Πάνημος*

Sed quorsum tam multa de Deliorum intercalandi ratione? Ut intellegatur minime esse exploratum de eorum annorum cyclo neque de Atheniensium et Deliorum intercalationum congruentia, quam posterioribus quidem annis fuisse Clodius arbitratus est.

c) Newtonis noua tituli C. I. 2338 descriptione summae quas titulus praebuit difficultates non sunt sublatae; immo etiam nunc haec inscriptio est satis lacunosa et lapide accu-

1) Mondcyclen p. 28.

ratius inspecto subsidium, quo nisus iam Boeckhius[1]) mensium qui enumerantur seriem definire conatus est, irritum esse apparuit. Quattuor enim annorum fuisse uidebantur emptorum tabulae quae illo titulo continentur; cuius rei archontum quae uersibus 1. 74. 103. 109 plerumque satis mutilatae legebantur praescriptiones fuerunt indicia. Nunc autem omnes uenditiones scimus esse factas eodem magistratu, cuius nomen (Ἀμεινόλας) u. 1 iam pridem restitutum redire uersibus 103 et 109 uidemus et Archum, cuius nomen legitur u. 74, praeteriti cuiusdam anni fuisse magistratum Newton feliciter coniecit. Sed tamen emptorum tabulae si non plenam, at certam, ut uidetur, Teniorum mensium seriem praebent. Menses enim, qui in titulo semel atque iterum comparent eo quo traduntur ordine compositi sunt hi: Artemision, Apellaeon, Heraeon, Buphonion, Apaturion, Posideon, Anthesterion, Artemision, Targelion, Elithyaeon, Heraeon, Buphonion, Apaturion. Quem ordinem satis ad Deliorum ceterorumque Ionum mensium seriem quadrare elucet. Itaque homonymis mensibus eadem loca assignamus, quae apud illos eos occupare scimus; qua re etiam ceterorum qui alibi non redeunt mensium loca adumbrantur, uelut Apellaeonis et Heraeonis, qui Buphonioni antecedunt et Elithyaeonis, qui inter Targelionem et Heraeonem fuisse uidetur, ita tamen, ut sit dubium, utrum Apellaeon Elithyaeoni anteponendus an postponendus sit.

Deinde primo, tertio, decimo post brumam loco Lenaeonem, Taureonem, Cyanopsionem collocandos — ceterorum fastorum Ionicorum exempla secutus — propono. Contra nihil certi de Teniorum anni initio statuere licet. Neque enim quamquam annum apud Iones antiquioribus quidem temporibus aut a primo aut a septimo post brumam mense initium cepisse scimus, utrum Artemisionem an Buphonionem in primis anni mensibus numeremus discernitur, quorum uterque mensis proximis post praescriptum archontem locis affertur (uu. 2. 103. 109). Quae enim leges in praescribendo magistratu sint obseruatae non perspicio.

1) Ad C. I. 2338 et Kl. Schr. V p. 470.

2. *De Myconiorum, Ceorum, Naxiorum, Andriorum, Pariorum fastis.*

Athenis:	Deli:		a) Myconi:	b) Cei:	c) Naxi:	d) Andri: e) Pari:
Ἑκατομβαιών		11.	Ἑκατομβαιών [1])	.	Ἑκ]ατομβαιών [4])	.
Μεταγειτνιών		12.	.	.	.	.
Βοηδρομιών	Βουφονιών	1.	.	.	.	.
Πυανοψιών	Ἀπατουριών	2.	.	.	.	.
Μαιμακτηριών	Ἀρησιών	3.	.	Μαιμακτηριών [2])	.	.
Ποσειδεών		4.	Ποσιδεών [1])	.	.	Ποσ]ιδεών [7]) d
Γαμηλιών	Ληναιών	5.	Ληναιών [1])	.	.	.
Ἀνθεστηριών	Ἱερός	6.	? Βακχιών [1])	.	.	Ἀνθεστηριώ[illegible]
Ἐλαφηβολιών	Γαλαξιών	7.	.	.	.	.
Μουνιχιών	Ἀρτεμισιών	8.	.	.	Ἀρτεμισιών [5])	. .
Θαργηλιών		9.	.	.	Θαργηλιών [6])	Θ[αργηλιώ]ν [illegible]
Σκιροφοριών	Πάνημος	10.	.	.	.	.
incertae sedis:			.	Ἑρμαιών [3])	.	. . . ιών [10]) d)

a) Cumanudi, qui Myconiorum annum a Posideone incepisse statuit [1]), non assensus sim, quamquam eum suo iure hoc a Posideone anni initium proposuisse Dittenberger Syllog. inscriptt. Graec. no. 373 censet; nam rectissime negat Clodius (p. 28) 'in hac inscriptione primorum quoque mensium sacrificia enumerari' necessarium esse. Contra id tantum satis probabiliter statuitur menses eo, quo traduntur ordine successisse, quoniam nullum uidemus intercedere magistratum.

Nihilo tamen minus etiam haec mea sententia habet difficultatem; quae tamen explicari posse uidetur. Titulus enim praebet menses ita ordinatos: *Ποσιδεῶνα, Ληναιῶνα, Βακχιῶνα, Ἑκατομβαιῶνα,* ut neque Lenaeonem neque Hecatom-

1) Ἀθην. II (1873) p. 237 sqq., qui titulus lacunosus exstat Lebas no. 2058. 2) C. I. 2360, 3. 3) Rang. no. 677, 33.

4) Bull. VIII (1884) p. 22 sqq. A. u. 1. 5) C. I. II p. 1079.

6) C. I. 2265; coni. Bergk. p. 25 sq.

7) C. I. II p. 1018 sq.; cf. Herm. p. 83. 8) C. I. add. no. 2374[b].

9) C. I. 2374, 39 sq.; cf. Herm. p. 105; Homollo Bull. V (1881) p. 29; fortasse in C. I. 2265; cf. Bergk. l. c.; Ahrent. p. 342; Mommsen. Heortol. p. 427; Clod. p. 26.

10) Act. Inst. Arch. I (1876) p. 236.

baeonem pro primo habere liceat, quamquam ut alterutrum primo anni loco collocemus suadent fastorum Deliorum et Atheniensium exempla. Restat igitur ut putemus Myconiorum annum tempore quidem ante Christum proximo, quo titulum illum exaratum esse Cumanudes [1]) censet incepisse a Boëdromione. Quam ad sententiam de Myconiorum anni initio non deduceremur, si Latischewium (p. 140, 22) sequeremur, qui hos quos titulus praebet menses sese ita consecutos esse putat, ut Hecatombaeon congrueret cum Atheniensium Elaphebolione. Sed cum haec Hecatombaeonis sedes careat omni exemplo, malo confugere ad illud anni initium, quippe quod posterioribus quidem temporibus apud Cyzicenos, Lampsacenos, Prienenses ualuisse sciamus [2]).

Hoc quem commendauimus mensium ordine probato certius iudicari potest de Bacchionis situ, ut quem mensem inter Lenaeonem et Hecatombaeonem stetisse uideamus. Neque enim quidquam impedit, ne eum cum Latischewio coniungamus cum Atheniensium Anthesterione; quamquam ille etiam Elaphebolioni responderi potest, quo Athenis quidem sollemnia Dionysi sacra agebantur. Quod iudicium de anni initio et mensium successione si uerum est, potuit u. 39 nullius mensis nomen nisi duodecimi euanescere; cui tamen quod nomen fuerit nescimus.

b) Mommseni [3]) sententia statuentis Ceorum calendarium esse formatum ad Atheniensium calendarii effigiem refellitur inuento Hermaeonis nomine. Hermaeonis autem sedes est incerta. Neque enim Lacedaemoniorum Phliasius, quocum Ahrens (p. 359) Hermaeonem comparari uoluit, ut erat uterque Mercurii sacer, neque Boeotorum Hermaeus, quem Clodius (p. 31) in comparationem adhiberi uult, satis ualent ad collocandum Ceorum aut Halicarnassensium Hermaeonem; cf. hui. cap. B, 5.

1) L. l. p. 242: '*ἐν τοῖς πρὸ Χριστοῦ Ῥωμαϊκοῖς χρόνοις*'.
2) Cf. Herm. pp. 91 sq. 100. 107 et hui. cap. B, 1. 2. 3.
3) Heortol. p. 103.

B. Asiae ciuitates Ionicae cum coloniis.

1. *De Mileti eiusque coloniarum fastis.*

Athenis:	Deli:	a) Mileti: b) Olbiae:	c) Sinopae: d) Cii: e) Apolloniae:	f) Cyzici:
Ἑκατομβαιών		.	.	11. Πάνημος [9]
Μεταγειτνιών		.	.	12.
Βοηδρομιών	Βουφονιών	Βοηδρομιών [1] b)	.	1. [Βοηδρομιών
Πυανοψιών	Ἀπατουριών	.	.	2. Κυανοψιών
Μαιμακτηριών	Ἀρησιών	Ἀπα]τουρεών [2] b)	.	3. Ἀπατουρεών
Ποσειδεών		.	.	4. Ποσειδεών [12]
Γαμηλιών	Ληναιών	.	Ληναιών [6] d)	5. Ληναιών [12]
Ἀνθεστηριών	Ἱερός	Ἀνθεστη[ριών [3]) b)	Ἀνθεστηριών [7] d) e)	6. Ἀνθεστηριών
Ἐλαφηβολιών	Γαλαξιών	.	Ταυρεών [8] c)	7. Ἀρτεμισιών
Μουνιχιών	Ἀρτεμισιών	Καλαμαι[ών [4] a) b)	.	8. Ταυρεών [14]
Θαργηλιών		.	.	9. Θαργηλιών [15]
Σκιροφοριών	Πάνημος	* Πάνημος [5] b)	.	10. Καλαμαιών

f) In condendis fastis Cyzicenis [16] Clodius duplex quiddam peccasse uidetur. Primum enim plane neglexit Thargelionem, quem Cyzicenum esse mensem docent duo tituli. Tum non obseruauit Taureonem statim successisse Artemisioni, id quod e Mordtmanni titulo apparet, siquidem 'prytanes qui quoque mense fuerant, ii iam insequente mense ἐκαλλίασαν' [17]. Quibus titulis adhibitis quamquam maiorem attulimus componen-

1) C. I. 2059. 2) Ib. 2083. 3) Ib. add. 2083 b. 4) Apud Milesios: Arch. Ztg. no. 34 (1876) p. 128 cum quarto Romanorum mense collatus; quem titulum neglexit Clodius; apud Olbiopolitas C. I. 2082 Καλαμαι[ών. 5) Teste Latischewio Bull. dell' Instit. 1876 p. 61. 6) Lebas-Waddingt. 1140. 7) C. I. 3723; Lebas-Waddingt. 1076; Cianorum Anthesterionem omisit Clodius. 8) Tit. ined., ad quem relegat Mordtmannus Act. Inst. Arch. VI (1881) p. 50; cf. Samiorum Taureonem. 9) C. I. 3663 A: Panemus post Calamaeonem proximus. 10) C. I. 3662. 11) Ib. 3661. 12) Ib. 3664: Posideon, Lenaeon, Anthesterion hoc quidem ordine compositi. 13) C. I. 3657; Act. Inst. Arch. l. c. p. 45 II b: Artemision Taureone exceptus. 14) Ib.; C. I. 3657, 13. 3658. 15) E. Curtius, Monatsber. d. preuss. Ak. Berlin 1874 p. 7 sqq.; Act. Inst. Arch. l. l. p. 42 no. 1 b. 16) Cf. Ahrent. p. 329 sqq. 17) Boeckhii sunt uerba C. I. II p. 920 extr.; Kl. Schr. V, 69; cf. Lat. p. 32; Newton. The collection etc. p. 119.

dis fastis Cyzicenis lucem, tamen difficultates quasdam manere confitemur. Neque enim Artemisionem neque Calamaeonem neque Panemum eis stare uidemus locis, quae ceterorum fastorum Ionicorum exemplis commendantur, et Calamaeonem duobus locis abesse ab eo quem apud Milesios tenuit loco apparet. Tamen has discrepantias animaduertisse satis est, quoniam ut eas explicemus non potest fieri. Ceterum fasti Cyziceni non solum horum mensium sedibus discrepant a ceteris fastis Ionicis, sed etiam anni initio [1]).

2. *De Ephesiorum, Prienensium, Teiorum, Iasensium fastis.*

Athenis:	Deli:	a) Ephesi:	b) Prienae:	c) Tei: d) Iasi:
Ἑκατομβαιών		.	11. .	.
Μεταγειτνιών		**Μεταγειτνιών* [2])	12. .	.
Βοηδρομιών	*Βουφονιών*	.	1. *Βοηδρομιών* [9])	.
Πυανοψιών	*Ἀπατουριών*	.	2. .	.
Μαιμακτηριών	*Ἀρησιών*	.	3. .	*Ἀπατουριών* [11]) d)
Ποσειδεών		*Ποσειδεών* [3])	4. .	*Ποσειδεών* [12]) c)
Γαμηλιών	*Ληναιών*	*Ληναιών* [4])	5. .	.
Ἀνθεστηριών	*Ἱερός*	**Ἀνθεστηριών* [5])	6. *Ἀνθεστηριών* [10])	? *Ἀφροδισιών* [13]) d)
Ἐλαφηβολιών	*Γαλαξιών*	.	7. .	*Ἐλαφηβολιών* [14]) d)
Μουνιχιών	*Ἀρτεμισιών*	*Ἀρτεμισιών* [6])	8. .	.
Θαργηλιών		**Θαργηλιών* [7])	9. .	.
Σκιροφοριών	*Πάνημος*	.	10. .	.
incertae sedis:		*Ἁγντιών* [8])	.	*Γηφοριών* [15]) d)

1) Cf. Herm. p. 91 sq.; Bergk. p. 29; Latisch. p. 53; hui. diss. p. 395, 2.

2) Wood, Discoveries at Ephesus; Inscriptions from the great theatre no. 23. 3) C. I. 3028; Wood. l. l. no. 1 col. 1. 6, 58; from the city and suburbs p. 12 u. 1 saepius; cf. C. Curtius Hermae u. IV (1870) p. 201.

4) Iosephi Antiquit. XIV, 10, 12; Wood l. l. Inscriptions from the city and suburbs p. 12 sq. saepius. 5) Wood. l. l. Inscr. from the great theatre no. 1 col. 6 u. 77; cum Romanorum februario collatus.

6) C. I. 2954 A. = Lebas-Waddington 137; unde corrigitur Iosephi (XIV, 10, 25) memoria '*Ἀρτεμίσιος*'. 7) Wood. l. l. Inscr. from the great theatre no. 1 col. 2; '*Θαργειλιών*' col. 4. 8) Lebas-Waddington 1537; a Clodio omissus. 9) C. I. 2906: '*τῇ δὲ νουμηνίᾳ τοῦ Βοηδρομιῶνος, ἐν ᾗ καὶ τὴν ἀρχὴν ἀνέλαβεν*'; cf. Herm. p. 107. 10) Lebas-Waddington 200 sq. 11) Lebas-Waddingt. 281; Am. Hauvette-Besnault. M. Dubois. Bull. V (1881) p. 493. 12) Anacreon apud Eust. ad Iliad. XV u. 192; cf. Herm. p. 116. 13) C. I. 2673 sq.; de eius sede cf. hui. diss. p. 342 sq., quamquam Bergkius (p. 39 sq.) eum cum Calamaeone coniunxit. 14) C. I. 2675. 2677. 15) C. I. 2679 = Lebas-Waddingt. 251; Boeckhius, Her-

a) C. I. 2953[b] tituli, in quo Galaxionem euanuisse nobis cum Bergkio (p. 40 sq.) et Clodio (p. 22) persuasum est, hoc loco non habenda est ratio, quod Delo originem eum duxisse Homollius summa cum probabilitate (Bull. II p. 333; cf. hui. diss. p. 390, 9) demonstrauit; Ahrentis quidem Galinthionem delendum esse constat. In tituli Curtii p. 199 uersu 21, ut id quoque obiter moneam, numerale nomen excidisse uidetur uelut *Δω*[*δέκατος*]; etenim hunc morem menses ex numeris designandi apud Ephesios etiam in C. I. 3005 deprehendimus.

3. De Erythraeorum, Smyrnaeorum, Chiorum, Lampsacenorum fastis.

Athenis:	Deli:	a) Erythris:	b) Smyrnae:	c) Chii:	d) Lampsaci:
Ἑκατομβαιών		.	.	11.	.
Μεταγειτνιών		.	.	12.	.
Βοηδρομιών	*Βουφονιών*	.	.	1.	d) *Βαδρομιών* 9) c) d)
Πυανοψιών	*Ἀπατουριών*	.	.	2.	.
Μαιμακτηριών	*Ἀρησιών*	.	.	3.	.
Ποσειδεών		*Ποσυδεών* 1)	*Ποσειδεών* 4)	4.	*Ποσειδεών* 10) c)
Γαμηλιών	*Ληναιών*	*Ληναιών* 1)	*Ληναιών* 5)	5.	*Ληναιών* 11) d)
Ἀνθεστηριών	*Ἱερός*	*Ἀνθεστηριών* 1)	*Ἀνθεστηριών* 6)	6.	.
Ἐλαφηβολιών	*Γαλαξιών*	.	.	7.	.
Μουνιχιών	*Ἀρτεμισιών*	*Ἀρτεμισιών* 2)	.	8.	*Ἀρτεμισιών* 11) c) d)
Θαργηλιών		.	.	9.	*Πλυντηριών* 10) c)
Σκιροφοριών	*Πάνημος*	.	*Ἑκατομβαιών* 7)	10.	? *Λευκαθιών* 12) c) d)
incertae sedis:		*ἡ* {*πρώτη* / *δευτέρα*} *ἑξάμηνος* 3)	(*Καῖσαρ*) 8)		.

mannus, Bergkius (p. 47 sq.) de hoc nomine sine iusta causa dubitasse uidentur; cf. Clod. p. 33; quem tamen non debuit effugere fragmentum illud, in quo Boeckhius Scirophorionem scribendum proposuit, esse idem, ex quo Gephorionem a uiro illo docto iniuria esse expulsum putamus.

1) *Μουσεῖον καὶ Βιβλιοθήκης τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς* uol. I (1873—75) p. 103 sqq. no. 108 = Rev. Archéol. XXXIII (1877) p. 105 sqq. 2) *Μουσεῖον* etc. III (1878—79 et 79—80) p. 122 no. 156 = Foucart. Bull. III (1879) p. 389. 3) Lebas-Waddingt. 1536. 1541; Bull. l. l. 4) Aristid. ed. Iebb. p. 274; ed. Dind. I p. 446. 5) C. I. 3137, 34. 6) Philostr. u. Sophist. I, 25 (ed. Kayser II p. 42, 24). 7) Lebas-Waddington no. 25: '. . *πρὸ πέντε καλανδῶν Εἰουνίων μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος τετάρτῃ*'; tit. a Clodio praetermissus. 8) Lebas-Waddington 1535. 9) Haussoullier Bull. III (1879) p. 242 sq. u. 53; apud Lampsacenos C. I. add. 3641[b].

10)—12) Vide p. 399.

a) Erythraeorum annum incepisse a Lenaeone Latischewius (p. 49 ann. 83) propterea censet, quod Lenaeone mense sacerdotia ueniisse ex titulo quem subscripsimus apparet. Attamen haec sacerdotia Lenaeone uendita mea quidem sententia non euincunt Lenaeonem fuisse Erythraeorum anni primum mensem; praesertim cum facile posset casu fieri, ut compluria sacerdotia eodem Lenaeone uenirent atque sacerdotiorum si non uenditiones, at 'ἐπιπράσεις' et 'διασυστάσεις' quae dicuntur (cf. Rev. Arch. l. c.) aliis atque Lenaeone mensibus sint factae. Ceterum si modo certum anni tempus in uendendis et ineundis sacerdotiis obseruabatur (cf. supra p. 378), incipiente anno sacerdotia non tam ueniisse quam inita esse suspicari licet.

c) Latischewio, qui p. 53 putat Chiorum annum incepisse ab Artemisione, assentiri non possum. Nam ex eo, quod Haussoullieri tituli u. 37 sq. praecipiunt, ut locarium quoddam proximo quidem anno soluatur Artemisione, sed posterioribus annis initio anni, non tam colligendum esse censeo Artemisionem primum fuisse Chiorum mensem quam opponi potius Artemisionem anni initio; qua propter nihil impedire puto, quominus Chiorum annum a solstitio hiemali incipientem faciamus. Porro de Leucathionis sede quamquam dubito, Hermanni tamen sententiam protuli, qui pp. 100 et 123 ei decimum anni Lampsaceni locum assignandum proposuit; quae sedes cum tituli Lampsaceni sententiarum conexu et cum Haussoullieri inscriptionis Chiae argumento satis consociari potest. Lampsacenorum Leucathionem successisse Lenaeoni Hermannus animaduertit; ex Haussoullieri titulo colligi posse uidetur Leucathionem stetisse post Artemisionem et inter Leucathionem et Artemisionem intercessisse anni initium, id quod admodum quadrat ad nostram sententiam de Chiorum anni cardine.

---

10) Hauss. l. l. p. 47 sq. uu. 10. 23; cf. *Γ. Σούριας*, Act. Inst. Arch. III (1878) 205—207; R. Schöll. 'Saturae Philologae Herm. Sauppio oblatae' (Berolini 1879) p. 167 sqq.; de Plynterionis sede cf. hui. cap. C, 1. 11) Apud Lampsacenos Lenaeon et Artemision C. I. add. 3641 b; apud Chios Artemision C. I. 2220; Hauss. l. l. p. 242 sq., 19. 246 sq., 39. 12) Apud Chios Hauss. l. l. p. 242 sq., 24; apud Lampsacenos C. I. add. 3641 b, 17.

4. *De Samiorum, Amorginorum*[1]*, Perinthiorum, Patmiorum fastis.*

Athenis:	Deli:	a) Sami:	b) Amorgi:	c) Perinthi: d) Patmi:
Ἑκατομβαιών		? Πελυσιών [2])	1. Μιλτοφοριών [7])	.
Μεταγειτνιών		Μεταγειτνιών [3])	2. Ἡ]ραιών [8]) ?	.
Βοηδρομιών	Βουφονιών	[Βοηδρομιών]	3. .	.
Πυανοψιών	Ἀπατουριών	Κυανοψιών [4])	4. .	.
Μαιμακτηριών	Ἀρησιών	Ἀπατουριών [4])	5. .	.
Ποσειδεών		Ποσειδεών [5])	6. .	.
Γαμηλιών	Ληναιών	Ληναιών [6])	7. .	Ληναιών ? [10]) c)
Ἀνθεστηριών	Ἱερός	Ἀ]νθε[στηριών [4])	8. Ἀνθεστηριών [9])	.
Ἐλαφηβολιών	Γαλαξιών	Ταυρεών [4])	9. .	.
Μουνιχιών	Ἀρτεμισιών	.	10. .	Ἀρτεμι[σι]ών [11]) d)
Θαργηλιών		Πάνημος [4])	11. Θαργηλιών [8])	Πάνημος [12]) c)
Σκιροφοριών	Πάνημος	Κρονιών [4])	12. .	Κρονιών [12]) c)

---

1) De Amorginorum fastis hoc quidem loco disserendum esse censuimus, quod Amorginos a Samiis originem duxisse Suidas s. u. *Σιμμίας* memoriae tradidit; at Miltophorionis et Heraeonis nomina aliquam Amorginorum et Samiorum fastorum discrepantiam produnt.

2) Vischer. Mus. Rhen. XXII (1867) p. 313 sqq.; cf. Kl. Schriften II p. 140 sqq.; C. Curtius Inschrr. z. Gesch. v. Samos Lübeck 1877. Prgm. p. 35.

3) Vischer. l. l. 4) Kirchhoff., Monatsber. d. kgl. Ak. d. Wissensch. Berlin 1859 p. 739 sqq.; cf. ib. 1862 p. 71 sqq.; Ahrent. p. 329 sqq. Clod. p. 6 sqq. 5) Ib.; C. Curtius l. l. p. 10 sq. u. 56.

6) P. Girard. Bull. V (1881) p. 480; qui iniuria quantum scio affirmat, Lenaeonem Samiorum mensem esse antea notum; coniecit Kirchhoffius apud Samios eum fuisse in usu. 7) *Κουμανούδης*, Bull. VIII (1884) p. 22 sqq. A. u. 2; Miltoph. cum Naxiorum Hecatombaeone collatus. 8) R. Weil Act. Inst. Arch. I (1876) p. 343 sqq. no. 11 et 12, qui titulus a Clodio est neglectus; Heraeonis nomen Latischewius et ipse (p. 30) agnouit.

9) Weil l. c.; Cumanudes l. c. B. u. 8.

10) Ne cum Hermanno (Philol. II p. 267) ad Perinthios referamus Lenaeonem, quem Papias (cf. Bröcker. Philolog. l. c. p. 249 no. VIII) Puniis attribuerat, nihil obstat.

11) Ross Inscr. Graecae Ined. no. 189; quem titulum correctiorem edidit Sakkelion Eph. A. Nou. 1862 no. 228; cuius plenioris tituli ignarus Clodius p. 29 suo quidem Marte, sed recte restituit Artemisionis nomen; cf. Dittenberger. Syll. inscriptt. Gr. no. 402.

12) Cromion, Papiae glossarium apud Broecker. l. l.; ceteri quos hoc scholion praebet menses originem duxerunt e fastis Macedonicis uel Asianis; quamquam Panemus potest repeti ex antiquioribus fastis Ionicis.

a) Samiorum annus utrum initium ceperit a solstitio aestiuo an ab hiemali non esse exploratum Latischewius p. 53 recte monuit; neque dubito, quin Kirchhoffii cui assensus est nuperrime Clodius sententia ad solstitium aestiuum inclinauerit propter fastorum Atheniensium analogiam, quam non iam ita multum ualere confitemur, quoniam Delios annum a bruma incepisse constat [1]). Ordinem autem mensium Samiorum probamus eum, quem a Kirchhoffio institutum confecit Clodius; Ahrentis enim mensium seriem adhibitis Vischeri titulis corruisse Clodius satis demonstrauit. Attamen de inserendo Calamaeone, quem Clodius quarto post brumam loco summa cum probabilitate suppleuisse sibi uisus est, cautius erit iudicandum, cum Cyzicenorum et Samiorum fastorum similitudo, quam Clodius p. 12 premendam esse censuit, nulla fere fuisse uideatur. Cyzicenorum enim Taureonem non statim post Anthesterionem stetisse et Calamaeonem sexto demum post brumam loco collocandum esse p. 396 sq. uidimus. Ceterum si quidquam horum fastorum similitudini est tribuendum, facile potest cogitari Taureone ad quartum post brumam locum promoto Artemisionem tertio apud Samios post brumam loco esse inserendum, cum hoc mensis nomen in tabula Newtonis [2]) quarta simul cum Anthesterionis nominis parte extrema facile potuerit excidere; quae lacuna eo facilius statuitur, quod in tabula prima et tertia bina mensium nomina iuxta posita esse uidemus.

b) Amorginorum annum a septimo post brumam mense incepisse ex Cumanudis titulo de Astypalaeensium fastis p. 378, 2 disserentes conclusimus.

5. De fastis Halicarnassiis.

Athenis:	Halicarnassi:	Athenis:	Halicarnassi:
Ἑκατομβαιών	.	*Βοηδρομιών*	.
Μεταγειτνιών	.	*Πυανοψιών*	.

1) Nisi graues de Samiorum et Amorginorum fastorum similitudine obstarent dubitationes (cf. supra p. 400, 1), nunc ad fulciendam Kirchhoffii sententiam Amorginorum anni initium adhiberi posset.

2) Cf. Kirchhoff. l. l.

Athenis:	Halicarnassi:	Athenis:	Halicarnassi:
Μαιμακτηριών	.	Ἐλαφηβολιών	.
Ποσειδεών	Ποσειδεών [1])	Μουνιχιών	Ἀρτεμισιών [3]) ?
Γαμηλιών	.	Θαργηλιών	? Ἡρακλεῖος [4])
Ἀνθεστηριών	Ἀνθεστηριών [2])	Σκιροφοριών	.
		incertae sedis:	Ἐλευθεριών [5])
			Ἑρμαιών [6])

Hermaeonem ad Boeotorum Hermaei exemplum primo post brumam collocare loco dubito, quamquam id suadet Clodius; qua de re conferas hui. diss. p. 395. Artemisionem autem quamuis dubitanter inserui fastis Halicarnassensium usus *titulo* ab Am. Hauvette-Besnault et Marc. Dubois edito, quem *in insula* quidem Coo inuentum, tamen originis esse Ionicae constat. Halicarnassensium autem esse titulum arbitror, quod in insula Coo iam alterum huiusmodi Halicarnassensium decretum est inuentum [5]) et prytanim, qui in eo de quo sermo est titulo comparet, Halicarnassensium fuisse magistratum docent tituli [7]). Quin etiam 'στεφανηφόρον', cuius nomen illo in titulo occurrit, cum Carum tum Halicarnassensium fuisse magistratum e compluribus apparet titulis [8]).

C. Singularum ciuitatum Ionicarum menses.

1. Eretiae:

Ἱππιών C. I. 2265; quo ex titulo apparet Hippionem respondisse ei Pariorum mensi, quo Plynteria agebantur; quae sollemnia eodem Thargelione mense, quo apud Athenienses celebrantur, apud Parios esse acta uiri docti consentiunt; cf. Herm. p. 64, Bergk. p. 25 sq., Ahrent. p. 342, Mommsen. Heortol. p. 427, Clod. p. 26.

1) Newtonis Halicarnassus, Cnidus and Branchidae 1863 p. 687 u. 2.
2) Iosephi Ant. XIV, 10, 23; Bull. IV (1880) p. 395. 3) Tit. Coi inuentus, Hauvette-Besnault. Dubois. Bull. V (1881) p. 209 sqq. 4) C. I. 2656 u. 20 sq. cf. u. 1; de Heraclei sede cf. Herm. pp. 61. 125 et Clod. p. 31.
5) Hauvette-Besnault. Dubois. l. c. p. 211 sq. u. 11. 6) Newton. l. l. p. 671 sq. = Roehl. Inscriptt. antiquiss. etc. no. 500. 7) Newton. l. l. pp. 671 sq. 687. 8) Lebas-Waddington. no. 394. 404 sq. 406. 416. 323. 326. 331 sq. saepius; Newton. l. l. p. 704, 12 c.

2. Neapoli:

Πανθεών C. I. 5785.

Ληναιών C. I. 5838.

3. Cassandreae:

Δημητριών, L. Duchesne Rev. Archéol. XXXI (1876) p. 106 sq.; Dittenberger. Sylloge inscriptt. Graec. no. 142.

Demetrionem fuisse Cassandrensium mensem olim nolui pro certo affirmare; sed utrum illud pro hominis an mensis nomine haberem aeque ac Duchesnius dubitaui. Quin etiam Demetrionis uerbum pro hominis nomine uidebatur esse habendum, quod ceterorum duorum qui hoc titulo occurrunt hominum nominibus patrum nomina addita sunt. Attamen ad Clodii et Dittenbergeri partes, qui mensem significari certum esse censuerunt nuperrime transii, quia pro hominis nomine Demetrionis uocem umquam esse usurpatam nulla comprobant exempla.

4. Apolloniae in oppido Chalcidensi:

Ἀνθεστηριών } Athenaei l. VIII p. 334 E; cf. Herm. p. 89 et
Ἐλαφηβολιών } Bergk. p. 9.

5. In insula Io:

Ὁμηρεών, L. Ross Archaeol. Ztg. VI (1848) no. 21 p. 333.

6. Peparethi:

Πιθοικιών cum Atheniensium Hecatombaeone comparatus: A. Dumont. Revue Archéol. XXIX (1875) p. 330; O. Riemann. Bull. I (1877) p. 82.

7. a) Gambrei in Mysiae oppido:

Θαργηλιών C. I. 3562.

b) ex Mysiae parte aliqua:

Πάνη]μος C. I. 3597 a.

8. Thirae in Lydiae oppido:

Νεοκαισαρεών *Μουσεῖον καὶ Βιβλιοθήκης τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς* II, 1 (1875—76) p. 117 et 2 (1876—78) p. 29; Papadopulos Kerameus Act. Inst. Arch. III (1878) p. 54 sqq.

9. Magnesiae in Lydiae oppido ad montem Sipylum sito:

Κλαρεών Bull. VII (1883) p. 504 sq. no. 10.

INDEX I.

Enumerantur eae quarum menses afferuntur ciuitates.

INDEX II.

A. Enumerantur menses adscriptis eis quibus deprehenduntur locis.

1. Menses ex numeris designati.

2. Propria mensium nomina.

Ἀγριώνιος	in Boeotia
Ἀγύειος s. *Ἀγύιος*	in Aetolia
	in Locride
Ἁδριανιών	Athenis
Ἀδρόμιος	Hali
	Thaumaciae
Ἀθαναῖος	in Aetolia
Αἰραστυών u. *Ἀγραστυών*	
Ἀλαλκομένιος	in Boeotia
Ἁλιαῖος	Dreri
Ἄλσειος	Calymnae
	Coi
Ἀλφιῷος	in Elide
Ἀμάλιος	Delphis
	in Phocide
Ἀμών	Amphissae
Ἀνθεστηριών	Amorgi
	Apolloniae in opp. ad Rhyndacum sito
	Apolloniae in opp. Chalcidensi
	Athenis
	Cii
	Cyzici
	Ephesi
	Erythris
	Halicarnassi
	Olbiae
	Pari
	Prienae
	Sami
	Smyrnae
	Teni
Ἀπατουρεών s. *Ἀπατουριών*	
	Cyzici
	Deli
	Iasi
	Olbiae
	Sami
	Teni
Ἀπατοίριος	Zeleae
Ἀπελλαῖος	Chalei
	Delphis
Ἀπελλαῖος	Heracleae in opp. ad Sirim sito
	Lamiae
	Oeantheae
	Oetae
	Olunte
	Tauromenii
	Tolophone
Ἀπελλαιών	Teni
Ἀπολλώνιος	in Elide
	Lesbi
Ἀπολλώνιος	in Perrhaebia
	Tauromenii
Ἀπόλλωνος μήν	Chalei
Ἀράτυος	Physci
Ἄρειος s. *Ἄρεος* s. *Ἄρηος*	
	Lamiae
	in Magnesia
	Phalicae
Ἀρησιών	Deli
Ἀρνεῖος	Argi
Ἀρνο[κάριος]?	Hypatae
Ἀρτεμίσιος s. *Ἀρταμίτιος*	
	Astypalaeae
	Byzantii
	Calaureae
	Calymnae
	Cnidi
	Coi
	Corcyrae
	Hypatae
	Lacedaemone
	Rhodi
	Tauromenii
	Therae
Ἀρτεμισιών	Chii
	Cyzici
	Deli
	Ephesi
	Erythris
	Halicarnassi
	Lampsaci
	in Magnesia

Ἀρτεμισιών		Naxi
		Patmi
		Teni
Ἀρχοστάσιος		Erinei
Ἀφάμιος	in	Phocide
Ἄφριος		Larisae
	in	Perrhaebia
Ἀφροδισιών		Iasi
	in	Magnesia
Βαδρόμιος		Calymnae
		Cnidi
		Coi
		Rhodi
Βαδρομιών s. *Βοηδρομιών*		
		Athenis
		Chii
		Lampsaci
		Olbiae
		Prienae
Βακχιών		Myconi
Βοαθόος s. *Βοαθοῖος*		Delphis
Βοηδρομιών u. *Βαδρομιών*		
Βουκάτιος	in	Acarnania?
	in	Aetolia
		Amphissae
	in	Boeotia
		Delphis
		Erinei
		Lamiae
Βουφονιών		Deli
		Teni
Βύσιος		Delphis
Βώμιος		Lamiae
Γαλαξιών		Deli
Γαμηλιών		Athenis
Γαμίλιος		Dodonae
Γενέτιος		Hali
Γεράστιος s. *Γεραίστιος*		Calymnae
		Coi
		Lacedaemone
		Troezenae
Γεῦστος		Lamiae
Γηφοριών		Iasi
Γιγάντιος		Amphissae
		Triteae
Δα . .		Lesbi
Δαδαφόριος		Delphis
Δαίσιος		Sicyone
Δάλιος		Calymnae
		Coi
		Rhodi
		Tauromenii
Δαμάτριος	in	Boeotia
Δεῖος u. *Δῖος*		
Δελφίνιος		Aeginae
		Olunte
		Therae
Δημητριών		Athenis
		Cassandreae
Δινών	in	Locride
Διονύσιος	in	Aetolia
		Anticyrae
		Byzantii
		Calchedone
		Callipoli
		Chersonesi
	in	Locride
		Naupacti
		Tauromenii
Δῖος s. *Δεῖος*	in	Aetolia
		Lesbi
	in	Perrhaebia
Διόσθυος	? in	Elide
		Rhodi
		Therae
Δρομήιος		Priansi
Εἰλαῖος u. *Ἰλαῖος*		
Ἑκατομβαιών		Athenis
		Deli
		Imbri
		Myconi
		Naxi

Ἑκατομβαιών	Smyrnae
Ἑκατομβεύς	Lacedaemone
Ἐλαφηβολιών	Apolloniae in opp. Chalcidensi
	Athenis
	Iasi
Ἐλάφιος	in Elide
Ἐλάφριος non habet locum	Calymnae
Ἐλειθυαιών	Teni
Ἐλευθεριών	Halicarnassi
Ἐλευσίνιος s. *Ἐλευσύνιος*	? Bianni
	Olunte
	Therae
ἐμβόλιμοι:	
Ἀλαλκομένιος β'	in Boeotia
Ἀπελλαῖος β'	Tauromenii
Γενέτιος ἐμβόλιμος	Hali
Πάναμος β'	Rhodi
Ποιτρόπιος β'	Delphis
Ποσειδεών β'	Athenis
Ἐνδυσποιτρόπιος	Delphis
Ἑρμαῖος	in Aetolia
	Argi
	in Boeotia
	Metropoli
	in Perrhaebia
	Pheris
Ἑρμαιών	Cei
	Halicarnassi
Εὐθυαῖος	in Aetolia
Εὔκλειος	? Astypalaeae
	Byzantii
	Corcyrae
	Tauromenii
Εὐώνιος	Hali
Ἦατος	Heraclea Trachinia
Ἡραῖος	Delphis
	Olunte
	Zeleae
Ἡραιών	Amorgi
	Teni
Ἡράκλειος	Delphis
	Halicarnassi
Ἡράσιος	Lacedaemone
Θαργηλιών s. *Ταργηλιών*	Amorgi
	Athenis
	Cyzici
	Deli
	Ephesi
	Gambrei
	Naxi
	Pari
	Teni
Θειλούθιος s. *Θηλούθιος*	in Boeotia
Θεμίστιος	Hali
	Larisae
	Metropoli
Θεοδαίσιος s. *Θευδαίσιος* s. *Θιοδαίσιος*	Calymnae
	Coi
	Lati
	Rhodi
Θεοξένιος	Delphis
Θερμολαῖος	Lati
Θεσμοφόριος	Lati
	Rhodi
Θιούιος u. *Θυῖος*	
Θριξάλλιος	Lamiae
Θυῖος s. *Θῦος* s. *Θιούιος*	in Boeotia
	Cierii
	in Elide
	Lamiae
	Larisae
	Metropoli
Ἱερός sc. *μήν*	Deli
Ἰλαῖος s. *Εἰλαῖος*	Delphis

Ἱμάλιος	Hierapytnae
Ἰοβάκχιος	Astypalaeae
Ἵππιος	Rhegii
Ἱππιών	Eretriae
Ἱπποδρόμιος	in Aetolia
	in Boeotia
	Callipoli
	Lamiae
	Larisae
	in Perrhaebia
Ἰτώνιος	Cierii
	Larisae
	Metropoli
	in Perrhaebia
	Tauromenii
	Thaumaciae
Καλαμαιών	Cyzici
	Mileti
	Olbiae
Κάρειος	Chalei
Καρνεῖος	Agrigenti
	Byzantii
	Calymnae
	Gelae
	Lacedaemone
	Nisyri
	Rhodi
	Syracusis
	Tauromenii
Καρ.νιος?	Cnosi
Καφίσιος	Calymnae
	Coi
Κλαρεών	Magnesiae in Lydiae oppido
Κομνοκάριος	Dreri
Κοούτιος	Chalei
Κουροτρόπος	in Acarnania
Κρονιών	olim Athenis
	Perinthi
	Sami
Κυανοψιών cf. *Πυανοψιών*	
	Cyzici
	Sami

Λαφριαῖος	in Aetolia
Λάφριος	Erinei
	Gythei uel apud Eleutherolacones?
	in Phocide
Λεσχανόριος	Larisae
	in Perrhaebia
Λευκαθεών s. *Λευκαθιών*	
	Chii
	Lampsaci
Ληναιοβάκχιος	Astypalaeae
Ληναιών	Cii
	Cyzici
	Deli
	Ephesi
	Erythris
	Lampsaci
	Myconi
	Neapoli
	Perinthi
	Sami
	Smyrnae
Λύκειος s. *Λύκεος* s. *Λύκηος*	
	Byzantii
	Chalei
	Lamiae
Μαιμακτηριών	Athenis
	Cei
Μαλοφόριος	Byzantii
Μαχανεύς	Byzantii
	Calchedone
	Corcyrae
Μεγαλάρτιος	Hali
Μεταγειτνιών	Athenis
	Deli
	Ephesi
	Sami
Μιλτοφοριών	Amorgi
Μουνιχιών	Athenis
Νεκύσιος	Cnosi
Νεοκαισαρεών	Thirae

Ὁμηρεών	Ii
Ὁμολώιος s. *Ὁμολῷος*	in Aetolia
	in Boeotia
	Hali
	Larisae
	Metropoli
	in Perrhaebia
Παμβοιώτιος	in Boeotia
Παναγύριος	Amphissae
Πάναμος s. *Πάνημος*	in Aetolia
	Amphissae
	in Boeotia
	Calymnae
	Coi
	Corinthi
	Cyzici
	Deli
	Gambrei ?
	Heracleae in opp. ad Sirim s.
	Lamiae
	Larisae
	Megaris
	Olbiae
	Perinthi
	Rhodi
	Sami
Πανθεών	Neapoli
Παρθένιος	in Elide
Πεδαγείτνιος(*νος*) s. *Πεταγείτνυος*(*ιος*)	
	Calchedone
	Calymnae
	Coi
	Rhodi
Πελυσιών	Sami
Πιθοικιών	Peparethi
Πλυντηριών	Chii
Ποιτρόπιος	Amphissae
	Chalei
	Delphis
	in Locride
Πόκιος	Amphissae
	Boei
Πόκιος	in Locride
Πορνοπιών	Lesbi
Ποσειδεών s. *Ποσιδεών* s. *Ποσυδεών*	
	Andri
	Athenis
	Chii
	Cyzici
	Deli
	Ephesi
	Erythris
	Halicarnassi
	Myconi
	Sami
	Smyrnae
	Tei
	Teni
Ποσίδειος	Lesbi
Προκύκλιος	in Aetolia
Προστατήριος	in Boeotia
Πυανοψιών cf. *Κυανοψιών*	
	Athenis
Πυθοῖος	Hali
	Melitaeae
Σκιροφοριών	Athenis
Σμίνθιος	Rhodi
Σπέρμιος	Cnosi
Ταργηλιών u. *Θαργηλιών*	
Ταυρεών	Cyzici
	Sami
	Sinopae
Τερφεύς	Cymae
Ὑακίνθιος	Byzantii
	Calymnae
	Coi
	Rhodi
	Therae
Ὑχαῖος	Physci
Φλιάσιος	Lacedaemone
Φράτριος	Cymae

Φυλλικός	in Perrhaebia	incerta nomina:	
Χρυτταῖος	Lamiae	..αρ..ωβιάριος	Lati
		..δάκιος	Hierapytnae
Ψυδρεύς	Corcyrae	......ιών	Andri

B. Enumerantur partes in quas anni diuidi solent.

δίμηνοι	Agrigenti	ἑξάμηνοι	in Perrhaebia
			Pheris
ἑξάμηνοι	Cnidi		Teni
	Delphis		
	Gelae	τετράμηνοι	in Boeotia
	Hali		Erythris
	Larisae		

TABI

Fast

Athenis:	Delphis:	apud Boeotos:	apud Thessalos
Ἑκατομβαιών	Ἀπελλαῖος	8. Ἱπποδρόμιος	12. Ἱπποδρόμιο
Μεταγειτνιών	Βουκάτιος	9. Πάναμος	1. Πάναμος
Βοηδρομιών	Βοαθόος	10. Παμβοιώτιος	2. .
Πυανοψιών	Ἡραῖος	11. Δαμάτριος	3. .
Μαιμακτηριών	Δαδαφόριος	12. Ἀλαλκομένιος	4. .
Ποσειδεών	Ποιτρόπιος	1. Βουκάτιος	5. ? Θεμίστιος
Γαμηλιών	Ἀμάλιος	2. Ἑρμαῖος	6. Ἑρμαῖος
Ἀνθεστηριών	Βύσιος	3. Προστατήριος	7. Λεσχανόριο
Ἐλαφηβολιών	Θεοξένιος	4. Ἀγριώνιος	8. Ἄφριος
Μουνιχιών	Ἐνδυσποιτρόπιος	5. Θιούιος	9. Θῦος
Θαργηλιών	Ἡρακλεῖος	6. Ὁμολώιος	10. Ὁμολώιος
Σκιροφοριών	Ἰλαῖος	7. Θειλούθιος	11. ? Ἰτώνιος

incertae sedis:

TABI

De mediae Graeciae ciuitatum fastis, qui nequ

Athenis:	Delphis:	apud Phocenses:	apud Locros:	a) Physci: b) Tolophone
Ἑκατομβαιών	1. Ἀπελλαῖος	δέκατος	δωδέκατος	Ἀπελλαῖος b)
Μεταγειτνιών	2. Βουκάτιος	ἑνδέκατος	πρῶτος	.
Βοηδρομιών	3. Βοαθόος	δωδέκατος	δεύτερος	.
Πυανοψιών	4. Ἡραῖος	πρῶτος	τρίτος	.
Μαιμακτηριών	5. Δαδαφόριος	Ἀμάλιος	τέταρτος	Ἀράτυος a)
Ποσειδεών	6. Ποιτρόπιος	τρίτος	Διονύσιος	.
Γαμηλιών	7. Ἀμάλιος	τέταρτος	ἕκτος	.
Ἀνθεστηριών	8. Βύσιος	πέμπτος	ἕβδομος	.
Ἐλαφηβολιών	9. Θεοξένιος	Λάφριος	Ποιτρόπιος	.
Μουνιχιών	10. Ἐνδυσποιτρόπιος	ἕβδομος	Πόκιος	.
Θαργηλιών	11. Ἡρακλεῖος	ὄγδοος	Ἀγύειος	Ὑχαῖος a)
Σκιροφοριών	12. Ἰλαῖος	Ἀφάμιος	ἑνδέκατος	.

LA I.

Aeolici.

Thessaliae fasti

Hali:	apud Perrhaebos:	Lamiae:	apud Eleos:
12. .	12. *Ἰτώνιος*	8. *Ἱπποδρόμιος*	7. *Ἀπολλώνιος*
1. *Ἀδρόμιος*	1. .	9. *Πάναμος*	8. *Παρθένιος*
2.} ? *Εὐώνιος*	2. .	10. .	9. *Ἀλφιῷος*
3.}	3. .	11. *Ἀπελλαῖος*	10. .
4. *Πυθοῖος*	4. .	12. *Βουκάτιος*	11. *Θυῖος*
5. *Ἁγναῖος*	5. ? *Δῖος*	1. *Βώμιος*	12. .
6. *Γενέτιος*	6. *Ἑρμαῖος*	2. *Θριξάλλιος*	1. *Διόσθυος* ?
7. ? *Μεγαλάρτιος*	7. *Λεσχανόριος*	3. *Γεῦστος*	2. .
8. ? *Θεμίστιος*	8. *Ἄφριος*	4. *Λύκεος*	3. *Ἐλάφιος*
9. ? *Ὁμολώιος*	9. *Ὁμολώιος*	5. *Θῖος*	4. .
10. .	10. *Ἱπποδρόμιος*	6. *Ἄρεος*	5. .
11. .	11. *Φυλλικός*	7. *Χρυτταῖος*	6. .
Ἰτώνιος ?	*Ἀπολλώνιος*		

LA II.

cum Aeolicis neque cum Doricis possunt coniungi.

Amphissae:	Chalei:	a) Triteae: b) Anticyrae:	apud Aetolos:	a) Erinei: b) Boei:
12. *Πάναμος*	*Ἀπελλαῖος*	.	11. .	.
1. *Ἀγραστυών*	*Κάρειος*	.	12. *Πάναμος*	*Βουκάτιος* a)
2. .	.	,	1. *Προκύκλιος*	1. *Ἀρχοστάσιος* a)
3. .	*Κοούτιος*	.	2. *Ἀθαναῖος*	.
4. [*Βουκά*]*τιος*	.	.	3. *Βουκάτιος*	.
5. *Παναγύριος*	.	*Γιγάντιος* a)	4. *Δῖος*	.
6. *Γιγάντιος*	.	*Διονύσιος* b)	5. *Εὐθυαῖος*	.
7. .	*Λύκειος*	.	6. *Ὁμολώιος*	.
8. *Ποιτρόπιος*	*Ποιτρόπιος*	.	7. *Ἑρμαῖος*	*Λάφριος* a)
9. *Ποιτρόπιος*	.	.	8. *Διονύσιος*	*Πόκιος* b)
10. *Πόκιος*	.	.	9. *Ἀγύειος*	.
11. *Ἀμών*	*Ἀπόλλωνος μήν*	.	10. *Ἱπποδρόμιος*	.

TAI

Fas

Athenis:	Delphis:	a) Lacedaemone: b) Heracleae: c) Therae: d) Cnidi:	a) Corinthi: b) Corcyrae: c) Syracusis:	Tauromenii:	a) Megaris: b) Calchedo[illegible] c) Byzantii: d) Chersone[illegible]
Ἑκατομβαιών	*Ἀπελλαῖος*	10. *Ἡράσιος* a)	.	7. *Ἰτώνιος*	*Ἀγριάνιος* c)
Μεταγειτνιών	*Βουκάτιος*	11. *Καρνεῖος* a)	*Καρνεῖος* c)	8. *Καρνεῖος*	*Καρνεῖος* c)
Βοηδρομιών	*Βοαθόος*	12. *Πάναμος* b)	*Πάναμος* a)	9. .	*Πάναμος* a)
Πυανοψιών	*Ἡραῖος*	1. ? *Ἀπελλαῖος* b)	.	10. *Δάλιος*	*Μαλοφόριος* [illegible]
Μαιμακτηριών	*Δαδαφόριος*	2. ? *Βαδρόμιος* d)	.	11. *Ἀπολλώνιος*	*Μαχανεύς* b) [illegible]
Ποσειδεών	*Ποιτρόπιος*	3. ? *Διόσθυος* c)	.	12. *Δυωδεκαταῖος*	*Πεταγείτνιο*[illegible]
Γαμηλιών	*Ἀμάλιος*	4. *Ἐλευσίνιος* c)	11b. *Μαχανεύς* b)	1. *Ἀρτεμίσιος*	*Διονύσιος* b) [illegible]
Ἀνθεστηριών	*Βύσιος*	5. *Δελφίνιος* c)	*Εὔκλειος* b)	2. *Διονύσιος*	*Εὔκλειος* c)
Ἐλαφηβολιών	*Θεοξένιος*	6. *Ἀρτεμίτιος* a) c) d)	*Ἀρτεμίτιος* b)	3. .	*Ἀρτεμίσιος* [illegible]
Μουνιχιών	*Ἐνδυσποιτρ.*	7. *Γεράστιος* a)	.	4. .	*Λύκειος* c)
Θαργηλιών	*Ἡρακλεῖος*	8. *Φλιάσιος* a)	.	5. .	.
Σκιροφοριών	*Ἰλαῖος*	9. *Ἑκατομβεύς* a) *Ὑακίνθιος* c)	.	6. *Ἀπελλαῖος*	*Ὑακίνθιος* c)
incertae sedis:			*Ψυδρεύς* b)	*Εὔκλειος*	

TAI

Fas

Athenis:	Deli:	Teni:	a) Myconi: b) Cei: c) Naxi:	a) Andri: b) Pari: c) Amorgi:	a) Mileti: b) Olbiae: c) Sinopae d) Cii: e) Apollonia[illegible]
Ἑκατομβαιών	7. *Ἑκατομβαιών*	? *Ἀπελλαιών*	*Ἑκατομβ.* a) c)	1. *Μιλτοφοριών* c)	.
Μεταγειτνιών	8. *Μεταγειτνιών*	*Ἡραιών*	.	2. *Ἡ*]*ραιών* ? c)	.
Βοηδρομιών	9. *Βουφονιών*	*Βουφονιών*	.	.	*Βοηδρομιών* [illegible]
Πυανοψιών	10. *Ἀπατουριών*	.	.	.	.
Μαιμακτηριών	11. *Ἀρησιών*	? *Ἀπατουριών*	*Μαιμακτηριών* b)	.	*Ἀπατουρεών*
Ποσειδεών	12. *Ποσειδεών*	*Ποσειδεών*	*Ποσιδεών* a)	*Ποσιδεών* a)	.
Γαμηλιών	1. *Ληναιών*	.	*Ληναιών* a)	.	*Ληναιών* d)
Ἀνθεστηριών	2. *Ἱερός*	*Ἀνθεστηριών*	? *Βακχιών* a)	*Ἀνθεστηρ.* b) c)	*Ἀνθεστηρ.* b) [illegible]
Ἐλαφηβολιών	3. *Γαλαξιών*	.	.	.	*Ταυρεών* c)
Μουνιχιών	4. *Ἀρτεμισιών*	*Ἀρτεμισιών*	*Ἀρτεμισιών* c)	.	*Καλαμαιών* a[illegible]
Θαργηλιών	5. *Ταργηλιών*	*Ταργηλιών*	*Θαργηλιών* ? c)	*Θαργηλιών* b) c)	.
Σκιροφοριών	6. *Πάνημος*	? *Ἐλειθυαιών*	.	.	*Πάνημος* b)
incertae sedis:			*Ἑρμαιών* b)		

A III.

Dorici.

Astypalaeae:	a) Argi: b) Troezenae: c) Calaureae: d) Aeginae: e) Sicyone:	a) Coi: b) Nisyri: c) Calymnae: d) Rhodi: e) Gelae: f) Agrigenti:	a) Lati: b) Hierapytnae:	a) Cnosi: b) Priansi: c) Dreri:	a) Olunte: b) Bianni:
0. 1. } ? *Εὔκ[λει]ος* ?	*Ἀρνεῖος* a)	*Ἀγριάνιος* a) c) d)	? *Ἱμάλιος* b)	*Δρομήιος* b)	.
		Καρνεῖος b) c) d) e) f)	.	.	.
.	.	*Πάναμος* a) c) d)	.	.	.
.	.	*Ἄλσειος* a) c)	*Θεσμοφόριος* a)	*Νεκύσιος* a)	*Ἀπελλαῖος* a)
		Θεσμοφόριος d)		? *Κομνοκάριος* c)	
.	.	*Βαδρόμιος* a) c) d)	*Θερμολαῖος* a)	? *Ἁλιαῖος* c)	*Ἡραῖος* a)
.	.	*Καφίσιος* a) c)	.	.	.
		Διόσθυος d)			
Ληναιοβάκχιος	*Ἑρμαῖος* a)	*Θευδαίσιος* a) c) d)	.	.	.
Ἰοβάκχιος	*Δελφίνιος* d)	*Πεταγείτνιος* a) c) d)	.	.	.
	Δαίσιος e)				
Ἀρταμίτιος	*Ἀρτεμίσιος* c)	*Ἀρταμίτιος* a) c) d)	*Θιοδαίσιος* a)	*Σπέρμιος* a)	*Ἐλευσύνιος* a) b)
.	*Γεραίστιος* b)	*Γεράστιος* a) c)	..αρ..ωβιάριος a)	*Καρ.νιος* a)	*Δελφίνιος* a)
		Σμίνθιος d)			
.	.	*Δάλιος* a) c) d)	.	.	.
.	.	*Ὑακίνθιος* a) c) d)	.	.	.
			...δάκιος b)		

A IV.

Ionici.

Cyzici:	a) Ephesi: b) Prienae: c) Tei: d) Iasi:	a) Erythris: b) Smyrnae:	a) Chii: b) Lampsaci:	a) Sami: b) Perinthi: c) Patmi:	Halicarnassi:
1. *Πάνημος*	.	.	.	? *Πελυσιών* a)	.
2. .	*Μεταγειτνιών* a)	.	.	*Μεταγειτνιών* a)	.
1. .	*Βοηδρομιών* b)	.	1b. *Βαδρομιών* a) b)	.	.
2. *Κυανοψιών*	.	.	.	*Κυανοψιών* a)	.
3. *Ἀπατουρεών*	*Ἀπατουριών* d)	.	.	*Ἀπατουριών* a)	.
4. *Ποσειδεών*	*Ποσειδεών* a) c)	*Ποσυδεών* a) b)	12a. *Ποσειδεών* a)	*Ποσειδεών* a)	*Ποσειδεών*
5. *Ληναιών*	*Ληναιών* a)	*Ληναιών* a) b)	*Ληναιών* b)	*Ληναιών* a) b)	.
6. *Ἀνθεστηριών*	*Ἀνθεστηρ.* a) b)	*Ἀνθεστηρ.* a) b)	.	*Ἀνθεστηρ.* a)	*Ἀνθεστηριών*
-	? *Ἀφροδισιών* d)				
7. *Ἀρτεμισιών*	*Ἐλαφηβολιών* d)	.	.	*Ταυρεών* a)	.
8. *Ταυρεών*	*Ἀρτεμισιών* a)	*Ἀρτεμισιών* a)	*Ἀρτεμισιών* a) b)	*Ἀρτεμισιών* c)	*Ἀρτεμισιών*
9. *Θαργηλιών*	*Θαργηλιών* a)	.	*Πλυντηριών* a)	*Πάνημος* a) b)	? *Ἡρακλεῖος*
0. *Καλαμαιών*	.	*Ἑκατομβαιών* b)	*Λευκαθιών* a) b)	*Κρονιών* a) b)	.
	Ἀγνηιών a)				*Ἐλευθεριών*
	Γηφοριών d)				*Ἑρμαιών*

Addenda et corrigenda.

'*Θειουίου*' quam in inscriptione Boeotia Bull. VIII (1884) p. 66 u. 2 induxerat formam in '*Θιούιον*' esse corrigendam Latischewius ipse Bull. l. c. p. 351 monuit; qua de causa hui. diss. p. 344 u. 11 sq. uerba '*Θειούιος* Bull. VIII (1884) p. 53 sqq. I, 10[b]' sunt delenda.

P. 346 u. 7 lege pro '392, 2' '329, 2'.

P. 348 sq. *Ἀλφιῷος*, non *Ἀλφιῶος* est scribendum.

P. 349, 2 pro uoce *Παρνοπίας* scribe *Πορνοπίας*.

P. 361 u. 3 'Triteae', non 'Tritaeae' est scribendum; cf. Dittenbergeri Syllog. inscriptt. Graec. p. 644, 4.

P. 374 u. 22 legendum est 'b) c) *Διονύσιος*', non 'c) *Διονύσιος*'.

De Cumanudei tituli argumento (cf. hui. diss. pp. 376 sqq. 400 sq.) inspicienda est Darestii commentatio 'sur la *συγγραφή* en droit Grec et en droit Romain', quae nuperrime Bull. VIII. p. 362 sqq. in lucem prodiit.

P. 398 u. 25 reponendum est in *ἑξαμήνου* locum uocabulum *τετραμήνου*.

Druck v. Hirschfeld, Leipzig